Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractacuscanonic0000petr



FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

TRACTATUS CANONICUS

DE

SACRA ORDINATIONE

TRACTATUS CANONICUS

DE

SACRA ORDINATIONE

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII cubiculario intimo,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem.

Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae
est in te per impositionem manuum.
(2a *ad Tim.*, *I*, *16.*).

ANNO JUBILAEI PONTIFICALIS SSMI D. N. LEONIS PP. XIII

VOLUMEN PRIMUM

ALMA COLLEGE
348.416
LIBRARY
G213
Alma, California

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

DELHOMME ET BRIGUET, EDITORES

PARISIIS
Via vulgo dicta : rue de l'Abbaye, 13.

LUGDUNI
Via vulgo dicta : Avenue de l'Archevêché, 3.

1893

Tous droits de propriété et de traduction réservés.

754

APPROBATIO.

Quum ex relatione examinatoris deputati diligenter facta Nobis omnino constet **Tractatum canonicum de sacra ordinatione**, auctore Rev. D. Petro Gasparri, professore juris canonici in Instituto catholico Parisiensi, non minori laude dignum esse ac **Tractatum canonicum de matrimonio**, ab eodem jam typis editum, licentiam facimus illud imprimendi, et valde commendandum testamur. Nam praelaudatus auctor omnes quaestiones, quae ad sacram ordinationem spectant, luculenter pertractavit et doctrinam suam hausit ex fontibus puris, nempe sive ex constitutionibus Summorum Pontificum et canonibus conciliorum, sive ex resolutionibus Sacrarum Congregationum, atque ex auctoribus maxime probatis; ita ut opus omni parte absolutum, etiam quoad praxim, vere habeatur.

Parisiis, die 24 Julii 1893.

† Franciscus Cardinalis RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

PROOEMIUM.

Dum omnia Novae Legis sacramenta gratiam quam continent, non ponentibus obicem conferunt ex opere operato, sacramentum ordinis, characterem in anima suscipientis indelebiliter imprimens ad instar sacramentorum baptismatis et confirmationis, potestatem addit sacras perficiendi functiones ad aliorum sanctificationem. Sicut enim Christus D. omnium sacramentorum dispensationem, si baptismum in casu necessitatis excipias et matrimonium, commissam voluit constitutis in sacra hierarchia ordinis, ita etiam Ecclesia omnium sacramentalium a se institutorum administrationem eisdem reservavit. Imo ipsa potestas jurisdictionis ecclesiasticae, licet per se distincta ab ordinis potestate et ab eadem sit separabilis, in normali tamen Ecclesiae oeconomia penes clericos, tamquam penes proprium subjectum, residere debet. Non immerito igitur ordinis sacramentum fons quodammodo dici potest, e quo tota vita supernaturalis Ecclesiae dimanat.

Hinc mirum esse non debet, si Ecclesia, praeter jus divinum, plura circa hujus sacramenti administrationem et receptionem servanda constituit : quam partem ecclesiasticae legislationis nos in hoc tractatu exponimus. Negotium sane arduum, tenues vires nostras fortasse excedens. Nemo enim qui jus canonicum vel a limine salutaverit, ignorat materiam de qua agimus, multis, nec iis levibus, scatere difficultatibus. Inter quas aliae sunt, ut ita dicam, historico-

theologicae, ortae scilicet ex diversitate rituum ordinationis qui in Ecclesia Orientali et in Ecclesia Occidentali servantur, imo qui in eadem Occidentali Ecclesia pro diversis temporibus usurpati sunt. Sunt praeterea difficultates canonicae ; cum enim plura quae sacram ordinationem spectant, specialem titulum in corpore juris non habeant, expositores Decretalium Gregorii IX saepe eadem vel praetermiserunt omnino, vel summis tantum labiis, ut aiunt, delibaverunt. Imo fatendum est nonnumquam ipsam legislationem haud esse undequaque definitam. Tandem accedit plenas de sacra ordinatione tractationes deesse, nisi ad antiquos Hallier, Morin, Martene, etc. ascendere velimus ; quos in multis hodie deficere quisque facile perspicit. Exinde spes aliqua affulget hunc nostrum tractatum, in quo omnia quae ad hanc materiam adeo practicam pertinent, colligere studuimus, alicujus futurum esse utilitatis curiis praesertim episcopalibus et seminariorum moderatoribus, quibus est sacrarum ordinationum sollicitudo.

Totam vero hujus tractatus materiam sequenti ratione distribuimus. Praemissis in capite I generalibus rerum notionibus, caput II disserit de tempore et loco sacrae ordinationis. Deinde in longiori capite III determinatur subjectum sacrae ordinationis, idest quaenam persona juxta jus divinum et ecclesiasticum ad statum clericalem admitti possit et debeat, et quaenam in ea, ut valida sit ordinatio aut licita, intentio requiratur. His positis, jam propius ad sacrae ordinationis coeremoniam accedentes, in capite IV explicamus omnia quae eidem ad normam canonum praeire debent. Succedit caput V de partibus essentialibus sacrae ordinationis, nempe de ministro ejusque intentione, et de materia ac forma. In capite VI describuntur peractae ordinationis effectus, praeser-

tim ordinis potestas tum in genere tum in specie pro singulis gradibus. Tandem in fine adduntur documenta quae in praxi saepius usui esse aut expositas doctrinas illustrare possunt.

Ne in omnibus hisce partibus nostro quid tractatui deesset, nihil, quoad facultas tulit, praetermisimus. Volumina non pauca *Thesauri resolutionum Sacrae Congregationis Concilii* in causis quae ad sacram ordinationem referuntur, studiose et sedulo versavimus ; responsa et instructiones Sedis Apostolicae undique conquisivimus, praxim curiarum praestantissimarum, in primis curiae Romanae, perspectam habere studuimus; auctores magis probatos seu antiquos seu recentiores consuluimus. Faxit Deus ut hoc opus nostrum eodem benigno favore a doctis excipiatur ac praecedens *Tractatus canonicus de matrimonio*, ad majorem Dei gloriam, ad exaltationem Sedis Apostolicae, ad nostri Instituti catholici Parisiensis incrementum. Ceterum censurae sanctae Ecclesiae judicioque prudentum illud ex animo submittimus. Si igitur in eo tibi aliquid occurret, benevole lector, utcumque doctrinae seu menti Apostolicae Sedis contrarium, scias illud praeter voluntatem excidisse et a nobis ultro rejici atque damnari.

ERRATA

Pag.	lin.		Corrige
9	5	gradum.	graduum.
28	8	Innecentius	Innocentius.
36	9	divinissimae.	divinissima.
42	8	forman	formam.
46	22	risoluzone.	risoluzione.
112	2	Memorialum.	Memorialium.
186	28	deliquentem.	delinquentem.
192	21	caetu.	coetu.
227	1	violationam	violationem.
242	20	effectum	affectum.
245	19	ejus	suam.
263	15	occasionem	occisionem.
265	13	retrahabitur. . . .	retrotrahitur.
272	34	vide	vide *n. 631.*
330	32	minine	minime.
349	19	tanquam	tamquam.
349	24	dioecesum.	dioecesium.
351	12	In	Iis.
356	34	ablectum	adlectum.
380	3	inolitam	receptam.
404	18	emolumenta	emolumentum.
416	18	sciscitavisset.	sciscitatus fuisset.

TRACTATUS CANONICUS

DE

SACRA ORDINATIONE

CAPUT I

NOTIONES PRAELIMINARES.

Articulus I

Quid sit sacra ordinatio.

1. Si ipsum nomen spectas, ordinatio in genere, active considerata, est *actio productiva ordinis,* passive considerata, est ipsa receptio ordinis. Jam vero ordo in genere philosophis est relatio prioris ad posterius, et viceversa (1). Sed magis explicate ordo aliquando significat aptam rerum dispositionem, seu est: *Rerum, unicuique sua loca tribuens, congrua dispositio*, juxta definitionem S. Augustini, *De civ. Dei, XI, XIII.* Si hoc sensu ordo intelligatur, ordinatio active considerata erit actio qua res quaeque in suo loco ponitur. Aliquando ordo indicat gradum dignitatemque (2), aut coetum hominum qui in eo gradu et dignitate reperiuntur, e. g. cum dicitur *ordo senatorius, ordo senatorum* ; aut coetum hominum non constitutorum in gradu et dignitate, sed eamdem artem exercentium, vel eamdem vitam sub communi regula viventium, e. g. cum dicitur *ordo equestris, ordo dominicanus.* Si hoc sensu ordo sumatur, ordinatio active considerata vi vocis erit actio qua quis in eo gradu et

(1) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 1, *quaestiunc.* 2, *ad* 4um.
(2) S. Thomas, *l. c.*

dignitate constituitur, vel illi hominum coetui adscribitur.

2. Cohaerenter ad alteram nominalem significationem, *ordinatio* in jure canonico nonnumquam indicat vel *electionem*, vel *adscriptionem alicui ecclesiae*, et hoc sensu passim in sacris canonibus legitur aliquem *in aliquo loco*, *in aliqua plebe, in aliqua ecclesia ordinari ;* vel *collationem beneficii ab ipso episcopo factam*, e. g. in *cap.* 17, *De praebendis.... in* 6°. At in jure ecclesiastico vox *ordinationis*, et praesertim *sacrae ordinationis*, aut *ordinationis clericalis*, in sensu hodie magis consueto et stricto, reservatur ad significandum *ritum quo confertur potestas sacras perficiendi functiones praesertim ad altaris ministerium* (1) ; quae potestas, seu potestatis gradus, illo ritu collata, dicitur *ordo* in strictissimo sensu, e. g. *ordo subdiaconatus*, *diaconatus...*, sicut etiam dicitur *ordo* coetus personarum quae ea potestate insignitae sunt, e. g. *ordo subdiaconorum*, *diaconorum....* Nos de hac ordinatione et ordine in hoc tractatu agimus.

3. Alias describemus praecipuos singularum ordinationum ritus, et functiones singulorum ordinum : interim animadvertimus dici in definitione *ad altaris ministerium*, quia quaelibet ordinatio et ordo, saltem sensu quo hodie sumitur, dirigitur ad Eucharistiam (2), licet non ad solam Eucharistiam (3). Ita episcopatus est ad altaris ministerium, quatenus episcopus, plenitudinem sacerdotii habens, potestatem sacerdotalem obtinet, et procreat ipsos etiam sacerdotes ; sed insuper episcopus habet potestatem confirmandi etc. ; Presbyteratus quatenus presbyter ipsum divinum sacrificium offert; sed insuper presbyter habet potestatem remittendi et retinendi peccata etc.; Diaconatus quatenus est immediatum vestibulum sacerdotii, et praeterea immediate ministrat ad altare, in quo consistit praecipua diaconi functio, dum aliae ejusdem functiones, nempe praedicandi et

(1) Phillips, trad. par Crouzet, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, I, § 36.

(2) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *quaest.* 2, *art.* 1, *quaestiunc.* 2 et alibi passim.

(3) Pirhing, *I, XI,* ab initio.

baptizandi, alienae per se sunt ab altaris ministerio; Subdiaconatus quatenus est via ad diaconatum, et ita mediate ad sacerdotium, et insuper in suis functionibus accedit ad sacrificium Missae, licet minus proxime quam diaconatus; et ita proportionate repetas de acolythatu. Functiones autem trium ultimorum ordinum minorum, in se consideratae, non attingunt directe Eucharistiam, sed nihilominus hujusmodi ordinationes et ordines et ipsamet prima tonsura sunt ad altaris ministerium quatenus sunt gradus remotiores ad sacerdotium; ii enim clerici in habitu et tonsura clericali, humiles functiones proprii ordinis adimplentes, probati progressive in pietate et bonis moribus, ad presbyteratum contendunt. Vide verba Conc. Trid. relata *n. 30.*

4. Ex dictis patet ordinationem et ordinem, de quibus nos loquimur, esse inter se sicut causam et effectum. Ordinatio est causa ordinis, et ordo effectus ordinationis; sine ordinatione ordo ne intelligi quidem potest, et ita etiam ordinatio sine ordine. Quamquam autem haec verissima sint, tamen in usu loquendi ecclesiastico frequenter ipse ordo appellatur ordinatio, idest ordinatio sumitur in sensu passivo; et viceversa ipsa ordinatio appellatur ordo; e. g. cum dicitur: *Ordo est sacramentum*, idest: *Ordinatio est sacramentum.* Ad rem Ben. XIV, *De syn.*, *VIII*, *IX*, *n.* 2: « Ordinem seu verius sacram illam caeremoniam qua inaugurantur Ecclesiae ministri, cujus effectus est ipse ordo, esse verum et proprium novae legis sacramentum, perfracte quidem negarunt Lutherus etc... (1) ». Ita etiam Magister Sententiarum definit ordinem (idest ordinationem): *Signáculum quoddam Ecclesiae per quod spiritualis potestas traditur ordinato*; in qua definitione « *signaculum* non ponitur.... pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis et causa »: S. Thomas, *4 Sent.*, *dist.* 24, *quaest.* 1, *art.* 1, *quaestiunc.* 2. Angelicus *l. c.* hanc definitionem approbat: hoc unum posset animadverti in ea deesse relationem ad sanctissimam Eucharistiam, de qua S. Thomas, *l. c.*, *quaest.* 2, *art.* 1,

(1) Vide etiam Conc. Trid., *sess. XXIII, can.* 3, quem *n.* 10 citamus; Reiff., *I*, *XI*, *n.* 1.

quaestiunc. 2, ita ut e. g. juxta hanc definitionem etiam diaconissis competeret ordinatio et ordo in stricto sensu; nisi dicamus diaconissas excludi per illud *ordinato* in genere masculino.

5. Ex dictis apparet etiam non haberi stricto sensu ordinationem et ordinem de quibus nos loquimur, in sequentibus casibus:

1° Si legitimus superior alicui concedit absque ullo ritu externo potestatem aliquas perficiendi sacras functiones. Haec concessio non est ordinatio, ut patet, et ideo neque haec potestas est ordo, si proprie loqui velimus, sed simplex officium. In antiqua Ecclesiae disciplina plura hujus rei exempla fuisse, vide *n. 15, 17*. Hodie exemplum est tum in presbytero cui R. P. privilegium concedit conferendi tonsuram et aliquos ordines; tum in abbate, cui aliquando etiam citra benedictionem ipsum jus confert potestatem dandi tonsuram et ordines minores suis subditis regularibus (1); de quibus nos fuse loquemur in *cap. V.*

6. 2° Si potestas sacras perficiendi functiones datur quidem occasione alicujus ritus sacri, sed non *per ipsum sacrum ritum*. Hinc e. g. licet abbas benedictus possit conferre suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines, tamen benedictio abbatis non est ordinatio, ejusque potestas non est ordo; quia haec potestas non datur *per ritum* benedictionis abbatialis, cum in hoc ritu ne verbum quidem de hac potestate, sed potius ab ipso jure in actu benedictionis.

7. 3° Si ritu quidem externo datur potestas aliquas perficiendi sacras functiones, sed sine ulla relatione ad altaris ministerium. Hac ratione diaconissae in primis Ecclesiae saeculis (*n. 133 sequ.*) non recipiebant ordinationem et ordinem in nostro stricto sensu, sed merum officium, licet constituerentur ritu externo simili ordinationi diaconorum; nam neque earum functiones referebantur ad Eucharistiam, neque earum potestas erat gradus ad sacerdotium. Quod si cum nonnullis ordinationem definias: *Deputationem per-*

(1) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *q.* 1, *art.* 1, *quaestiunc.* 3, *ad* 3um.

petuam personae ad sacra, in hoc latiori sensu ordinatio et ordo etiam diaconissis convenirent.

8. 4° Tandem si una cum ritu externo nulla prorsus datur potestas sacras functiones perficiendi : tunc enim ordo in sensu explicato ne intelligi quidem potest, et ideo nec ordinatio. Talem esse ritum primae tonsurae, fusius dicemus *n. 28*.

9. Haec ordinatio, cujus dedimus notionem, dicitur *sacra*, tum quia ipse ritus in se est sacramentum vel saltem sacramentale, tum quia potestas eodem collata sacra est, et sacrae etiam functiones hujus potestatis. Hinc in strictiori sensu appellantur *ordines sacri* vel *ordinationes in sacris* tantum presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus (*n. 29*), quia scilicet eorum functiones, proximius sacrificium Missae attingentes, magis sacrae sunt, et ideo etiam constitutis in his ordinibus continentia indicitur, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant (1). Dicitur etiam ordinatio *clericalis*, quia clericorum qui prima tonsura fiunt, propria est.

10. Est de fide quamdam saltem sacram ordinationem esse verum et proprie dictum sacramentum novae legis, idest Christum D. huic ritui adnexam voluisse vim producendi gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Id definivit contra Protestantes Conc. Trid., *sess. XXIII*, *can. III* : « Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. institutum, vel esse figmentum humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi et sacramentorum ; A. S. ».

11. Est pariter de fide sacram ordinationem, quae est sacramentum, simul imprimere, ad instar sacramenti baptismatis et confirmationis, indelebilem characterem, distinctum a charactere baptismatis et confirmationis : ita ut semel valide collata iterari amplius non possit. Conc. Trid., *l. c.*, *can. IV*, ita statuit : « Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episco-

(1) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *q.* 2, *a.* 1, *q.* 3.

pos dicere : *Accipe Spiritum Sanctum* ; aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse ; A. S. ». Idem definiverat *sess. VII, can. IX,* pro tribus sacramentis baptismatis, confirmationis et ordinis : « Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt ; A. S. ».

12. Has dogmaticas veritates fusius demonstrare, evolvere ac vindicare ad theologos spectat : caeterum de his redibit sermo in *cap. VI.* Cum vero plures sint sacrae ordinationes, in *art. sequ.* videbimus utrum omnes, an quaedam et quaenam habeant rationem sacramenti, et characterem imprimant.

Articulus II

Quotuplex sit sacra ordinatio.

13. Tum Ecclesia Latina, tum Ecclesia Orientalis habet plures ordinationes et relativos ordines, alios aliis superiores ; quorum harmonica dispositio dicitur *sacra hierarchia ordinis*, a Graecis vocibus ἱερα, *sacer* et ἀρχεῖα, *principatus*. Videamus quinam sit harum ordinationum numerus, quaenam origo, et quaenam ordinationes habeant rationem veri ac proprie dicti sacramenti.

14. In Ecclesia Latina juxta actualem disciplinam sunt sequentes gradus sacrae hierarchiae ordinis in linea descendenti (1) :

Episcopatus ;
Presbyteratus ;
Diaconatus ;
Subdiaconatus ;
Acolythatus ;
Exorcistatus ;
Lectoratus ;

(1) Pontificale Romanum, *De ordinibus conferendis* ; Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. II.*

Ostiariatus ;

Prima tonsura.

Ritus singulorum graduum, idest ministrum, matériam et formam cum aliis caeremoniis non essentialibus, vide in *cap. V* ; effectus et nominatim potestatem quae hoc ritu traditur, vide in *cap. VI* ; et tunc habebis plenam uniuscujusque gradus notionem.

15. Non conveniunt eruditi num in anteactis Ecclesiae saeculis aliae quoque fuerint in Occidente ordinationes et ordines in stricto sensu. Certe in monumentis antiquitatis plures personae recensentur quae ordinatis similes videntur, praesertim *psalmistae* seu *cantores*, quorum officium erat psalmos cum cantu in ecclesia recitare ; *fossores*, quorum officium erat operam impendere in sepeliendis fidelium corporibus ; *custodes martyrum*, ita dicti quod ipsis concrederetur custodia ecclesiarum ubi sepulta erant martyrum corpora ; *notarii*, qui curam habebant instrumentorum et tabularum ecclesiae ; *apocrisiarii*, quorum id erat officii, ut, tamquam procuratores, omnes causas ecclesiasticas ad eos a quibus mandatum acceperant attinentes in aula imperatoris agerent ; *hermeneutae* seu *interpretes*, qui ex una in aliam linguam transferebant tam lectiones Scripturarum, quam conciones ab episcopis ad populum habitas ; *defensores pauperum aut ecclesiarum* ; *oeconomi* aliique (1). Jam vero magis arridet ea sententia quod omnes ii gradus, psalmistatu non excepto de quo videtur esse specialis difficultas, fuerint non ordines proprie dicti, sed mera officia (2), quorum alia committebantur clericis, idest personis aliquo ordine insignitis, alia laicis qui ideo inscribebantur in canone ecclesiae, quin clerici idcirco evaderent, licet saepius clericorum privilegiis gauderent ; committebantur, inquam, solo mandato, etiam absque episcopi ministerio, uti de psalmistatu patet ex *Statutis Ecclesiae antiquis* (*Alleg. V*), nec erant via ad sacerdotium.

(1) Vide Ben. XIV, *De syn.*, *VII, IX, n.* 8, ubi documenta citat quae de singulis his personis mentionem habent.

(2) Hallier, *op. cit., p. II, sect. I, cap. I, art. I, § IV* ; Bellarminus, *De clericis, lib. I, cap. XI* ; Ben. XIV, *l. c.*

16. In Ecclesia Orientali non una est apud omnes confessiones disciplina circa ordines ; sed plerumque differentiae non sunt essentiales. Nos in hoc opere indicamus praesertim disciplinam Ecclesiae Graecae, prae oculis habentes classicum opus P. Goar, *Rituale Graecorum*, *pag.* 233 *sequ.* Igitur Graeci juxta praesentem disciplinam sequentes tantum numerant ordines :

Episcopatum ;
Presbyteratum ;
Diaconatum ;
Subdiaconatum ;
Lectoratum.

Caeremonia primae tonsurae est quidem in Ecclesia Graeca, sed lectoratui praemittitur, et ideo distinctim prima tonsura non enumeratur (1).

17. Desunt proinde in Graecorum hierarchia acolythatus, exorcistatus et ostiariatus. Sed ad acolythatum et ostiariatum quod attinet, notandum sedulo est horum ordinum ministeria apud Graecos adnexa esse ordini subdiaconatus, ut patet ex forma ordinationis subdiaconi, de qua in *cap V.* Exorcistatum vero Graeci praetermittunt, quia « exorcista, inquit auctor Constitutionum Apostolicarum, *lib. VIII, cap. XXIV*, non ordinatur ; hoc enim est spontanea concessio divinae erga homines benevolentiae et gratiae (donum curationum) (2) ». At vero id non impedit quominus Ecclesia possit aliquem ritu speciali deputare ad preces seu exorcismos recitandos quibus divina benevolentia et gratia imploratur super energumenum ad daemonem fugandum.

18. Cum vero illi tres gradus, saltem formaliter, desint in hodierna Graecorum hierarchia, quaeri potest num pri-

(1) Goar, *l. c.* ; Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiae Orientalis catholicae*, *p. II*, § 83 ; Ben. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, *septimo Kal. Junii* 1742, § *VII*, *n.* 7. Armeni conveniunt cum Latinis in numero ordinum ; nonnulli alii Orientales primam tonsuram praetermittunt. Antoine, *Theologia Moralis*, *editio amplificata a R. P. Philippo de Carboneano*, *De ordine*, *Appendix*, § *I*. Apud Maronitas cantor est primus ordo minor cui adnexa est caeremonia primae tonsurae, ut videre est in Synodo Montis Libani *an.* 1736, *p. II*, *cap. XIV*, *n.* 2, 37, 48.

(2) De Angelis, *I*, *XI*, *n.* 1 ; Papp-Szilagyi, *op. cit.*, *p.* 11, § 83.

mitiva Ecclesia Graeca illos habuerit. Goar, *l. c.*, *pag.* 237 *sequ.*, putat responsionem affirmativam certam esse, citans Patres scriptoresque Graecos et concilia in Oriente celebrata quae modo unum, modo alium, modo plures horum gradum simul commemorant (1). At censet hos gradus habitos fuisse ut officia, non ut veros ordines ; quae officia successu temporum disparuerunt sive ex negligentia, sive ob rationes allatas *n. praec.* Praeterea in antiqua Ecclesia Graeca alia etiam officia fuerunt analoga officiis Ecclesiae Latinae, et ita erant laborantes seu *copiatae* qui fossorum munera adimplebant, *parabolani* qui infirmos curabant, etc. ; et etiam hodie adsunt *cantores*, et insuper *deputati* seu *cereferarii* qui nostris acolythis accedunt ; sed tum cantores tum deputati sunt apud Graecos officia et non ordines juxta Goar, *l. c.*

19. Innocentius IV, apud Goar, *l. c.*, et apud Quaranta, *Summa Bullarii*, *v. Graecorum ritus*, voluit tres praetermissos ordinationes et ordines introducere apud Graecos Latinorum ditioni et suo legato subjectos : « Volumus et expresse praecipimus, quod episcopi Graeci septem ordines secundum morem Ecclesiae Romanae de caetero conferant, cum huc usque tres de minoribus neglexisse vel praetermisisse dicantur ». Hodie hanc disciplinam apud omnes Graecos esse ab Ecclesia admissam, vide apud Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 6; qui praecipit Graecos in ordinibus conferendis ritum proprium in euchologio descriptum servare debere ; quod de aliis quoque orientalibus confessionibus intelligendum est (2).

20. Primus itaque gradus sacrae hierarchiae ordinis in utraque Ecclesia est episcopatus ; circa quem nonnullae elegantes agitantur quaestiones.

In primis doctrina fidei est, contra presbyterianos et alios protestantes, episcopos esse superiores presbyteris. Id definivit Conc. Trid., *sess. XXIII*, *can. VII* : « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere

(1) Consentiunt Hallier, *p.* 11, *sect. I, cap. I, art. 1*, § *IV*, *n.* 27 ; Scheltratus, *Ad concilium Antiochenum*, *Diss. IV*, *cap. XVIII*, contra Morinum, *De sacris ordinat.*, *Exerc. XVI*, *cap. I.*

(2) Antoine, *l. c.*, *nota* 4.

potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sint, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, A. S. ». Sane quamcumque demum doctrinam profitearis circa naturam episcopatus de qua *n. 22 sequ.*, semper verum est episcopum esse *presbyterum et aliquid amplius*; idest praeter potestatem presbyteralem habere potestatem episcopalem proprie dictam, ac de regula generali Christum velle eum esse rectorem Ecclesiae (*Act.* XX, 28), recepta a R. P. missione seu institutione.

21. Admissa hac episcoporum superioritate, plerique scholastici putant episcopatum non esse ordinem proprie dictum, distinctum a presbyteratu, licet deinde non omnes eodem modo mentem suam positive explicent. Praecipuum argumentum desumitur ex Conc. Trid., *cit. cap. II, sess. XXIII*, ubi de ordinibus agens praetermittit episcopatum, et tantum enumerat *sacerdotium*, diaconatum etc.; praeterea rubrica capitis est: *De septem ordinibus*; atqui si episcopatus foret ordo distinctus a presbyteratu, rubrica deberet esse: *De octo ordinibus* (1). Sed salva tot ac tantorum theologorum auctoritate, haec doctrina, obscura, confusioni idearum innixa, hodie ab omnibus est derelicta et derelinquenda prorsus est, ac firmiter tenendum episcopatum esse ordinem proprie dictum distinctum a presbyteratu (2).

(1) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *q.* 2, *art.* 1, *quaestiunc.* 2; et *qu.* 3, *a.* 2; S. Bonaventura, *in eadem dist.*, *q.* 3; Card. Capisucchius, *Controv. theol. selectae, Controv. XXVII, De episcopatu*, § 2, ubi refert *octoginta* auctores, quos ipse profitetur fere omnes vidisse, inter quos, praeter citatos, Scotum, InnocentiumV, Estium etc.; Santi, *I, XI, n.* 2, *sequ.* qui fatetur contrariam sententiam esse communiorem, De Angelis, *n.* 1.

(2) Hanc doctrinam Bellarminus, *De ordine, cap. V*, appellat *certissimam*; Soto, *De ordine, sect. IV, certa fide admittendam*; adeo ut juxta Medina, *De sacr. hom. cont. lib. I, cap. XV, periculosum sit contrarium defendere*; Schmalz., *I, XI, n.* 4; Vasquez, *tom. VII, De sacram. ord., dist.* 240, *cap.* 11; Hurter, *tom. III*, n. 698; Perrone, *De ordine, cap. II, n.* 78; Phillips, *tom. I*, § 36; Pirhing, *I, XI, n.* 3; Navarrus, *Man. Prael., XII, n.* 18; Fagnanus, in *comm. cap. I, De ordinatis ab*

Sane cum episcopatus sit ritus quo confertur potestas sacras perficiendi functiones praesertim ad altaris ministerium, patet manifeste esse ordinationem et ordinem proprie dictum. Cumque tum ritus, tum potestas eodem collata toto coelo distet a ritu et potestate presbyteratus, patet manifeste episcopatus ordinationem et ordinem omnino distingui ab ordinatione et ordine presbyteratus. Neque ex Conc. Trid., *l. c.*, aliquid in contrarium deduci potest. Nam sciendum est, *sacerdotium* juxta Patrum loquendi modum, esse nomen genericum, quod sub se comprehendit duas species equidem inter se distinctas : episcopatum, qui a patribus appellari solet *sacerdotium primi ordinis*, et presbyteratum, qui dici consuevit *sacerdotium secundi ordinis* (1). Jam vero etiam Conc. Trid., *l. c.*, sumpsit vocem *sacerdotii* in hoc sensu generico ; hinc in Synodo Montis Libani pro Maronitis, *an.* 1736, a Sede Apostolica in forma specifica probata, *cap. XIV*, *n.* 2, relato ad verbum Tridentino decreto, notatur expresse intra parenthesim nomine sacerdotum comprehendi episcopos et presbyteros. Quo posito, nullatenus sequitur ex Tridentini verbis episcopatum non esse ordinem proprie dictum a presbyteratu distinctum. Quoad rubricam capitis responsio peremptoria est inscriptionem capitum non esse Concilii, sed postmodum affixam fuisse (2) : qui eam affixit, perlegit in capite *sacerdotium*, *diaconatum*, etc., et ideo scripsit : *De septem ordinibus*.

22. Sed his positis, alia controversia est inter doctores catholicos, quae ipsam episcopatus naturam pressius attingit.

23. Nimirum communior est theologorum ac canonistarum sententia ordinationem episcopalem natura sua conferre tantum potestates episcopales proprie dictas, idest

episcopo qui renuntiavit episcopatui ; Reiff., *I*, *XI*, *n.* 26, *sequ.*, *certa adeo ut oppositum tenere sit periculosum* ; Ferraris, *Bibliotheca etc.*, *v. Episcopatus*, *n.* 5.

(1) Hallier, *op. cit.*, *p. II*, *sect. I*, *cap. I*, *n.* 21, ubi plura concilia, patres, et scriptores ecclesiasticos citat ; Reiff., *l. c.*, *n.* 27.

(2) Phillips, *op. cit.*, *I*, § 36 : « Ce titre, étranger à la rédaction primitive, est tout simplement une formule posthume des éditions postérieures du Concile de Trente » ; Hurter, *l. c.*, *n.* 710.

potestatem ordinandi, potestatem confirmandi, potestatem faciendi alias functiones ecclesiasticas jure canonico reservatas episcopo, potestatem pascendi, recepta a R. P. legitima missione, et non includere eminenter presbyteratum aliosque inferiores ordines, ita ut non sit nisi extensio et complementum presbyteratus. Hinc ordinatio episcopalis est valida, si subjectum habet presbyteratum, licet alios ordines non receperit; qui alii ordines continentur eminenter in presbyteratu, ac proinde hic presbyter ordinatus in episcopum omnes ordines habet vel formaliter vel eminenter, et ideo nil mirum si omnes dare valide potest. At ordinatio episcopalis est nulla si subjectum non habet presbyteratum, licet omnes alios ordines receperit, quia complementum seu extensio alicujus rei ne concipi quidem potest sine ipsa re. Argumenta quae patroni hujus sententiae afferunt, non sunt nisi diversae expositiones ejusdem sententiae (1).

24. Hunc episcopatus conceptum rejiciunt prorsus principes inter eruditos in antiquitatibus ecclesiasticis, utpote indignum dignitatis episcopalis, et contrarium ecclesiasticae traditioni; quibus alii non pauci adstipulantur (2). Juxta ipsos ordinatio episcopalis natura sua confert plenum sacerdotium, quod, praeter potestates episcopales proprie dictas, comprehendit etiam potestates hodie stricte presbyterales, licet per accidens subjectum presbyteratu insignitus non sit; ad eum modum quo juxta omnes diaconatus confert

(1) S. Thomas in 4, *dist.* 24, *q.* 3, *art.* 2; Hallier, *p. II, sect. I, cap. I, art. II,* § *V*; Giraldi, *II, sect.* 95; Schmalz., *V, XXIX, n.* 2; Pirhing, *n.* 3; Bellarminus, *De ordine, cap. V*; Vasquez, in 3 *p. S. Thomae, tom. III, disp.* 240, *cap. IV et V*; Catalanus, *Comm. in Pontificale Romanum, tit. XIII, De consecratione electi in episcopum,* § *VII, n.* 3; Santi, *I, XI, n.* 3.

(2) Thomassinus, *p. I, lib. I, cap. I, n.* 5 : « Non facile in mentem venire poterat quidquam, quo magis obscuraretur et vilesceret, quam Christus esse sanxit inter Ecclesiae suae dignitates praecellentissimam ». Phillips, *tom. I,* § 36; Mabillonius, *Comm. praev. in Ordines Romanos,* § 12; P. Pagius, *Vita Sabiniani, tom. I, pag.* 202; Martene, *De ant. eccl. rit., cap. VIII, art. III, n.* 9 *et* 10; Riganti, *Reg. XXIV Cancell. Apost.,* § 1, *n.* 12; Avanzini, *Comm. in const. Apostolicae Sedis, n.* 7, *c*); Bingham, *Orig. Ecc., II, X, n.* 5; Moretti, *Storia di S. Maria in Trastevere, in Append.*; Sandini in *notis ad vitam S. Leonis M.*

potestatem ministerialem in qua inferiores ordines eminenter continentur, etsi subjectum per accidens eosdem receperit. Hinc ad validitatem ordinationis episcopalis, non praerequiritur in subjecto nec presbyteratus nec alii ordines inferiores; sicuti ad ordinationis presbyteralis validitatem non praerequiritur in subjecto diaconatus aliique ordines inferiores; et ita de caeteris ordinationibus. Cum igitur ordinatio episcopalis, non supponens de necessitate sacramenti ullum ordinem, conferat plenam sacerdotalem potestatem, sequitur ordinem episcopalem non esse extensionem et complementum presbyteratus; sed potius esse totum, cujus presbyteratus est pars in illo contenta; sicuti ordo diaconalis seu ministerialis non est extensio et complementum ordinum inferiorum, sed est totum, cujus singuli illi ordines sunt pars in illo eminenter contenta.

Hanc suam doctrinam ipsi confirmant exemplo illorum qui ordinati fuerunt in episcopos cum plena ordinis potestate, praetermisso presbyteratu. Ita Apostoli fuerunt a Christo D. uno ictu constituti episcopi, presbyteri, diaconi (*n. 31*). Ita S. Paulus et Barnabas, *Act. XIII*, 3, fuerunt juxta meliorem sententiam ordinati episcopi (1), et non legitur antea fuisse ordinatos presbyteros. In genere Apostoli, ordinantes episcopos et diaconos, non videntur contulisse presbyteratum in sensu nostro medium inter episcopatum et diaconatum, quia in sacris litteris nulla mentio occurrit de his presbyteris, cum nomen *presbyterorum* (*seniorum*), de quo passim in S. Scriptura, indicet episcopos proprie dictos, constitutos nempe in primo gradu hierarchiae, sicuti nomen *episcoporum*; prouti patet ex *epist. ad Tit. I*, 5; *ex epist. 1 ad Tim., III*; *ex Act. XX*, 17, etc.; imo epistola ad Philippenses, *I*, 1, dirigitur *omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis cum* EPISCOPIS ET DIACONIBUS; et S. Clemens, apostolicae traditionis testis, ait in *epist.* 1ª *ad Cor.*, 42: « Apostoli per regiones verbum praedicantes constituerunt *episcopos et diaconos* ». Tandem plures RR PP., assumpti ad supremum pontificatum, dum erant diaconi, ordinati fue-

(1) Cornelius a Lapide in hunc locum, *v. Imponentesque eis manus.*

runt episcopi, quin ullatenus constet prius ordinatos fuisse presbyteros, uti e. g. Stephanus I, Paulus I, Adrianus I, Stephanus V, Valentinus II, Nicolaus I (1). Quam disciplinam tunc temporis fuisse receptam, clare etiam colligitur ex historia ordinationis antipapae Constantini qui, legitime electo Stephano IV, ejectus fuit. Liber Pontificalis, *l. c.*, *n.* 264-265, *pag.* 1150, narrat coactum Georgium episcopum Praenestinum Constantino clericatum imposuisse, qui ita clericus effectus Lateranense invasit patriarchium. « Alio vero die illucescente, secunda feria, subdiaconus atque diaconus ab eodem episcopo in oratorio S. Laurentii consecratus est ». Et paulo post, nulla de alia ordinatione facta mentione, pergit narrator: « Adveniente dominico die in basilica B. Petri properans pontifex ab eodem Georgio episcopo Praenestino, et aliis duobus episcopis Eustatio Albanensi et Citonato Portuensi consecratus est ». Neque dicatur omissam esse a narratore presbyteralis ordinationis mentionem ; haec enim hypothesis parum consentanea est minutiori illi relationi omnium quae gesta sunt, praesertim cum rursus infra dicatur : « Georgius Praenestinus qui eum diaconum et pontificem consecravit » ; sed praeterea obstat regula, jam saeculo IX certissime vigens, ut presbyteralis vel episcopalis ordinatio non fieret nisi diebus dominicis, quae proinde fieri non potuit infra duos dies dominicos.

25. Patroni primae communioris sententiae respondent haec exempla rem non evincere. Nam in primis equidem Christus D. unico actu Apostolos fecit episcopos, presbyteros et diaconos ; sed id nil probat, quia Christus D., institutor sacramentorum, virtutem suam sacramentis non alligavit. Praeterea admisso quod *Act. XIII*, 3, S. Paulus et S. Barnabas fuerint ordinati in episcopos, si non legitur antea fuisse ordinatos presbyteros, hoc est argumentum mere negativum nil probans. Silentium vero S. Scripturae de presbyteris proprie dictis, distinctis nempe ab episcopis et a diaconis, ac verba relata S. Clementis facile explicantur, si dicamus

(1) Liber Pontificalis apud Migne, *P. L.*, *tom.* 128, *n.* 227, *pag.* 1083 ; *n.* 257, *pag.* 1135 ; *n.* 292, *pag.* 1166 ; *n.* 427, *pag.* 1255 ; *n.* 455, *pag.* 1278 ; *n.* 579, *pag.* 1358.

Apostolos, ita exposcente majori Ecclesiae nascentis utilitate, in episcopos consecravisse omnes vel plerosque presbyteros ejusdem ecclesiae (1); quo posito, nil mirum si passim in ecclesiis non habebantur nisi diaconi et episcopi, qui tamen prius presbyteratum receperant. Tandem etiam silentium Libri Pontificalis de ordinatione presbyterali illorum RR. PP. est debile argumentum negativum (2), praesertim cum Liber Pontificalis quam brevissime ac succincte acta Pontificum enarret. Antipapa vero Constantinus debuit ordinari presbyter eadem feria secunda qua ordinatus fuit subdiaconus et diaconus, licet jam receptum esset ut ordinatio presbyteralis, sicut et diaconalis, non daretur nisi diebus dominicis. Neque obstat si de ordinatione presbyterali narratio tacet; nam tunc temporis subdiaconus qui ad presbyteratum destinabatur, ordinabatur diaconus, et statim postea presbyter sine ulla temporis intercapedine. Cum igitur diaconatus et presbyteratus una simul conferrentur, auctor Libri Pontificalis, *l. c.*, mentionem facit tantum diaconatus, sicuti in vita Leonis III, Paschalis I, Gregorii IV, Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, Adriani II, Stephani V meminit tantum presbyteratum.

26. Haec est breviter controversia circa episcopatus naturam libera inter catholicos (3), omissis aliis opinionibus minus receptis, quas vide apud Fagnanum in *comm. cap.* 1, *De ordinato ab episcopo qui renuntiavit episcopatui*, *n.* 8 *sequ.* Argumenta peremptoria pro una aliave sententia non sunt. Nos igitur putamus alteram sententiam esse vere pro-

(1) Perrone, *De sacram. ord., cap. III*; Petavius, *Diss. eccl., lib. I, cap. I et II*; Mamachius, *Orig. et ant. Christ., tom. IV, p.* 337 *sequ.*; Chardon, *Histoire des sacrements, part. III, chap. II.*

(2) Ben. XIV epist. *In postremo*, 20 *oct.* 1756, *n.* 11, 12, 13, 14, qui tamen quaestionem funditus non examinat, sed potius *intactas penitus relinquit quaestiones scholasticas satis involutas, praetermittitque accuratum examen praefati historici facti* (n. 15).

(3) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 17 : « Quum nemo prohibeat disceptare num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a diaconatu factus sit transitus ad episcopatum, ordine presbyterali non antea suscepto ».

babilem tum intrinsece tum extrinsece propter tot tantorumque doctorum auctoritatem. In casu practico consulatur S. C. C. vel S. C. S. Officii. Certe praemittenda foret absolute ordinatio presbyteralis, de qua re in *cap. III* dum sermo erit de ordinationibus gradatim conferendis; et deinde consecratio episcopalis foret repetenda; sed ob alterius sententiae probabilitatem repetenda foret sub conditione. Majores essent difficultates, si hic episcopus confirmaverit, ordinaverit, etc.; quae pariter confirmationes et ordinationes essent repetendae sub conditione, si fieri posset.

27. Alios gradus sacrae hierarchiae ordinis infra episcopatum, usque ad primam tonsuram exclusive, esse veras ordinationes et ordines, nemo umquam denegavit.

28. Tandem quod attinet ad primam tonsuram in Ecclesia Latina, hodie recepta sententia est primam tonsuram non esse ordinem proprie dictum. Fagnanus in *comm. cap.* 11, *De aetate et qualitate et ordine praefic.*, *n.* 10 *sequ.* ait hanc esse insignem quaestionem, in qua discrepant theologi a canonistis; canonistas communiter sustinere et primam tonsuram esse ordinem, innixos nonnullis textibus, quos videsis apud eumdem auctorem, *l. c.*; theologos vero putare primam tonsuram non esse verum ordinem, sed tantum dispositionem seu praeparationem ad ordines. Sed seposita canonistarum sententia, doctrina theologorum praevaluit, et hodie communis est inter theologos et canonistas. Probatur ex Conc. Trid. quod in relato *cap. II*, *sess. XXIII* et alibi, primam tonsuram non recenset inter ordinationes et ordines; et etiam in Pontificali Romano, quando agitur de prima tonsura praefigitur titulus: *De clerico faciendo*; non autem: *De clerico ordinando*. Revera si ordinatio est ritus, quo datur potestas sacras perficiendi functiones praesertim ad altaris ministerium, quae potestas est ordo (*n. 2*), cum per primam tonsuram nulla istiusmodi potestas conferatur, sequitur primam tonsuram dici non posse ordinationem et ordinem in stricto sensu. Erit igitur simplex ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo quis ex laico fit clericus (1). Haec

(1) D'Annibale, *III*, § 149, *not.* 4; S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *quaest.* 3,

autem vera sunt, si voces *ordinationis* et *ordinis* in stricto sensu sumamus ; nam nonnumquam sensu lato ipsa prima tonsura dicitur *ordo* et *ordinatio* ; et si materia de qua agitur, communis est tum ordinibus tum primae tonsurae, illae voces etiam primam tonsuram comprehendunt (1). Quando vero in *cit. cap.* 11, *De aetate* etc. traditur per primam tonsuram conferri *ordinem clericalem,* ordo sumitur pro gradu vel dignitate clericali, et idem significat ac per primam tonsuram quem ex laico fieri clericum (2).

Supra diximus (*n. 16*) in Ecclesia Graeca caeremoniam primae tonsurae adnexam esse primae ordinationi.

29. Ex huc usque disputatis apparet ordinationes et ordines, sacram hierarchiam ordinis in praesenti disciplina constituentes, sepositis vocum ambiguitatibus, in Ecclesia Latina esse octo praeter primam tonsuram ; in Ecclesia Graeca esse quinque, sed alios duos esse implicitos in subdiaconatu, sicut prima tonsura est adnexa lectoratui.

Ordinatio episcopi proprio nomine appellatur *consecratio episcopalis.*

Episcopatus, presbyteratus et diaconatus appellantur *ordines hierarchici* veluti per antonomasiam, quia soli sunt institutionis divinae, ut infra videbimus, et soli ab initio sacram hierarchiam constituebant.

Presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus dicuntur in Ecclesia Latina *ordinationes in sacris*, *ordines sacri* in sensu strictiori (*n. 9*) tum propter eorum functiones quae proximiores sacrosancto Missae sacrificio sanctiores sunt, tum propter adnexam continentiae obligationem. Presbyteratus et diaconatus semper habiti sunt ut ordines sacri ; subdiaconatus autem non semper dignitatem ordinis sacri obtinuit, licet obligationem coelibatus in Ecclesia Latina adnexam habuerit usque a primis saeculis. Sed tempore Innocentii III inter sacros ordines computabatur, ut hic pontifex expresse affirmat in *cap.* 9, *De aetate et qualitate*.... Hinc

art. 1, *quaestiunc.* 2, *ad* 3^m^; Santi, *I, XI, n.* 1 ; Pirhing, *n.* 1 ; Schmalz., *n.* 3 ; Reiff., *n.* 10 *sequ.* rem indecisam relinquit.

(1) Hallier, *op. cit., proleg. IV.*

(2) Pirhing, *I, XI, n.* 1 ; Santi, *n.* 1.

quia statutum erat (1) ut nullus in episcopum nisi *in sacris ordinibus* religiose vivens inventus fuerit, eligeretur, Innocentius III, *l. c.*, respondet etiam subdiaconum posse deinceps in episcopum libere eligi, sicuti diaconum vel presbyterum, « cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur ». Igitur saltem ab aetate Innocentii III res certa est (2). Ob easdem rationes ii tres ordines in Ecclesia Latina appellantur *majores*, caeteri *minores*. In Ecclesia autem Graeca subdiaconatus ordinibus sacris seu majoribus non accensetur.

Tandem *ministri* in stricto sensu sunt diaconi tantum qui sacerdoti litanti ministrant; in sensu lato sunt diaconi aliique inferiores clerici.

30. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. II*, ita declarat curnam plures ordinationes et ordines fuerunt instituti : « Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut qui clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent ». Vide quoque S. Thomam, in 4, *dist.* 24, *quaest.* 2, *art.* 1, *quaestiunc.* 2, ubi ex relatione ad altaris ministerium explicat rationem, numerum et gradum ordinum.

31. 2° Modo de origine singulorum graduum sacrae hierarchiae ordinis disserentes, dicimus in primis certum esse primos tres gradus esse divinae institutionis, nempe episcopatum, presbyteratum et diaconatum. Id definivit Conc. Trid., *sess. XXIII, can. VI* : « Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A.

(1) Innocentius III statutum et verba quae refert, tribuit Urbano I, sed revera sunt Urbani II in concilio Beneventano an. 1099 (*n.* 34); pariter decreta quae postea refert sub nomine Urbani II, sunt primum Alexandri II, et alterum Urbani II in synodo Melphiensi an. 1089 (*can.* 11 *et* 12, *dist.* 32 in Decreto).

(2) Thomassinus, *De vet. et nov. Eccl. disc., p. I, lib. II, cap.* XXXIII ; Chardon, *Histoire des sacrements, p. I, chap. I* ; Morinus, *De sacr. ord., p. III, exerc.* 12 ; Santi, *I, XI, n.* 5.

S. ». *Hierarchia divina ordinatione instituta constans episcopis, presbyteris et ministris* indicat clare episcopatum, presbyteratum et ministerium (quod saltem erit diaconatus), esse divinae institutionis. Equidem sacrae litterae non indicant quandonam Christus D. has ordinationes, relativam potestatem conferentes, instituerit, quod et de pluribus aliis sacramentis verum est ; forte eas instituit eo tempore quo a mortuis redivivus per quadraginta dies cum suis Apostolis commoratus est, loquens de regno Dei (1). In ultima coena Christus D. illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, absque ritu externo, ideoque absque proprie dicta ordinatione, fecit Apostolos sacerdotes quantum ad potestatem principalem, idest potestatem sacrificandi, uti definivit Conc. Trid., *sess. XXII, can. II* ; imo et episcopos, cum ipsis fecerit potestatem presbyteros ordinandi eo ipso quod instituerit sacramentum altaris perpetuo duraturum in Ecclesia ab ipsis Apostolis primitus conficiendum. Potestatem vero secundariam ligandi et solvendi eisdem praecipue dedit post resurrectionem illis verbis apud *Joan.*, XX, 23 *: Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, prouti idem Conc. Trid. docet, *sess. XIV, cap. I* (2).

32. Posita autem divina horum trium graduum institutione, non constat quaenam fuerit prima ordinatio episcopalis, vel prima ordinatio presbyteralis ab Apostolis facta, licet ex Actis Apostolorum et ex epistolis S. Pauli constet plures ab eisdem constitutos fuisse episcopos. Prima ordinatio diaconalis fuit ordinatio septem diaconorum, de qua *Act. VI*, 1 *sequ.* Septenarius numerus, ab ipsis Apostolis fortasse ut sacer electus, exinde magis sacer evasit, ita ut religiose diu servatus sit. Testis est *can. 15* concilii Neocaesariensis (a. 314) expresse prohibens ne in ulla civitate, quantacumque sit, plusquam septem forent diaconi. In ipsa Ecclesia Romana, licet medio saeculo tertio valde

(1) *Act., I.*
(2) S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *quaest.* 2, *art.* 3, *ad* 2um.

dilatata, septem tantum erant diaconi (1), referente ipso Cornelio Papa in epistola ad Fabium Antiochenum, quod etiam pro suo tempore testatur Sozomenus (2). Tractu temporis in majoribus Ecclesiis facile accidit ut septem illi diaconi nimio ministerio onerarentur ; hinc aliorum ordinum institutio, de qua mox ; hinc etiam sequioribus saeculis (Romae saec. XI vel XII) diaconorum auctus numerus.

33. Quoad subdiaconatum et ordines minores, hodie communis sententia est eos non esse a Christo D. institutos. Sane eorum divina institutio ex una parte non probatur, et ex alia excluditur tum exemplo Ecclesiae Orientalis quae exorcistatum (sicuti nec acolythatum et ostiariatum explicite) in suis euchologiis numquam recensuit a duodecim saltem saeculis ; tum ex eo quod aetate Apostolorum et primis duobus saeculis omnes ii gradus non videntur neque in Oriente neque in Occidente extitisse, de qua re infra. Si enim ii gradus fuissent a Christo D. revera instituti, Ecclesia eos omnes semper et formaliter habuisset. Neque dicas Christum D. illos instituisse, sed introducendos ab Ecclesia in sacram hierarchiam pro data opportunitate ; nam verosimile non est hanc opportunitatem defuisse integris duobus primis saeculis in universa terra, et adhuc deesse in Oriente pro acolythatu, exorcistatu et ostiariatu. Igitur longe probabilius est, ne dicamus omnino certum, subdiaconatum et minores ordines non esse institutionis divinae, sed institutionis merae ecclesiasticae (3).

34. Hoc autem posito, horum graduum originem historicam indagare est operosum, assequi vero fere impossibile. In sacris litteris nulla eorum mentio occurrit. Urbanus II in Concilio Beneventano (an. 1091) *can.* 1, aperte docet in primitiva Ecclesia hos gradus non fuisse : « Nullus deinceps in

(1) Eusebius, *Hist. Ecc., lib. VI, cap. XLIII.*

(2) *Hist. Ecc., lib. VII, cap. XIX.*

(3) Perrone, *Tractatus de ordine, cap. II* ; Morinus, *op. cit., Exercit. XI, cap. I*, ubi fusissime ; Hurter, *tom. III, n.* 709 ; Lehmkuhl, *Theologia Moralis, II, n.* 581, 582 ; S. Alphonsus, *VI, n.* 739 ; Thomassinus, *p. I, lib. II, cap.* 40, putans esse divinae institutionis tantum quatenus in diaconatu continentur ; Tarquini, *Jur. Ecc. Pub. Institutiones, lib. II, cap. I* ; Phillips, *tom. I*, § 36 ; Goar, *l. c., pag.* 247, *n.* 10.

episcopum eligatur nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. *Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse : super his solum praeceptum habemus Apostoli*, etc. ». Idem affirmat Gratianus initio *dist.* 21 : « Levitas ab Apostolis ordinatos legimus... Subdiaconos et acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit ». Idem repetit Magister sententiarum, *lib.* 4, *dist.* 24, et S. Thomas, in *cap.* 3, *epist.* I *ad Timoth.*, *lect.* 2. His omnibus praeiverat Amalarius, *De divinis officiis*, *lib. II*, *cap.* 6, citans etiam S. Ambrosium in tractatu super epistolam ad Timotheum (1). Primum documentum, quod hos gradus, simul saltem, recenset, est epistola Cornelii Papae (a. 255) ad Fabium Antiochenum, ubi Romanum clerum enumerans haec habet : « Ille ergo evangelii vindex (Novatianus, quem ita per ironiam appellat) ignorabat unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica ? in qua non eum latebat (quomodo enim latere potest ?) presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quadraginta duos ». Etiam S. Cyprianus in suis epistolis omnes istos gradus commemorat, excepto ostiariatu, de quo omnium infimo loquendi occasionem forte non habuit. *Statuta Ecclesiae antiqua*, quae disciplinam tradunt Ecclesiae Arelatensis tempore S. Caesarii (2), describunt (*Alleg. V*) ritus conferendi singulos hos ordines.

Equidem Conc. Trid., *sess. XXIII cap. II*, docet *ab initio Ecclesiae* hos gradus fuisse receptos : « Ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum (a diaconatu) nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et a sacris conci-

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *VIII*, *IX*, *n.* 10.

(2) Cf. Maassen, *Geschichte der Quellen*, etc., p. 382 ; Malnory, *Les statuta Ecclesiae antiqua. Congrès scientifique international des catholiques*, de 1888, T. II, p. 428.

liis refertur, in quibus et de aliis inferioribus saepissime legimus ». Sed illud *Ecclesiae initium* intelligi latiori sensu debet de primis Ecclesiae saeculis, inter quae tertium comprehenditur. Imo Conc. Trid., eadem *sess. XXIII, cap. XVII, de ref.*, ait: « Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum *functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquandiu intermissae*, in usum juxta sacros canones revocentur... ». Haec verissima sunt *de horum ordinum functionibus*, quae ab initio a diaconis exercebantur, quaeque nonnisi subsequentibus saeculis speciali ritu aliis commissae fuere.

35. Ecclesia autem in hac institutione sic processit (1). Inferiores ordinis diaconalis functiones aliis committere voluit, tum quia diaconi tot tantisque muneribus quae in *cap. VI* describimus, aucto praesertim fidelium numero, sufficere non poterant, tum etiam ut clero adscripti, dein etiam clericali tonsura insigniti, per minores ordines probati ad majores ascenderent. Jus divinum in primis tribus gradibus imitata, statuit ut potestas has functiones perficiendi daretur ritibus externis, iis similibus, quibus majores ordines conferebantur; minister ordinarius foret episcopus cum debita intentione (salvo jure R. P. aliis privilegium concedendi); episcopus, servato ritu, semper valide hanc potestatem conferret, quae semel valide collata numquam amitteretur. Apud Graecos juxta actualem disciplinam functiones ostiarii et acolythi commissas voluit subdiacono; e contrario apud Latinos omnes has functiones, et functiones exorcistae distinctis personis concredidit cum tribus ordinationibus et ordinibus. Demum subdiaconatui adnexam voluit, temporis decursu, obligationem coelibatus et breviarii.

36. Tandem primam tonsuram ab Ecclesia fuisse introductam nemo hodie dubitat. Ut ejus originem historicam breviter investigemus, in primis animadvertimus juxta modum loquendi sacrorum canonum distingui *tonsuram* et

(1) Phillips, *tom. I*, § 34; Tarquini, *l. c.*; Chardon, *Histoire des sacrements, p. I, cap. III.*

coronam clericorum ; *tonsura* est brevitas capillorum per totum caput, *corona* est abrasio capillorum in vertice capitis ad modum coronae, quam nos tonsuram appellamus.

37. Jam vero ad tonsuram quod attinet, tempore persecutionum certe inter clericos et laicos, inter christianos et ethnicos nulla erat distinctio in capillis, vestitu et toto habitu exteriori. At viri lascivi inter paganos solebant longam comam et nutritam deferre, quod luxuriam sapiebat et vanitatem ; et ideo S. Paulus in I^a^ *ad Cor.*, *IX*, 14, id prohibet christianis : *Vir si comam nutrierit, ignominia est illi.* Hinc mirum non est quod Ecclesia usque a primis temporibus tonsuram capillorum praeceperit clericis, et quando quis primo ordine initiabatur, tunc prius capilli eidem tondebantur. Igitur caeremonia tonsurae seu tonsionis capillorum quae indicat adscriptionem statui clericali, erat adnexa, sicut hodie in Ecclesia orientali, primae ordinationi, quae non semper erat ordinatio ostiarii, sicuti hodie apud Graecos adnexa est ordinationi lectoris ; et ideo clerici cum sola tonsura incogniti erant. Circa finem saeculi VII caeremonia primae tonsurae in Ecclesia Latina separari coepit ab ordinatione (1). Cum enim pii parentes altari infantes offerrent, oblati infantes, quia ordinari non poterant, tondebantur vel ab episcopo, vel ab alio seu clerico seu etiam laico, et habitu clericali induebantur ut ita magis magisque significaretur eorum consecratio Deo, ac parentes ne cogitarent quidem de ipsis a servitio ecclesiae retrahendis. Deinde haec initiatio clericalis, separata ab ordinatione per caeremoniam primae tonsurae et assumptionem habitus clericalis, etiam ad adultos extensa fuit, sed item perfici poterat etiam ab aliis praeter episcopum tum clericis tum laicis ; imo ipse candidatus poterat suis manibus seipsum tondere (2). Tandem Ecclesia hanc initiationem probavit lege generali, et episcopo reservavit.

(1) Phillips, *tom. I*, § 34 ; Morinus, *De sanctis ord.*, *p. III*, *exerc. XIV*, *cap. III* ; Chardon, *Histoire des sacrements*, *p. I*, *chap. III* ; sed Mabillonius, *Praefat. in saec. III*, hanc consuetudinem antiquiorem esse putat.

(2) Phillips, *l. c.*, Mabillonius, *Acta ord. S. Ben.*, *tom. III*, *praef. n.* 1 ; Devoti, *Jus. can. un.*, *II*, *p.* 133 ; Chardon, *l. c.*

38. Quoad coronam, abrasio capitis apud Graecos et Romanos erat ignominiosa, imo erat signum servitutis; et ideo S. Hieronymus, in *Ezechielem*, *cap. XLIV*, vult clericos aeque alienos a longa nutrita coma et a capitis abrasione. Praecise ut ignominiam sibimet conciliarent, monachi, perfectionem sectantes, totum suum caput radere coeperunt, prouti nonnulli ordines religiosi etiam hodie observant. Ipsorum exemplum imitati sunt clerici saeculares, atque ita introducta clericalis corona circa finem saeculi V, aut initium saeculi VI. Ex S. Hieronymo, *l. c.*, aperte constat coronae disciplinam suo tempore nondum receptam fuisse. Attamen ab initio corona amplior erat, totum verticem capitis occupans, circulo capillorum terminabatur, sicuti nostris diebus corona aliquorum regularium (1).

39. 3° Ex dictis de origine harum ordinationum solvi debet alia quaestio maximi momenti, utrum scilicet omnes, an quidam tantum et quinam gradus hierarchiae ordinis sint vera ac proprie dicta sacramenta. In primis dubium non est primas tres ordinationes episcopatus, presbyteratus et diaconatus veri sacramenti rationem habere. Nam verum ac proprie dictum sacramentum est ritus a Christo D. institutus conferens gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Atqui eae ordinationes institutae sunt a Christo D. (*n. 31*); et insuper non solum gratiam producere ex opere operato, sed etiam characterem imprimere, desumitur ex Conc. Trid., *sess. XXIII, can. IV*: « Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere : *Accipe Spiritum Sanctum*, aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, A. S. ». Illud porro : *Accipe Spiritum Sanctum*, episcopus pronuntiat tum in consecratione episcopali, tum in ordinatione seu presbyterali seu diaconali. Sententia igitur Durandi, Cajetani et aliorum paucorum qui negant ordinationi diaconali rationem veri sacramenti, deserenda omnino est.

40. Liceat hic obiter animadvertere exinde rursus con-

(1) Concilium Toletanum *IV, can.* 41.

firmari harum trium ordinationum divinam institutionem et quidem immediatam. Nam Conc. Trid., *sess. VII, can. I*, definivit Christum D. instituisse omnia sacramenta novae legis. Ut haec Tridentina definitio vera sit, sufficit Christum D. externis sacramentorum ritibus alligavisse vim producendi gratiam ex opere operato, et, quoad nonnulla sacramenta, imprimendi characterem, sive hos ritus ipse instituerit, sive mandaverit Ecclesiam instituere, et institutos ab Ecclesia ipse ratos habuerit (1). Quamquam vero id sufficiat ad anathema vitandum, tamen hodie communiter theologi docent ipsum Christum D. omnia sacramenta immediate instituisse, et non tantum ministerio Ecclesiae; quod citatus canon Tridentinus sensu obvio acceptus indicat (2). Idem igitur dicendum erit de primis tribus ordinationibus: et ideo rejicimus mediatam, quam nonnulli adstruunt, divinam originem diaconatus, eo vel magis quod Conc. Trid., citato (*n. 31*) *can. VI, sess. XXIII*, primis tribus ordinationibus eamdem assignet institutionem.

41. E contrario longe probabilius, ne dicamus certum, et apud recentiores passim receptum est alias ordinationes infra diaconatum non esse verum sacramentum; sunt enim institutae ab Ecclesia (*n. 33*), nec aliquid legitur quo ii ritus efficaces gratiae demonstrentur (3). Quod si eae ordinationes, semel valide collatae, numquam repeti debent, id facile quoque explicatur ex voluntate Ecclesiae quae eas instituit ad instar ordinationum juris divini, quin necesse sit admittere eas characterem indelebilem in anima imprimere. Idem repetas de obligationibus subdiaconatui adnexis.

42. Tandem indubium hodie omnibus est primam tonsuram esse simplex sacramentale; nam ita est institutionis ecclesiasticae ut neque vera ordinatio et ordo dici queat. Nonnulli quidem veteres canonistae putaverunt et primam

(1) Franzelin, *De sacram. in gen., Thesis XV.*

(2) Franzelin, *l. c.* et *Thesi V*; De Lugo, *De sacram. in gen., disp. II, n.* 81 *sequ.*; *disp. VII, sect. I.*

(3) Ita auctores quos *n.33* citavimus; contra D. Thomam, in 4, *dist.* 24, *q.* 1, *art.* 2, *quaestiunc.* 2, cum scholasticis non paucis; Schmalz., *I, XI, n.* 2; Reiff., *n.* 8.

tonsuram esse sacramentum imprimens characterem, sed eorum sententia cito recessit ab aula.

43. Igitur primi tres gradus sacrae hierarchiae ordinis in utraque Ecclesia sunt vera et proprie dicta sacramenta ; caeteri sacramentalia. Proinde sacramentum ordinis *genere* est unum, idest sacramentum consistens in ritu externo quo ex Christi institutione confertur ex opere operato potestas sacras faciendi functiones, praesertim ad altaris ministerium, cum gratia et charactere ; et hoc sensu sacramenta novae legis sunt septem. At *specie* est triplex, quatenus ii ritus-sacramenta sunt tres ; et hoc sensu sacramenta novae legis sunt novem (1).

44. Ex huc usque dictis deduces hoc practicum corollarium. Qui culpa lethali maculatus, aut violans legem obligantem sub gravi, confert aut recipit unam ex tribus primis ordinationibus, sacrilegium committit : quod erit duplex, quia una simul Missam celebrat aut sacram communionem suscipit. E contrario qui taliter confert aut recipit subdiaconatum, vel unum ex minoribus ordinibus, aut primam tonsuram, longe probabilius est, imo vix non certum, sacrilegium per se non committere, quia ordinatio sacramenti rationem non habet (2), praescindendo a sacrilegio quod perpatrat si Missam celebrat, aut sanctam communionem suscipit. Sed qui confert aut recipit unum ex his gradibus violans scienter legem graviter obligantem, e. g. legem censurae, aut irregularitatis, committere peccatum mortale, evidens est : si autem lex leviter obligat, e. g. lex prohibens ordinationem non confirmati, peccatum est leve. Minister qui in statu peccati mortalis confert primam tonsuram, valde leve peccatum committit ; qui confert ordines minores, pariter probabile est peccare tantum venialiter, cum ratio sacramenti desit (3) ; quod et de subdiaconatu intelligimus ob eamdem rationem, quamvis peccatum veniale in casu sit gravius, cum sacramentale sit magis solemne. Haec repetas de suscipiente hos gradus in statu peccati mortalis :

(1) Vasquez, *tom. VII, disp.* 233, *cap. III.*
(2) Ben. XIV, *De syn., VIII, IX, n.* 12.
(3) S. Alph., *VI, n.* 767.

nimirum suscipiens primam tonsuram et ordines minores, levis tantum peccati reus est, quia ii gradus non sunt sacramenta, sed sacramentalia (1); proinde etiam suscipiens subdiaconatum, licet ejus peccatum veniale gravius sit. Haec meminisse juvabit in expositione hujus tractatus.

(1) Navarrus, *De orat. et hor. can., cap. VII, n.* 15, contra Hallier, *p. I, sect. IV,* § *I, n.* 4, et Natal. Alex., *De sacram. ord., art. V, reg.* 21, qui putant etiam suscipientem primam tonsuram in statu peccati mortalis peccare mortaliter.

CAPUT II

DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS.

Articulus I

De tempore sacrae ordinationis (1).

45. In Ecclesia Graeca nullum certum tempus ordinibus conferendis praefixum est; qui dari possunt quovis anni tempore, quovis infra hebdomadam die (2), non solum ordines minores (lectoratus et subdiaconatus) sed etiam ordines majores (diaconatus et presbyteratus) et etiam episcopatus. Hunc morem in Ecclesia Alexandrina supponit epistola S. Leonis M. ad Dioscorum episcopum; item illum supponit et tolerat Innocentius III *in cap.* 9 *et* 11, *De temp. ord.* juxta textum completum. At episcopatum, presbyteratum et diaconatum Graeci conferunt infra Missarum solemnia; subdiaconatum ante Missae principium; lectoratum etiam extra Missam (3). E contrario in Ecclesia Latina tempora ordinationum habendarum statuta sunt.

Hoc autem praesupposito, quaeritur quid juris si ex apostolico indulto candidatus Graecus ordinatur ab episcopo Latino, aut viceversa? Responsio generalis pro omnibus ordinibus est, servandam esse disciplinam Ecclesiae Latinae, cum haec disciplina afficiat tum episcopum ordines conferentem, tum candidatum ordines recipientem. Id eruitur etiam ex epistola Innocentii III ad episcopum Hydruntinum, cujus epistolae fragmentum refertur in *cap.* 9, *De tempor. ordinat.*, licet haec epistola expresse agat de ordinibus sacris. « Cum secundum ecclesiasticas regulas, ait Innocentius III, et sanc-

(1) Vide canonistas, in titulo *De temporibus ordinationum et qualitatibus ordinandorum*, *XI*, *lib. I Decret.*

(2) Goar, *l. c.*, *pag.* 246, *n.* 3.

(3) Goar, *l. c.*

torum instituta Pontificum sacri sint ordines in certis temporibus conferendi, quidam Graeci episcopi ritus sui et consuetudinis observantiam in Latinos clericos exercentes, eos ad sacros ordines passim provehunt, qui non sunt, praeterquam in quatuor temporibus, conferendi.... Nolumus de caetero commixtiones et consuetudines rituum in ordinibus observari ».

47. Ulterius dubitari potest num tempora ordinationum, in Ecclesia Latina statuta, servanda sint etiam quando supplementum caeremoniae praetermissae vel male positae repeti debet. Huc spectat *cit. cap.* 3, *De sacramentis non iterandis*, ubi Gregorius IX respondet, omissa in ordinatione diaconi et presbyteri manuum impositione tactu corporali, « *statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos* caute supplendum quod per errorem extitit praetermissum ». Sed ut dubium rite solvatur, distinguendum est. Nam si absolute suppletur caeremonia quae certe non est essentialis, hoc supplementum fieri potest quovis anni tempore ; e. g. si facta impositione manuum in consecratione episcopali, omissa fuit unctio capitis et manuum, quae nunc supplenda est. Si absolute suppletur caeremonia quae certe aut probabiliter est essentialis, hoc supplementum fieri nequit nisi statutis a jure temporibus, ut clare statuitur a Gregorio IX, *l. c.*. Tandem si sub conditione suppletur caeremonia sive accidentalis sive essentialis, probabiliter hoc supplementum fieri potest « quovis die et a quovis episcopo, eodemque die poterunt simul conferri ordines tam majores quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem »; S. Alph., *VI, n.* 759.

48. His positis, modo exponenda est disciplina Ecclesiae Latinae circa ordinationum tempora, in primis pro tonsura et minoribus ordinibus, deinde pro ordinibus majoribus, tandem pro episcopatu.

§ 1. — *Disciplina Ecclesiae Latinae circa tempora ordinationum pro prima tonsura et ordinibus minoribus.*

49. In Ecclesia Latina prima tonsura in ordinatione generali confertur infra solemnia Missae pontificalis, et prae-

cise post *Kyrie eleison*, ut patet ex Pontificali Romano in rubrica generali, *De ordinibus conferendis*, ab initio. Attamen conferri etiam potest « extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco » ut idem Pontificale tradit in rubrica, *De clerico faciendo*, et consuetudine universali receptum est conformiter antiquae disciplinae (*n. 37*), licet congruentius in Missa conferatur (1). Etiam quando prima tonsura datur in Missa privata, danda est post *Kyrie eleison*.

50. Juxta veterem disciplinam Ecclesiae saltem Romanae lectoratus dabatur in Missa quacumque etiam privata et non stationali ; alii minores ordines conferebantur privatim in ipsa schola cantorum quocumque die et hora ac extra Missam. De hac re rursus redibit sermo in *cap. V*, ubi de materia et forma horum ordinum. Hodie omnes minores ordines dari possunt « extra Missarum solemnia, diebus dominicis et festivis duplicibus, sed mane tantum », ut docet idem Pontificale in rubrica, *De minoribus ordinibus*, etsi congruentius conferantur in Missa (2). Alexander III in *cap. 3, De tempor. ordin.*, consultus num liceret extra tempora ordinationum in sacris aliquos in ostiarios, lectores, exorcistas vel acolythos promovere, respondet : « Licitum est episcopis dominicis et aliis festis diebus *unum aut duos* ad minores ordines promovere ». Glossa, *l. c., v. duos*, censet episcopum posse et plures ordinare in minoribus, dummodo ordinatio non videatur generalis ; quod alii negant (3). Sed cum Pontificale Romanum doceat minores ordines absque ulla limitatione tradi posse extra tempora, putamus doctrinam Glossae esse praeferendam ; et si Fagnani aliorumque interpretatio *cit. cap. 3* vera est, Pontificale eidem capiti derogavisse dicendum est. Praeterea jus conferendi ordines minores quolibet die dominico et festivo duplici, licet ab

(1) Schmalz., *I, XI, n.* 8 ; Pirhing, *n.* 78 ; Fagnanus, *comm. cap.* 3, *De temp. ord., n.* 4 ; Santi, *I, XI, n.* 6 ; De Angelis, *n.* 6.

(2) Ben. XIV, *De syn., VIII, XI, n.* 4 ; Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. V, art. I, n.* 3.

(3) Fagnanus, *comm. cit. cap., n.* 7 ; Hallier, *p. III, sect. VII, cap. I, art. I* ; Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *I, n.* 34 ; Pirhing, *I, XI, n.* 78 ; Santi, *I, XI, n.* 6.

Alexandro III, *l. c.*, asseratur episcopis, tamen verius et abbatibus competit, eo vel magis quod Pontificale Romanum non distinguit inter episcopos et abbates (1). Caeterum omnes admittunt hisce in rebus standum esse consuetudini, quae est optima legum interpres. Quod si ordines minores collati fuerint extra diem dominicum vel festivum duplicem, poenae in ordinantem et ordinatum jure statutae non sunt.

51. Juxta Pontificale Romanum in ordinatione generali ordines minores conferuntur infra solemnia Missae pontificalis, scilicet ostiariatus post primam lectionem, lectoratus post secundam, exorcistatus post tertiam, acolythatus post quartam ; idque servandum quoties ii ordines dantur in Missa habente septem lectiones. Quod si Missa unicam tantum habeat epistolam, singuli minores ordines dandi sunt post *Kyrie eleison*, sicuti et prima tonsura.

52. Porro, praeter diem dominicum, *dies festivus duplex* quo quis potest minoribus ordinibus initiari, non intelligitur dies qui simpliciter sub ritu duplici ab Ecclesia celebratur, sed est dies festus qui a populo servatur saltem ex parte, vel qui antiquitus servabatur et modo apostolica auctoritate suppressus est e catalogo dierum festorum aut in alium diem translatus. Id probatur ex pluribus Sedis Apostolicae declarationibus.

Revera Fagnanus in *comm. cap.* 3, *De temp. ordin.*, *n.* 42, haec habet : « 1° Praesupposito quod minores ordines possunt conferri diebus dominicis aut aliis festivis, dubitatur an appellatione diei festi comprehendatur festum in quo ab Ecclesia fit officium, an vero debeat esse festum quod a populo colatur. 2° Idem est dubium quoad promovendos vigore dispensationum de promovendo extra tempora diebus festis... Ad 1^um^ S. C. C. censuit comprehendi dies festos qui a populo servantur... Ad 2^um^ idem respondit ». Idem censuit S. R. C. die 24 *Maii* 1835 *ad* 4^um^. Proposito enim dubio : « Cum in Pontificali Romano, titulo *De ordinationibus* habeatur : *Minores ordines possunt dari singulis dominicis et festivis diebus duplicibus*, quaeritur an verba

(1) Pirhing, *l. c.* ; Schmalz., *I, XI, n.* 9.

festivis diebus duplicibus intelligenda sint pro festis de praecepto strictim servandis »; S. C. reposuit *affirmative*.

In una *Marsorum* die 12 *Nov.* 1831 quaesitum fuit ab eadem S. R. C.: « Si episcopo detur facultas conferendi ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? Hisce autem diebus licetne conferre etiam ordines minores? » S. C. reposuit: « Affirmative ad 1^am^ partem; et etiam ad 2^am^; sed mane tantum ».

Idem decretum eadem S. C. dari jussit die 18 *Febr.* 1843 ad episcopum Aniciensem qui quaerebat num sibi liceret ordinationem clericorum perficere in festo S. Joannis Apostoli et Evangelistae, etsi in Gallia festum istud non sit amplius de praecepto.

Ex dictis dubitandum minime est minores ordines in Galliis dari quoque posse diebus festis translatis, quoad solemnitatem, in proximos dominicos dies (1).

53. Quaesitum fuit num episcopus ex consuetudine valeat conferre minores ordines post meridiem feriae VI ante sabbatum generalis ordinationis. S. R. C. die 11 *Mart.* 1729 reposuit: « Servandam esse resolutionem S. C. C., quae sub die 13 *Apr.* 1720, in *Portalegrensi* simili respondit: *Affirmative quoad primam tonsuram, et quoad caeteros minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano, tit. De minoribus ordinibus* ». Eadem S. C. C. apud Fagnanum, *l. c.*, hanc quaestionem tetigit etiam in responsione, quam nos referimus in *cap. III* agentes de interstitiis. Vecchiotti, *III*, § 26, citat etiam in eodem sensu S. R. C. in *Civit. Prov. Compostellae*, 12 *Martii* 1820.

§ 2. — *Pro ordinibus majoribus.*

54. Ordinationes in sacris in Ecclesia Latina juxta praesentem disciplinam celebrari debent statutis a jure temporibus, nempe in sabbato quatuor temporum, in sabbato

(1) Icard, *Praelectiones juris canonici*, *n.* 328.

Sitientes seu ante dominicam Passionis et sabbato sancto ; insuper celebrari debent mane ac infra Missarum solemnia, idest subdiaconatus post quintam lectionem, diaconatus post epistolam, presbyteratus post *Tractum* vel post *Sequentiam* ante evangelium, ut patet ex Pontificali Romano ; idque servari debet etiam in ordinationibus particularibus. Praestat hanc Ecclesiae Latinae disciplinam in primis historice breviter declarare.

55. Aetate apostolica dubitandum minime est Apostolos aliosque episcopos ordinationes presbyterorum et diaconorum solemniter celebravisse ipso dominico die in Missa coram populo, licet nullus dominicus dies infra annum ordinationibus celebrandis determinatus foret. Sane S. Leo M., in *epist. 9*, ad Dioscorum episcopum Alexandrinum (1), morem ordinandorum sacerdotum die dominico repetit ex apostolicis institutis. Haec autem ordinatio fiebat dubio procul inter sacras synaxes horae tertiae, quae hora sacris mysteriis agendis semper assignata fuit.

56. Postea cum iidem coetus antelucanis horis agi coeperint a christianis sive ad diurnam gentilium persequentium diligentiam eludendam, sive potius ad jejunium diei sabbati breviandum (2), eadem quoque hora ordines sacri conferri coeperunt, scilicet in sabbati ad dominicam vigiliis, ea parte noctis quae lucescit in prima sabbati, seu post noctis medium, et usque ad lucem durabat officium ; licet etiam in Missa horae tertiae diei dominici ordines sacri dari possent, sicut antea (3). S. Leo M., *l. c.*, haec statuit : « Quod a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati ejus noctis quae in prima sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus iis qui consecrandi sunt, jejunis a jejunantibus benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiae erit si mane ipso dominico die, continuato sabbati jeju-

(1) Migne, *P. L.*, *vol.* 54.

(2) De jejunio praecedente ordinationem loquemur in *cap. IV, art. V.*

(3) Christianus Lupus, in *Schol. ad. Decretum tertium Leonis IX.*

nio, celebretur, a quo tempore praecedentis noctis initia non recedunt ; quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est... Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias quibus Dominus praecesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his qui consecrandi sunt numquam benedictio, nisi in die resurrectionis dominicae, tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat adscribi.. ». Ex quibus verbis immerito prorsus nonnulli putaverunt ex S. Leone M. ordinationes in sacris celebrari non potuisse, nisi in die dominico Paschatis ; nam dies resurrectionis dominicae apud S. Doctorem significat diem dominicum ; imo valde dubium est in die ipso Paschatis ordines fuisse unquam collatos.

57. Duae mutationes subsequentibus temporibus factae fuerunt. Prima, ut ii ordines conferrentur circa vesperam sabbati ut jejunium ordinantis et ordinandorum adhuc breviaretur, praesertim cum vespere sabbati incipiat dies dominica juxta synagogae regulam quam Ecclesia semper recepit, quamque indicat ipse S. Leo M. relatis verbis in fine : *A vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Christianus Lupus, *l. c.*, ostendit hanc mutationem fuisse inductam in saeculo octavo vel nono. Altera, ut tantum circa vesperam sabbati quatuor temporum et sabbati tertiae hebdommadae quadragesimae ordinationes fierent. Gelasius I in epistola ad episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos ait : « Ordinationes presbyterorum et diaconorum nonnisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, idest quarti mensis jejunio, septimi et decimi (1), sed et etiam quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimae die, sabbati jejunio circa vesperam, noverint celebrandas ». Eumdem pontificem permisisse etiam in sabbato sancto ordinari presbyteros et diaconos, licet in cit. epistola nulla hujus diei mentio fiat, putat Christianus Lupus. *l. c.* Igitur circa vesperam sabbati praedictorum dierum celebrabatur Missa, et in hac ordines praefati conferebantur, spec-

(1) Nimirum mensis Junii, Septembris et Decembris, cum veteres christiani, sicut Romani, annum a menso Martio inchoarent.

tante fidelium populo ; sed praesertim in sabbato quatuor temporum mensis decembris, licet falsum sit nonnisi hoc mense ordinationes factas fuisse (1).

58. Deinde vetitum fuit ne ordinationes fierent in sabbato tertiae hebdomadae quadragesimae, quae in baptizandorum scrutiniis expendebatur ex antiquissimo Ecclesiae more ; sed potius fierent in sabbato sequenti ante dominicam Passionis. Insuper Alexander III in *cap.* 3, *De tempor. ordinat.*, prohibuit ne subdiaconi promoverentur extra tempora assignata pro diaconatu et presbyteratu, quia subdiaconatus inter ordines sacros seu majores jam referri coeperat (2) (*n. 29*). Antea subdiaconus, sicut acolythus (*n. 50*), juxta Romanae Ecclesiae liturgiam ordinabatur in Missa quacumque cujuscumque diei et simplicissimo modo ; sed de hoc alias.

59. Tandem Missa vespertina, quam tempore Innocentii III in usu adhuc fuisse non obscure colligitur ex *cap.* 13, *De temp. ordin.*, in desuetudinem abiit ; et potius consuetudine quae vim legis obtinuit (3), inductum est ut Missa mane ante meridiem celebraretur, licet expleri possit post meridiem, et ideo etiam ordinatio, licet mane incepta, posset profecto protrahi post meridiem. Atque ita praesens disciplina (*n. 54*) Ecclesiae Latinae circa tempora ordinationum in sacris invaluit ; quam Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. VIII de ref.*, confirmavit : « Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus... celebrentur ».

60. His historice positis, circa Missam ordinationis Benedictus XIV, *De syn., VIII, XI, n.* 5, haec habet : « Ad sacram caeremoniam licite explendam, Missa non ab alio, *sed ab eo celebrari debet* (inquit Hallier, *cit. cap. V, art. III*), *a quo ordines sunt conferendi* ; idemque adnotaverat Glossa in *cap. Quod sicut, De electione, v. dividatur* : et merito, tum quia, ut eadem Glossa ibidem advertit, ita obtinuit constans et perpetua Latinae Ecclesiae consuetudo, cui consonat etiam Graecorum praxis, de qua Arcadius, *lib.* 6 *Concord.*, *cap.* 2, Goarius in *notis ad euchолog. Graecor., pag.* 292,

(1) Riganti, *comm. ad Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *I, n.* 3.
(2) Christianus Lupus, *l. c.*
(3) Hallier, *p. III, sect. VII, cap. I, art. IV, n.* 5.

et Morinus, *De sacr. ordin., p.* 3, *exercit.* 11, *cap.* 6 ; tum quia, nisi Missa ab eo fiat a quo ordines conferuntur, *dividitur mysterium unitatis*, uti loquitur Innocentius III in *cit. cap. Quod sicut, De electione* ; cum enim omnes ordinati debeant sanctissimam eucharistiam percipere e manibus ordinantis, quod ab Ecclesiae primordiis usitatum ac severa lege praescriptum ostendit saepius citatus Hallier, *sect.* 8, *cap. II*, *art.* 6, asseritque auctor *Eccles. Hierarch., cap.* 6: *Sub fine eorumdem sanctissimae consecrationis divinissimae communio traditur a pontifice qui illos consecravit*, nisi eucharistia ab illo eodem conficiatur, a quo initiatis porrigitur, non adeo perfecte repraesentatur unio ipsorum cum suo praesule, quemadmodum exhibetur, cum caelestem panem ab eodem paratum suaque consecratione in Christi corpus conversum omnes simul accipiunt : quae quidem ratio fortius adhuc urget, si agatur de ordinatione episcopi vel presbyteri, qui, ad eamdem Ecclesiae unionem repraesentandam, debent idem sacrificium cum ordinante conficere seu simul concelebrare. Denique tenetur sacrorum ordinum collator Missam facere per se ipsum, ut obtemperet Pontificali Romano Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate roborato ; ibi enim alius non apparet descriptus ritus conferendi sacros ordines, nisi in Missa conferentis ».

61. Ob has rationes Sedes Apostolica numquam, etsi gravissimae causae verificentur, indultum concedit ut episcopus ordines sacros conferat, alio Missam celebrante, multoque minus ut ordinatio fiat extra Missarum solemnia. Nonnulla exempla affert Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 7. Praeterea cum episcopus Nemausensis in Gallia, in octogesimo septimo suae aetatis anno constitutus, quaesivisset num sibi in scamno sedenti liceret ordines sacros conferre, alio sacerdote Missam celebrante, ne clerici cum gravi incommodo adigerentur adire conterminos antistites pro ordinatione, S. R. C. die 23 *sept.* 1837 respondit : « Non licere ». Imo episcopo Nicopolitano septuagenario qui podagra laborans, Missam celebrare non poterat, et supplicaverat ut valeret nihilominus ordines sacros conferre inter Missarum solemnia, alio sacerdote Missam celebrante, cum neque in dioecesi ne-

que extra illam, nisi ultra tercenta milliaria, alius inveniretur episcopus, et tanto itineris incommodo nemo vellet sese exponere, eadem S. C. die 8 *Jun.* 1658, et die 24 *Jan.* 1660 respondit : « Nihil ».

62. Quod si episcopus de facto ordines confert, alio sacerdote Missam celebrante, peccant per se graviter tum ipse, tum ordinatus, et puniri a Sede Apostolica possunt ; sed ordinatio profecto valet, et poenae in jure statutae non sunt ; et ita etiam si ordines extra Missarum solemnia dati fuerint.

63. Porro Missa quae celebrari debet die ordinationis, est Missa de feria absque commemoratione sanctorum forte occurrentium, si ordinatio habeatur diebus jure statutis ; si vero extra tempora, dicitur Missa de festo currenti cum orationibus pro ordinandis.

64. Revera S. R. C. in *Conchensi*, 26 *Jan.* 1658, reposuit : « In ordinationibus quae fiunt sabbato quatuor temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, Missam celebrari debere de feria cum oratione pro ordinandis et reliquis suffragiis, sine commemoratione sancti currentis : in Missa ordinationum praedicta, etiamsi occurrat festum duplex, facienda consueta suffragia, ac Missam, prout jacet ac si non esset festum duplex, celebrandam ».

Pariter in *Compostellana* eidem S. C. expositum fuerat : « Multoties incidit festum duplex aut simplex in diebus a jure statutis ad celebrationem ordinum. Quaeritur utrum Missa ad dictos ordines celebrandos dicenda sit de sancto, an vero de feria, etiamsi ordinationes non sint generales, sed particulares, ut de diaconatu, aut de presbyteratu solum ; et si Missa fuerit de feria, an facienda sit commemoratio de sancto ; vel e contra, si Missa sit de sancto, an facienda sit commemoratio feriae » ? S. C. die 28 *Sept.* 1675 reposuit : « In temporibus, de feria ; extra tempora, de festo currenti ».

Et in *Bergomensi* propositis dubiis : « 1° Utrum in sabbato sancto pro collatione sacrorum ordinum episcopus in suo domestico oratorio teneatur Missam cum prophetiis, ut in missali, celebrare ? 2° Utrum in ordinum collatione, diebus a jure statutis dicenda sit Missa de sancto contingente, an

semper de feria occurrente » ? Eadem S. C. die 21 *Martii* 1744 reposuit : « Ad 1^um^ affirmative, idest pro collatione sacrorum ordinum in sabbato sancto, Missa incipienda est a prophetiis. Ad 2^um^ in ordinum collatione, diebus a jure statutis, dicatur semper Missa de feria occurrente ».

Imo cum episcopus Dianensis a Sancta Sede privilegium obtinuisset, ob gravem qua laborabat oculorum infirmitatem, quotidie celebrandi Missam votivam B. M. V., proposito dubio num hoc privilegio uti etiam valeret diebus illis, quibus sacros ordines collaturus esset, eadem S. C. die 9 *Feb.* 1867 reposuit : « Permitti poterit, quatenus ex concessione apostolica poterit habere sacras ordinationes extra tempora (1) ».

65. Haec vera sunt, etsi Missa privatim et sine cantu ab episcopo ordines conferente dictis diebus celebretur ; et contraria consuetudo est abolenda.

66. Ad tempora vero ordinationum quod attinet, dicimus duplicem tantum casum esse quo licet absque dispensatione ordines majores extra indicatos dies conferre.

1° Si in Romanum Pontificem eligatur qui hos ordines non habet ; ex una enim parte hunc specialissimum casum non videntur canones comprehendere, qui caeteroquin in ordine ad Romanum Pontificem non possent habere nisi vim consultivam, et ex alia valde Ecclesiae universae interest ut electus consecrationem episcopalem quam citius recipiat. Nihilominus vide *n. 87*. Imo non desunt exempla in historia ecclesiastica, quae recenset Hallier, *l. c.*, *n.* 3, quibus etiam non presbyter electus in episcopum sacros ordines extra tempora habuit, licet regula canonica modo aliter ferat (*cit. n. 87*).

67. 2° Si sabbato ordinationes ob numerum ordinandorum vel ob aliam causam, e. g. morbum repentinum episcopi ordinantis, absolvi non potuerunt : ordinari enim poterunt reliqui sequenti die dominica, *continuato jejunio* (2). Quando ordinatio fiebat post mediam noctem, clarum erat

(1) Collect. Paris., *n.* 805, 806, 807, 808.

(2) Grandclaude, *lib. I Decret., tit. XI, sect. II*, § *I, in fine* ; Schmalz., *I, XI, n.* 16 ; Reiff., *n.* 36 ; De Angelis, *n.* 6.

ordinationem fieri potuisse etiam in Missa horae tertiae diei dominici, continuato jejunio, quia idem erat dies, ut expresse tradit S. Leo M. (*n. 56*). Item quando ordinatio fieri coepit circa vesperam sabbati, quia, ut ait Innocentius III in *cap.* 13, *De temp. ord.*, propter continuationem jejunii fictione canonica vespera diei sabbati et mane diei dominicae ad eamdem diem pertinere dicuntur (*n. 57*), et ideo illa ordinatio censebatur expleta ipsomet die sabbati. Sed hodie cum ordinatio celebretur mane diei sabbati, illa fictio canonica difficilior est ; sed nihilominus disciplina introducta permansit, ut nempe in casu ordinatio expleri possit mane diei dominici, continuato jejunio. Fortasse id verum est quoque, si cum omnia parata sint ad ordinationem, episcopus eamdem nec potuerit incipere, e. g. ob infirmitatem, quia nimis incommodum esset ordinationem ad aliud canonicum tempus remittere, et lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo. Illam clausulam *continuato jejunio* declaratam habes in *cap. IV* circa finem.

68. E contrario nullus episcopus, praeter R. P., ordines sacros conferre potest, imo nec ordines minores, ipso die suae consecrationis episcopalis, etsi haec dies sit legitima. Id tradit et explicat Innocentius III in *cap.* 28, *De electione* etc.: « Super eo autem, quod in die consecrationis suae, antequam Missarum solemnia finirentur, acolythum ordinavit (episcopus), pro tali excessu eum corripias et castiges : cum solus R. P. (qui ante hymnum Angelicum consecratur et postmodum ipse Missarum solemnia incipit et perficit consecratus), in die consecrationis suae valeat ordines consecrare. Caeteri vero qui inter epistolam et evangelium consecrantur, quia consecrati concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur mysterium unitatis, non debent tunc ordines celebrare. » Innocentius III, juxta textum completum apud Gonzalez, rejicit etiam contrariam consuetúdinem. Sed primam tonsuram, cum non sit ordo, episcopus mane consecratus fortasse conferre sero potest.

69. Consuetudine introduci nequit ut aliis temporibus ordinationes in sacris in Ecclesia Latina celebrentur. Cum enim in quibusdam Ecclesiis Scotiae in dedicationibus eccle-

siarum vel altarium extra tempora clerici ad sacros ordines promoverentur, Alexander III in *cap.* 2, *De temporibus ordinationum*, rescripsit: « Quod consuetudo illa, utpote institutioni ecclesiasticae inimica, est penitus improbanda, et nisi multitudo et antiqua consuetudo terrae esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare: nam apud nos sic ordinati deponerentur, et ordinantes privarentur potestate ordinandi ».

70. At R. P. bene potest ab hac lege dispensare, et non raro dispensat. S. Sedes aliquando concedit dispensationem *extra tempora*, uti aiunt, in singulis casibus particularibus per Breve a Secretaria Brevium, aut per rescriptum a S. C. C., vel a S. C. EE. et RR., vel a Secretaria Memorialium, vel a S. C. Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum, vel a S. C. de Prop. Fide pro locis missionum : insuper hoc privilegium indulsit familiis religiosis cum votis solemnibus pro eorum professis, nec non aliquibus congregationibus votorum simplicium ; tandem quandoque episcopi obtinent indultum ordinandi extra tempora, ac nonnumquam et Nuntius Apostolicus potest hanc licentiam elargiri. Operae pretium est, ut in his declarandis nonnihil immoremur.

71. In primis quod attinet ad dispensationem a Sede Apostolica concessam in casibus particularibus, causae quibus haec dispensatio dari solet, fuerunt determinatae in Congregatione ab Innocentio XII specialiter deputata super moderatione indultorum suscipiendi Ordines extra tempora a jure statuta.

Congregatio « censuit indulta hujusmodi, si SSmo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis, videlicet : Ut quis beneficio, vi cujus arctatur ad presbyteralem ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo beneficio, quod obtinet, vel cappellaniae ad vitam sibi concessae, per se ipsum inservire possit. Ob penuriam sacerdotum in illis partibus, vel in monasterio pro regularibus. Ob solatium patris vel matris, dummodo quinquagesimum aetatis annum excedant, et Orator saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem indulta referendariis utriusque Signaturae, familiaribus

Summi Pontificis, canonicis cathedralis, vel etiam collegiatae ecclesiae eorumque coadjutoribus, magistris, sed etiam baccalaureis in sacra theologia, doctoribus utriusque vel saltem canonici juris, seu licentiatis, dummodo singulos praefatos gradus in publica et approbata universitate obtinuerint. His etiam qui saltem per triennium sedulam theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint.

» E contra censuit non expedire ut eadem indulta concedantur ex eo quod quis diaconus, subdiaconus, litterarum apostolicarum scriptor sit, seu magister in artibus, nobilis, aut praesens in Curia, vel quod philosophiae cursum absolverit, aut alicui ecclesiae adscriptus fuerit, ad cujus servitii titulum ex apostolico indulto clerici ordinari possunt, aut onus Missarum non tamen ex beneficio ecclesiastico proveniens habere se doceat.

» Insuper censuit indulta hujusmodi deneganda esse iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis ; et, sede episcopali vacante, infra annum a die vacationis minime danda iis, qui beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

» Item numquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio Episcopi definiendo.

» Denique censuit episcopos omnes ac etiam Apostolicos Nuntios et Legatos litteris in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam, indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere, nec episcopos ad eorum exequutionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad patrimonii titulum nisi ad normam Conc. Trid., *sess. XXII, cap. II.* Eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi ordines extra tempora, vel aliis respective tribuendi licentiam ut conferant, maxime cavere debere, ne praescriptos

sibi in eisdem facultatibus limites, cujusvis consuetudinis aut exempli praetextu transgrediantur.

» Haec autem omnia, et singula suprascripta decreta... SS. D. N. (Innocentius XII) laudavit et approbavit, ac tam in Dataria, et Secretaria Brevium, quam a caeteris omnibus ministris, et officialibus Curiae, ad quos pertinet, perpetuo et inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate praedicta indulta aliter quam ad formam eorumdem decretorum in posterum expediendi. Hac die 14 *Dec.* 1693 (1) ».

Opus non est animadvertere dictas causas positas esse potius indicative quam taxative, et ob alias quoque similes posse hanc dispensationem obtineri.

Preces ad Sedem Apostolicam missae munitae esse debent commendatitia Ordinarii.

72. Post hoc decretum dispensatio conceditur cum clausula ut ordinatio extra tempora habeatur diebus festis non continuis sed interpolatis aliquo tempore ad episcopi arbitrium ; licet nostris diebus S. C. S. Officii non raro concedat facultatem ut tres ordines majores in tribus continuis diebus dominicis conferantur clericis qui servitio militari addicti fuerunt. Dies autem festivi intelliguntur, sicuti supra *n. 52* diximus pro minoribus ordinibus, dies festivi qui a populo servantur saltem ex parte, vel qui antiquitus servabantur et modo suppressi sunt, aut in alium diem translati. Declarationibus *l. c.* allatis sequentes ad id probandum addi debent.

Archiepiscopus Caesaraugustanus expostulavit a S. C. C. ut sibi declararetur : « In dispensationibus de promovendis extra tempora diebus festivis, an ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, possint isti tales promoveri quolibet die festivo, de quo in Ecclesia fit officium, an vero debeat esse festivus a populo colendus » ? S. C. reposuit in *Caesaraugustana*, lib. 3 *Decret.*, *pag.* 79 : « Intelligi oportere de diebus festis, qui a populo coluntur ».

Item in *Brixiensi* diei 15 *Jan.* 1689 proposito dubio :

(1) Ex Giraldi, *p. II*, *sect.* 95.

« An diebus festis duplicibus, non tamen de praecepto, possint ordines sacri conferri habentibus breve dispensationis apostolicae super interstitiis, vel extra tempora », eadem S. C. reposuit : « Negative, sed tantum diebus festis de praecepto ».

Ulterius in *Tirason.*, *Visitationis sacrorum liminum*, diei 20 *Apr.* 1782 (ex qua duas praecedentes responsiones desumpsimus) episcopo quaerenti : « An pro habentibus indultum suscipiendi sacros ordines extra tempora, haberi valeant ordinationes diebus festis, in quibus fideles, audita Missa, ex apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt in casu », S. C. reposuit *affirmative* (1).

73. Praeterea, quando quis ordinatur extra tempora, vi hujus dispensationis concessae a Sede Apostolica in casu particulari, « antequam ad collationem ordinum procedatur, legitur mandatum apostolicum, sive supplicatio, cujus vigore pontifici facultas conceditur ordinandi : quibus lectis, dicit pontifex : *Deo gratias*, et ad ordinationem procedit ». Ita Pontificale Romanum in rubrica generali, *De ordinibus conferendis*, ab initio. Porro *mandatum apostolicum sive supplicatio* intelligitur instantia reassumpta cum rescripto, non vero indultum generale dispensandi episcopo concessum, quod proinde legi minime debet ante ordinationem. Expositum fuit : « Facultatum formula I^a^ sub n. 1° tribuitur potestas conferendi ordines extra tempora. Ad dubium vero ab archiepiscopo Quebecensi propositum : *An cum conferuntur ordines extra tempora, omnino legendum sit breve apostolicum, facultatem hanc tribuens*, S. C. R. die 23 *Martii* 1835 respondit : *Affirmative juxta Pontificale Romanum*. Pontificale autem Romanum, juxta quod affirmativum dubio datur responsum, haec habet : *Legitur, etc.* Praeterea in dubio proposito sermo est de *brevi apostolico*. Quaeritur utrum verba Pontificalis, juxta quod responsio datur, et verba *breve apostolicum*, quae occurrunt in dubio, afficiant facultatem episcoporum harum provinciarum, quae nec ad eorum supplicationum neque in forma brevis con-

(1) Vide Ben. XIV, *Inst. Ecc. CVI, n.* 3 *sequ.*

cessa fuit » ? S. C. S. Officii die 2 *Julii* 1884 reposuit : « Negative ».

74. Quoad regulares cum votis solemnibus, quaeri potest utrum omnes hoc privilegio ordinationum extra tempora gaudeant necne. Nonnulli putaverunt illis tantum hoc privilegium suffragari, qui illud obtinuerunt post Conc. Trid. nominatim atque directe, non vero per communicationem. Sed melior sententia tenet omnes ordines regulares hoc privilegium habere pro suis professis. Ad rem P. Gaudentius a Janua, relatus a Giraldi, *l. c.* :

« Congregatio specialis plurium Emorum... nec non plurium theologorum a p. m. Benedicti XIII P. M. super hoc specialiter deputata clarissimum et indubium decretum edidit sub expressis, quae sequuntur, verbis :

» *Privilegia a Summis Pontificibus tam ante quam post Tridentinum sive expresse sive via communicationis concessa suscipiendi sacros ordines extra tempora, persistere in suo robore, nec iis fuisse umquam derogatum, ac proinde tuto posse regulares ordinari extra tempora absque novo indulto apostolico* : *Die* 16 *maii* 1725..... Ac subinde inchoato Lateranensi Concilio, praesidente et assistente eodem s. m. Benedicto XIII, *tit. De temporibus Ordinationum*, *cap. II*, cui titulus pariter fuit absolute appositus, ibi : *Regulares vigore suorum privilegiorum tuto absque novo indulto apostolico extra tempora initiantur*, prodiit sequens decretum : *Quo vero ad regulares privilegia a Summis Pontificibus habentes sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet, decernimus proinde regulares eosdem absque novo indulto apostolico tuto posse extra tempora ordinari.*

» Ex quibus omnibus mirum pro certo apparet quo modo adhuc super existentia et subsistentia ejusdem privilegii pro regularibus omnibus apud aliquos tum opinantes peculiares tum antistites scrupulosos possit cadere dubium ».

Huic doctrinae etiam Giraldi, *l. c.*, seipsum corrigens, subscribit. Difficultatem facessere videntur verba Benedicti XIV in

Const. *Impositi*, 27 *Febr.* 1746, (*Alleg. IV*) ubi exigit privilegium post Tridentinum directe concessum. At, integro contextu inspecto, dici debet Benedictum XIV, *l. c.*, agere de privilegio, quo fruuntur regulares ut promoveri possint a quocumque episcopo, non vero de privilegio recipiendi Ordines extra tempora : quod tandem et Giraldi, *l. c.*, animadvertit (1).

75. Quamquam enim regulares habeant privilegium *extra tempora*, tamen hoc privilegium non immutat disciplinam canonum circa ministrum ordinationis regularium ; de qua fuse in *cap. V*. Proinde hoc privilegium id unum importat, scilicet quod episcopus monasterii possit regularem promovere extra tempora ; item alienus episcopus, si caeteroquin regularem promovere potest juxta ea quae *l. c.* exponimus. Haec confirmantur ex responsione S. C. C. in *Lunensi-Sarzanensi, Dubia circa ordinationem regularium*, 8 *Aug.* 1888. Nam propositis dubiis :

« 1° An juxta constitutionem Benedicti XIV *Impositi*, 27 *Feb.* 1746, episcopus extraneus possit, extra tempora a canonibus statuta, regularem praedicto privilegio carentem (scilicet privilegio ut *a quocumque antistite* promoveri valeat), ordinare in casu.

» Et quatenus affirmative :

» 2° An sufficiat attestatio Ordinarii dioecesani, ut in casu, vel requiratur attestatio, qua declaratur episcopum loci quo regularis degit, non tenere ordinationem temporibus statutis :

» Et quatenus negative ad 1^{um} :

» 3° An consuetudo contraria ab illa constitutione Benedictina derogare possit in casu ».

S. C. reposuit : « Ad 1^{um} affirmative. Ad 2^{um} requiri attestationem episcopum proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem. Ad 3^{um} negative » (2).

(1) Vecchiotti, *III*, § 22 censet adhuc extare dubium ; sed rationes quas adducit, solidas non habemus : Honorante, *cap. XI, not. V*, docet Secretariam Vicariatus de facto non admittere nisi privilegia *de extra tempora* concessa post Tridentinum.

(2) Vide Ben. XIV, in const. *Impositi*, 3 *Kal. Mart.* 1747 circa finem.

76. Praeterea regulares promoveri nequeunt extra tempora, nisi diebus festivis, ut supra, prouti expresse docet Benedictus XIV, *Inst. Eccl. CVI, n.* 2 ; sed privilegium habere solent, ut ordinari valeant etiam diebus festivis continuis.

77. Tandem quinam episcopus habeat hoc indultum ordinandi in sacris extra tempora et quibus clausulis limitatum, est quaestio facti potius quam juris. Omnibus Vicariis Apostolicis ipsum conceditur, et quidem absque ulla limitatione ; sed hoc non obstante, sequentia notanda sunt.

78. Vicarius Apostolicus aut episcopus indultarius debet ordines conferre diebus festis non continuis, sed interpolatis, ut supra ; quia ipse delegans hoc praescribit quando ab hac lege dispensat, et delegatus a delegantis moribus et consuetudine vel tantisper recedere nec potest nec debet. Huc spectat epistola S. C. de Prop. Fide diei 4 *Martii* 1876 : « Potersi ritenere come massima già stabilita, che anche quando si accorda la dispensa per l'ordinazione *extra tempora*, e senza interstizi, i giorni debbono essere non solo festivi, ma anche interpolati. Di fatti in questo senso venne spiegata dalla S. C. del S. Offizio la facoltà *conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis*, come risulta da una risoluzone da essa emanata nel 1712, allorchè propostosi il dubbio : *An episcopus in Hibernia, cogente temporum necessitate, possit sacros ordines omnes conferre die dominica, et duobus festis duplicibus in eadem vel sequenti hebdomada occurrentibus, cum collatio ordinum sacrorum tali modò facta possit fieri sine periculo et majori cum securitate* ; la S. C. rispose : *Affirmative in tribus festis de praecepto non continuis, sed interpolatis juxta formam constitutionis s. m. Innocentii XII.* Nel 1859 poi, avendo un vescovo, che godeva della facoltà di ordinare *extra tempora*, chiesto al Santo Padre, se potesse conferire i sacri ordini in giorni feriali, e quando non potesse, gli si accordasse la facoltà per la ragione che nelle feste *sacerdotes, quos sacrae ordinationi adesse conveniret, in respectivis ecclesiis ruralibus detinentur*, Sua Santità rispose *non expedire*. Che se alcuna volta si è accordata la facoltà di conferire gli ordini in giorni consecutivi, benchè

non fossero giorni di festa, cio si è fatto per circostanze eccezionali, ed in via del tutto straordinaria » (1).

79. Ceterum eadem S. C. de Prop. Fide interrogata : « An liceat uti facultate sacros ordines extra tempora conferendi in illis diebus festivis, in quibus ex indulgentia S. Sedis neophyti nec audire Missam, nec ab operibus servilibus abstinere amplius tenentur » ? reposuit die 19 *Jul.* 1838 : « Affirmative ».

80. Episcopus autem hoc indulto ordinare nequit extra tempora subditos alienos etiam cum dimissoriis Ordinarii, nisi hoc specialiter concessum sit. Ita reposuit S. C. C. in *Viennensi*, 31 *Maii* 1708. Subditos autem alienos intelligimus clericos ad aliam dioecesim pertinentes (*n. 856 segu.*), ut colligitur etiam ex responsionibus S. C. S. Officii, 31 *Maii* 1708, et S. C. de Prop. Fide, 5 *Apr.* 1674, in Collectanea S. C. de Prop. Fide *n.* 1186, 1165, ibi : *Clericos alienae dioecesis.* Vide etiam infra *n. 219, 245.*

Indultum legendum non esse ante ordinationem, vide *n. 73.*

81. Jure communi ordinatus in sacris extra tempora absque legitima dispensatione erat suspensus ab ordine male suscepto, ex *cap.* 2, *De temp. ordinat.* ; et episcopus ordinans erat suspensus a potestate ordinandi, ex eodem *cap.* 2. Quamquam vero verba cit. capitis indicent poenam ferendae sententiae, tamen Pius II in const. *Cum ex sacrorum*, 17 *Nov.* 1461, voluit hanc poenam esse latae sententiae ; imo Sixtus V in const. *Sanctum*, 5 *Jan.* 1588, eamdem R. P. reservavit ;

(1) Latine : « Posse retineri tanquam principium jam fixum quod, quoties conceditur dispensatio pro ordinatione extra tempora et sine interstitiis, dies debeant esse non solum festivi sed etiam interpolati. Revera in hunc sensum a S. C. Inquisitionis declarata est facultas *conferendi*.... quemadmodum constat ex quadam resolutione ab eadem emissa anno 1712, cum, proposito dubio : *An episcopus... securitate*, S. C. respondit *affirmative*.... Anno deinde 1859, cum quidam episcopus qui facultate ordinandi extra tempora fruebatur a Summo Pontifice, quaesivisset num posset diebus ferialibus ordines conferre, et cum, in hypothesi quod non posset, eam facultatem sibi tribui postulasset ea de causa quod in festis *sacerdotes*..., Sua Sanctitas respondit *non expedire*. Quod si aliquando concessa est facultas conferendi ordines in diebus continuis, etsi non essent dies festi, id factum est propter peculiares circumstantias et in via omnino extraordinaria ».

sed deinde Clemens VIII const. *Romanum*, 28 *Febr.* 1595, Sixtinam constitutionem redegit ad terminos juris communis et citatae constitutionis Pianae. Hodie nihil hac de re legitur in const. *Apostolicae Sedis*, aut in Conc. Trid. ; unde qui deliquit, poterit aut debebit pro modo culpae e superiore puniri, sed poenae latae sententiae non subjacet. Ceterum ordinationem in sacris extra tempora esse validam, etsi graviter illicitam, palam est (1).

82. Expedit ut sacerdotes memoriam agant suae ordinationis in anniversario die, ut praeclarissimum hoc divinae misericordiae beneficium recolant, omissa vota animo revolvant et confirment, ac ad pristinum fervorem sese excitent. « Sacerdotes (inquit S. Carolus in concilio Mediolanensi III) quo die eorum unusquisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quotannis recolant Missae sacrificio et precibus ». *Missae sacrificio*, idest vel illud applicando ad hanc intentionem ; vel addendo collectam pro se ipso sacerdote, si adest licentia episcopi, quae in pluribus dioecesibus adesse solet, nisi Missa excludat collectam ; vel saltem faciendo specialem ordinationis memoriam. Haec cum proportione de aliis quoque ordinatis repetenda sunt.

Qua de re laudanda maxime est in Galliis recepta consuetudo, a venerabili servo Dei Ollier fundatore Societatis S. Sulpitii prius introducta, qua in omnibus majoribus seminariis *promissiones clericales* magna cum solemnitate renovantur, non solum a clericis in seminario commorantibus, sed etiam a sacerdotibus undique concurrentibus, et ipsis episcopis. Statuta solemni die, episcopus in habitu pontificali ante altare sedens sermonem habet de ecclesiastica, ut plurimum, vocatione. Sermone expleto, omnes adstantes clerici, primo episcopi, si intersunt, deinde sacerdotes, postea diaconi, etc., bini accedunt ad altare, et una manu tenentes candelabrum ac aliam ponentes in manum episcopi, repetunt verba initiationis clericalis : *Dominus pars* etc. Deinde canitur hymnus *Te Deum*, et datur solemnis benedictio cum SSmo Sacramento.

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *VIII*, *XI*, *n.* 3 *sequ.*

§ 3. — *Pro consecratione episcopali.*

83. In primis episcopalis consecratio fieri potest quolibet die dominico, aut die festo alicujus Apostoli; ut detur alio die festivo, necessaria est R. P. indulgentia. Id patet ex Pontificali Romano, *De consecratione electi in episcopum*, ab initio: « Statuta die consecrationis quae debet esse dominica vel natalitium Apostolorum vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit..... » Verumtamen si absque licentia Sedis Apostoliae consecratio episcopalis conferatur alio die festivo aut etiam feriali, non sunt poenae jure statutae in consecratum, in episcopum consecratorem et in episcopos assistentes.

84. In primis Ecclesiae saeculis novus episcopus consecrabatur die tantum dominico in Missa horae tertiae (*n. 55*). Deinde Missa cum consecratione deducta est ad primas horas post mediam noctem sabbati ad dominicam (*n. 56*). Sed dum Missa ordinationis diaconalis et presbyteralis ascendit prius ad vesperam sabbati et serius ad mane sabbati (*n. 56, 57*), e contrario Missa consecrationis episcopalis eodem tempore, scilicet saeculo octavo vel nono (*n. 57*), rediit ad mane ejusdem diei dominici. At aliquando consecrationem episcopalem collatam etiam antiquitus fuisse in diebus natalitiis Apostolorum, ostendunt exempla quae citat Riganti in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *I*, *n. 30*. Imo nonnumquam collata fuit etiam aliis diebus festivis solemnioribus; e. g. consecratio S. Udalrici episcopi Augustani habita est in festo SS. Innocentium, ut legitur apud Surium in ejus vita die 4 *Julii*. Et Hallier, *l. c.*, *sect. VII*, *cap. II*, *art. I*, *n.* 2, censet consecrationem episcopalem quandoque, ne ullatenus retardaretur, collatam fuisse etiam die feriali. Sed hodie servanda est regula Pontificalis Romani.

85. Praeterea consecratio episcopalis, conformiter antiquae disciplinae (*n. praec.*), conferri debet infra Missarum solemnia. Id semper universa Ecclesia servavit ex ipsa traditione apostolica; nam *Act. XIII*, 3, ubi agitur de consecratione episcopali S. Pauli et S. Barnabae, illud *ministran-*

tibus illis Domino interpretes passim intelligunt de sacrificio Missae (1). Est autem aliqua differentia inter consecrationem electi in episcopum, et consecrationem electi in Romanum Pontificem, quam exponit Innocentius III in *cap.* 13, *De temporibus ordinationum* (*n. 68*). Missa autem celebrari debet ab episcopo consecratore ; et episcopus consecrandus cum eodem concelebrat ; de qua re fusius in *cap. V*. Quamquam vero consecratio episcopalis, alio episcopo vel sacerdote Missam celebrante, vel extra Missarum solemnia peracta, foret profecto valida, id tamen numquam per apostolicam dispensationem fieri permittitur. Vide *n. 60 sequ.*

86. Conc. Trid., *sess. VII, cap. IX, de ref.*, monuerat : « Ad majores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a jure statutum suscipiant : et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur ». Hoc tempus a jure statutum erat trimestre, ut patet ex *can.* 2, *dist.* 75, et *can.* 1, *dist.* 100, in Decreto, qui canones sanctiones quoque continent contra episcopos electos negligentes. Haec omnia magis determinavit idem Conc. Trid., *sess., XXIII, cap. II, de ref.*, ubi haec habet : « Ecclesiis cathedralibus seu superioribus quocumque nomine ac titulo praefecti, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur : si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso jure sint privati ». Giraldi, *p. II, sect.* 80, observat onus restituendi fructus ligare in conscientia ante omnem declarationem, quidquid nonnulli in contrarium senserint. At ad incurrendam privationem episcopatus requiri declaratoriam, docet Thesaurus, *p. II, cap. II, v. episcopus*. Ex brevi Urbani VIII pro reformatione Tribunalis S. Poenitentiariae, ac deinde ex Benedicti XIV const. *Pastor Bonus*, 13 *Apr.* 1744, neque Major Poenitentiarius potest dispensare ab his poenis, idest revalidare titulum et fructus condonare.

87. Haec autem non valent, si electus in episcopum non est presbyter. Tunc enim proximis legitimis temporibus re-

(1) Ben XIV, *De syn., VIII, XI, n.* 3 ; Hallier, *p. III, sect. VIII, cap. V, art. I*.

cipiet, remissis forte interstitiis, ordines quos non habet, et deinde consecrationem episcopalem, etsi interim elabi contingat trimestre ad munus consecrationis suscipiendum episcopis jure praescriptum (1). Ita Pelagius Papa II, in *can.* 12, *dist.* 76 in Decreto. Hallier, *p. III*, *sect. VII*, *cap. II*, *art. III*, § *IV*, *n.* 11, docet antiquitus *quatuor tempora* in eo casu minime expectari consuevisse, imo nonnumquam eodem die duos sacros ordines collatos fuisse. Illud tamen certum est, Gregorium VII qui ex Cardinali diacono Pontifex electus fuit die 22 *Apr.* 1073, et Innocentium III qui Pontifex renuntiatus est die 8 *Jan.* 1198, cum pariter esset Cardinalis diaconus, ordinationem presbyteralem distulisse in proximum legitimum tempus ac subsequenti dominica die consecrationem episcopalem recepisse. Sed electum in R. P. post acceptationem electionis, et electum in episcopum post confirmationem in consistorio et post exhibitas capitulo litteras Apostolicas, plenam interim obtinere jurisdictionem etiam ante receptos ordines et episcopalem consecrationem, palam est.

88. Quilibet episcopus debet celebrare speciali modo in propria ecclesia anniversarium diem suae electionis et consecrationis. Propositis dubiis in *Halifaxien.* 16 *Apr.* 1886: « 1° An episcopus teneatur speciali modo celebrare anniversarium suae electionis et consecrationis ; 2° Et quatenus affirmative, quomodo, et quinam dies electionis habendus sit » ? S. R. C. respondit : « Ad 1^um^ : Affirmative, ut satis edocet Caeremoniale Episcoporum. Ad 2^um^ : Dies electionis est ille, in quo provisio ecclesiae episcopalis a Summo Pontifice publicatur in consistorio ». Etiam de episcopo translato fit commemoratio electionis ad novam ecclesiam, et commemoratio consecrationis, ut declaravit S. R. C. die 14 *Aug.* 1858. Haec traditione majorum accepta sunt ; plurimi enim extant sermones veterum Patrum habiti *die natali* episcoporum, uti appellabant diem consecrationis singulis annis recurrentem. Et quod unius tantum consecrationis celebrari soleret dies anniversarius, id ex eo explicatur, quia

(1) Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § 1, *n.* 14, *sequ.*

ut plurimum consecratio statim electionem sequebatur et ipsius erat quodammodo complementum ; de qua re in *cap. V.* Prae caeteris legendae sunt duae homiliae, quas S. Augustinus his occasionibus pronuntiavit ; quae insignem humilitatem, pietatem devotionemque tanti praesulis ostendunt. Ecclesia hac commemoratione intendit quemlibet episcopum admonere, ne sinat primaevum sui episcopatus fervorem frigescere (1). Quomodo hic dies anniversarius electionis et consecrationis episcopi celebrari debeat, vide in Caeremoniali Episcoporum, *lib. II, cap. XXXV*, cum comm. Catalani, quod edidit Jouby *an.* 1858, ubi plures referuntur S. R. C. declarationes.

89. Pro Romano Pontifice fit in tota Ecclesia dies anniversarius assumptionis, idest electionis, et coronationis ; sed antiquitus fiebat dies anniversarius consecrationis, et non aderat caeremonia coronationis.

Articulus II

De loco sacrae ordinationis.

90. Circa locum sacrae ordinationis Ecclesia Graeca vix dissentit a Latina ; sed subdiaconatus, cum apud Graecos sit ordo minor, conferri potest quocumque in loco, sicuti lectoratus. Modo igitur disciplinam Latinae Ecclesiae exponimus eodem ordine quem de tempore ordinationis agentes sequuti sumus. Non est necesse animadvertere prohibitum esse ordines conferre in loco interdicto seu specialiter seu generaliter ; nam interdictum locale prohibet in loco celebrationem divinorum officiorum, exceptis specialiter in jure expressis : atqui ordinatio est divinum officium quod nullibi invenitur in jure exceptum a generali prohibitione interdicti localis, praesertim cum ordinatio non sit sacramentum necessarium ad salutem (2). Utrum et quatenus celebrans divina in loco interdicto, e. g. conferens ordines, contrahat

(1) Hallier, *p. III, sect. VII, cap. II, art. II, § III, n.* 10, *sequ.*
(2) Pirhing, *I, XI, n.* 77 ; Schmalz., *n.* 20.

irregularitatem ex delicto, trademus in *cap. III,* ubi de irregularitatibus.

§ 1. — *Disciplina Ecclesiae Latinae circa locum ordinationis pro prima tonsura et minoribus ordinibus.*

91. Prima tonsura et ordines minores in Ecclesia Latina conferri possunt *quocumque loco* ex praescripto Pontificalis Romani in rubrica generali, *De ordinibus conferendis*, et deinde in rubrica, *De clerico faciendo*. Proinde necesse non est ut eae promotiones fiant in ecclesia cathedrali, aut in alia ecclesia, spectante populo et clero ; sed fieri possunt etiam in domo episcopali, aut in quovis alio loco etiam cultui non destinato, honesto tamen ac decenti (1). Sane cum ii gradus extra Missarum solemnia conferri valeant, non apparet ratio qua in ecclesia necessario conferri debeant. Congruit antiqua disciplina Romanae saltem Ecclesiae juxta quam infra diaconatum solus acolythus et subdiaconus in loco sacro infra Missarum solemnia ordinabantur (*n. 50, 58*).

92. Quaeritur utrum prima tonsura et minores ordines conferri valeant in aliena dioecesi sine expressa Ordinarii loci licentia. Ut haec quaestio intelligatur, recolimus Conc. Trid., *sess. VI, cap. V, de ref.*, prohibere : « Nulli episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu *pontificalia in alterius dioecesi exercere*, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subjectas tantum ; si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi ». Ex his ultimis verbis satis apparet Tridentinum ad ordinationem praesertim suo decreto respicere. Quaestio igitur proposita huc redit, utrum conferre primam tonsuram et minores ordines sit pontificalia exercere, necne.

93. Jam vero plures censent in collatione tum primae tonsurae, tum ordinum minorum *pontificalia exerceri*, quia exercetur actus pontifici reservatus (2). Inter hos emi-

(1) Pirhing, *I, XI, n.* 76 ; Barbosa, *De off. et pot. ep., alleg. XI, n.* 20 ; Schmalz., *I, XI, n.* 17.

(2) Pirhing, *I, XI, n.* 77 ; Schmalz., *n.* 18 ; Grandclaude, *I, XI, sect. II,* § 2 in fine ; Navarrus, *V, XII* ; Icard, *Prael. juris can., n.* 329.

net Benedictus XIV in epistola *Ad audientiam*, 15 *febr.* 1753, ubi sub *n.* 8 haec habet : « In collatione tonsurae et ordinum minorum pontificalia exerceri... inficiari nemo potest, quemadmodum diligenter advertit Thesaurus in suo tractatu, *De poenis eccles.*, *p.* 2, *v. Episcopus*, *cap.* 4, *n.* 3, ubi recte observat pontificalium nomine ad effectum de quo nunc agimus, venire non modo quorumvis ordinum etiam minorum collationem, sed etiam consecrationem vasorum ecclesiae et virginum et chrismatis, nec non sacramenti confirmationis ministrationem, ac indumentorum ac corporalium benedictionem ; hoc uno interjecto discrimine inter collationem ordinum et reliquos praememoratos actus, quod episcopus ordines conferens extra propriam dioecesim absque Ordinarii loci licentia suspensionis poenam... ipso jure incurrit ; at reliquos recensitos actus exercendo, eidem poenae nequaquam subjicitur, quum lex non adsit quae eam ferat, quamvis caeteroquin praemissa agens peccati reus fiat ».

94. E contrario alii putant *pontificalia exerceri* quidem in collatione ordinum minorum, quia, ut supra dictum est, tunc exercetur actus pontifici reservatus ; non vero in initiatione primae tonsurae, quia haec exercetur sine insignibus pontificalibus, et ideo in ea non exercetur actus pontificalis (1). « Ratio, ait S. Alph., *VI*, *n.* 756, quia cum sit sententia communior et probabilior inter theologos quod tonsura non sit ordo, ideo bene potest et solet conferri privatim sine pontificalibus... ».

95. Nos in primis putamus distinctionem inter initiationem clericalem et collationem ordinum minorum omni carere fundamento in subjecta materia. Nam utraque est actus reservatus pontifici, utraque fieri potest cum vel sine apparatu pontificali seu omnibus insignibus pontificalibus, quae sunt mitra, baculus pastoralis, et pallium. Scilicet ad normam Romani Pontificalis in rubrica generali, *De ordinibus conferendis* ab initio, episcopus in ordinatione generali celebrans Missam pontificalem debet esse indutus om-

(1) Salm., *VIII*, *IV*, *n.* 76 ; Scavini, *III*, *n.* 621 ; Giraldi, II, *sect.* 21, *not.* 2, cum Van-Espen et cardinali De Luca ; Diana, *p.* 4, *tom.* 4, *cap.* 143.

nibus insignibus pontificalibus, ut patet; item conferens ordines sacros in ordinatione particulari in Missa privata; tandem conferens privatim tonsuram aut minores ordines, potest sumere omnia insignia pontificalia sive in Missa sive extra Missam, sed sufficit etiam quod habeat stolam supra rochetum vel supra superpelliceum (si sit regularis) et mitram simplicem. Igitur tum initiationi clericali, tum collationi minorum ordinum eadem solutio conveniat necesse est (1).

96. Haec autem solutio pendet ex sensu vocabuli *pontificalia*. Si enim cum Thesauro nomine *pontificalium* intelligis actus pontifici reservatos, patet manifeste episcopum *exercere pontificalia* dum tonsuram et minores ordines confert; ideoque id non posse in aliena dioecesi sine expressa licentia Ordinarii loci. At vero ille sensus vocabuli *pontificalia* non est necessarius nec obvius; et longe melius, juxta communem acceptionem hujus vocabuli, alii nomine *pontificalium* significari volunt sacras functiones cum apparatu pontificali, seu cum omnibus insignibus pontificalibus (2). Unde juxta hunc sensum episcopus conferens tonsuram aut minores ordines *exercet pontificalia*, si illos gradus confert indutus omnibus insignibus pontificalibus; *non exercet pontificalia*, si illos confert indutus simpliciter stola supra rochetum vel supra superpelliceum, et mitra simplici. Proinde tonsuram et minores ordines primo modo conferre in aliena dioecesi sine expressa licentia Ordinarii, prohibetur ex relato decreto Tridentino; non vero eosdem gradus conferre altero modo, ita ut talis collatio fieri valeat *ubicumque* et *quocumque in loco*, ut ait Pontificale Romanum, etiam sine licentia Ordinarii loci. Saltem haec doctrina est valde probabilis, et ideo eam in praxi sequi possumus tuta conscientia et sine periculo contrahendi suspensionem.

Neque obstat auctoritas Benedicti XIV in verbis supra relatis. Nam Benedictus XIV in hac epistola docet episcopos suburbicarios in Urbe commorantes non posse suis subditis

(1) Hallier, *p. III, sect. VI, cap. I, art. I, § I.*
(2) D'Annibale, *I*, § 381, citans Filliuccium.

dioecesium suburbicariarum ordines conferre, obstante tum citato decreto Tridentino, tum Alexandro VII in const. *Apostolica sollicitudo* : in fine autem animadvertit episcopos suburbicarios posse conferre primam tonsuram, quia Alexander VII, *l. c.*, loquitur de *ordinibus*. Unde sequitur Benedictum XIV non insistere in decreto Tridentino juxta interpretationem Thesauri, quae et tonsuram et ordines quoscumque excluderet.

97. Porro Ordinarius loci qui expressam licentiam episcopo alieno concedit exercendi pontificalia in propria dioecesi, ex declaratione S. C. C. apud Hallier, *p. III, sect. VI, cap. I, art. I*, § *I, n.* 3 *et* 4, non est abbas quasi-nullius pro suo territorio et ecclesia, nec abbas simpliciter pro sua ecclesia, nec archiepiscopus, patriarcha aut primas etiam pro ecclesia sibi immediate subjecta in aliena dioecesi, nec vicarius generalis sine mandato speciali ; sed est episcopus, sede plena, et capitulum ac deinde vicarius capitularis sede vacante, pro dioecesi ; est abbas vere nullius pro suo territorio ; episcopus loci (aut capitulum ac vicarius capitularis) simul et superior regularis pro abbatia quasi nullius, aut pro abbatia simpliciter seu pro ecclesia regulari (1). Quamquam vero Conc. Trid., *l. c.*, permittat episcopo cum expressa licentia Ordinarii loci pontificalia in aliena dioecesi exercere *in personas eidem Ordinario subjectas tantum*, tamen hic rigor fuit deinde a S. C. C. temperatus, quae apud Benedictum XIV, *l. c.*, *n.* 6, pluries rescripsit episcopum ex expressa Ordinarii licentia posse in aliena dioecesi exercere pontificalia tum in personas eidem Ordinario subjectas, tum in personas sibimet subjectas, tum tandem in personas subjectas aliis episcopis habentes eorumdem episcoporum dimissorias.

§ 2. — *Pro ordinibus majoribus.*

98. « Ordinationes sacrorum ordinum, ait Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. VIII, de ref.*, statutis a jure temporibus

(1) Phillips, I, § 49.

ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur ; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur » Necesse est ut in explanando hoc Tridentino decreto nonnihil immoremur.

99. In primis episcopus ordines sacros conferre debet *in propria dioecesi*, et in dioecesi aliena conferre non potest sine expressa Ordinarii loci licentia ; quod ex dictis *n. 92 sequ.* clarissime patet in omnium sententia. Quinam vero hanc licentiam dare possit, vide *n. 97.*

100. Praeterea ex relatis Conc. Trid. verbis episcopus in suae dioecesis *ecclesia cathedrali* ordines sacros conferre debet : quod est antiquae disciplinae consentaneum. At vero « ex mitiori interpretatione apud omnes recepta non prohibetur episcopus quin, justa aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in episcopii sacello majoribus ordinibus initiare », ait Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 18, ac proinde a fortiori particulares ordinationes in sacris celebrare poterit in alia publica ecclesia praeter cathedralem (1). Ratio est quia Conc. Trid., *l. c.*, juxta nonnullos loquitur de ordinationibus generalibus (2), vel potius quia ita usus invaluit (3). Praeterea ipsae ordinationes generales ex aliqua justa causa judicio episcopi fieri possunt in aliqua ecclesia digniori sive intra sive extra civitatem episcopalem ; atque hoc sensu intelligi debet responsio S. R. C., 16 *Sept.* 1737, declarantis non licere episcopo ordinationes extra ecclesiam cathedralem peragere, nempe sine aliqua justa causa. Nam decretum Tridentinum ita fuit consuetudine temperatum, ut licet communiter ordinationes generales fieri debeant in cathedrali ecclesia, episcopus tamen possit ob causam rationabilem aliam quoque seligere ecclesiam (4). Imo Hallier, *l. c.*, non

(1) S. Alph., *VI, n.* 798 ; Scavini, *III, n.* 621, qui ait ita declaravisse S. C. EE. et RR.

(2) Ben. XIV, *l. c.* ; Fagnanus, *Comm. cap.* 1, *De simonia, n.* 45 ; Monacelli, *tom. I, tit. III, form. I, n.* 3.

(3) Hallier, *p. III, sect. VI, cap. II, art. I, n.* 4 ; S. Alph., *l. c.* ; Pirhing, *I, XI, n.* 76, citans Henriquez.

(4) Schmalz., *I, XI, n.* 17 ; S. Alph., *VI, n.* 98 ; Icard, *Prael. juris can., n.* 329.

immerito animadvertit in vastis dioecesibus nonnumquam etiam expedire « ut ordinationes in celebrioribus locis dioeceseos publice celebrentur, (dummodo rarius id contingat), quod ab itineris labore ordinandi releventur, et praesertim ut populus, ab episcopali civitate dissitus, solatio aliquo afficiatur, et ad clericorum reverentiam ex solemnitate ordinationis excitetur ». Romae statutis jure temporibus Cardinalis Urbis Vicarius (vel ejus Vicesgerens) ordinationes generales peragit in Basilica Lateranensi tantum ; sed extra tempora ordinat sive in sua capella privata sive in alia ecclesia pro suo arbitrio (1). In ecclesia autem regulari exempta, etsi sit in sua dioecesi, episcopus nequit sine consensu superioris ejusdem exercere pontificalia, ut decisum a S. C. C. referunt Armendaris et Farinaccius apud Hallier, *l. c.*, *cap. I*, *art. I*, § *V*, *n.* 12, et consequenter nequit etiam ordinationes in sacris habere.

101. Quod si episcopus praeest duabus dioecesibus non extinctive unitis, attendi debet responsio ejusdem S. C. C. in *Viterbiensi* et *Tuscanensi*, 11 *Jan.* 1783. Nam ad dubium tertio loco propositum : « An ab episcopo peragenda sint in civitate Tuscanensi pontificalia, ordinationes et consecrationes sanctorum oleorum saltem alternative » ; S. C. respondit : « Arbitrio et prudentiae episcopi, et ad mentem : mens est quod scribatur episcopo decere interdum aliquas functiones pontificales peragere in cathedrali Tuscanensi ».

102. Ulterius in ecclesia cathedrali ordinationes in sacris fieri debent *ad altare majus*, nisi obsit rationabilis causa arbitrio episcopi, vocatis praesentibusque ad id canonicis seu clero ecclesiae. Haec declarant pro generalibus ordinationibus responsiones S. C. C. in *Giennensi*. Nam propositis dubiis :

« 1° An episcopus Giennensis vigore dispositionis sac. Conc. Trid. *sess.* 23, *de ref.*, *cap.* 8, et constitutionis s. m. Innocentii XIII incipientis *Apostolici ministerii*, et alterius SSmi Domini nostri illius confirmatoriae, possit vel debeat temporibus a jure statutis celebrare functionem ordinum

(1) Honorante, *cap. I*, *not. II*.

generalium ad altare majus ecclesiae cathedralis. Et quatenus affirmative ;

» 2° An occasione praedicta possit ibidem pontificaliter celebrare Missam conventualem ad sabbatum designatam, loco illius quae celebrari a capitulo deberet, cum assistentia omnium praebendatorum et aliorum de choro. Et quatenus negative ;

» 3° An ob dictam functionem ordinationum, in praedicto altari explendam, possit cogere capitulum ut horam consuetam pro horis canonicis et Missa conventuali anticipet vel postponat, ita tamen ut ultra horas debitas neutra ex dictis functionibus protendatur.

» 4° An possit celebrare dictam functionem ordinationis ad altare majus, non obstante quod, juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis, ad altare majus adsit tabernaculum, in quo asservatur sanctissimum eucharistiae sacramentum. Et quatenus negative ;

» 5° An possit compellere capitulum et canonicos, ut pro explenda ordinatione aliisque functionibus pontificalibus transportari faciant sanctissimum eucharistiae sacramentum ad aliud altare ecclesiae.

» 6° An possit episcopus impediri quominus in dicto altari solemnem et generalem ordinationem faciat sub praetextu consuetudinis, ex quo numquam in dicto altari per episcopum facta sit celebratio ordinum. Et quatenus affirmative ;

» 7° An episcopus teneatur praedictam functionem explere in aliqua ex capellis ecclesiae ; et, quatenus capellae non sint capaces, teneatur illam explere in sacristia. Et quatenus affirmative ;

» 8° An in hoc casu possit episcopus capitulum cogere ut anticipet vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne celebratio ordinum chorum impediat, vel chorus ipsam ordinum celebrationem.

» 9° An episcopus ad formam supradictae conciliaris dispositionis, sive ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex capellis, sive in sacristia cathedralis, possit cogere integrum capitu-

lum et omnes canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis, et quibus poenis : seu potius contentus esse debeat assistentia illorum qui in functionibus pontificalibus eidem episcopo ex praescripto caeremonialis, vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent.

» 10° An episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro explenda solemni ordinatione, vel pro interessentia divinis officiis, vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum faldistorium seu genuflexorium in loco ubi episcopus functionem facere, seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, antequam ad sedem suam accedat, orare possit ad tabernaculum sanctissimi sacramenti ; vel saltem, loco faldistorii seu genuflexorii, parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit ; seu potius servanda veniat consuetudo, praesertim si sit immemorabilis, juxta quam episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium nec pulvinar parari solet, super quo episcopus oret, antequam ad locum suum accedat ».

S. C. die 2 *Aug.* 1727 reposuit:

« Ad 1^um^ : Posse et debere, nisi adsit rationabilis causa arbitrio episcopi judicanda.

» Ad 2^um^ : Affirmative.

» Ad 3^um^ : Posse, dummodo non excedat spatium unius horae ultra horas consuetas.

» Ad 4^um^ et 5^um^ : Servetur Caeremoniale.

» Ad 6^um^ et 7^um^ : Satis provisum in primo.

» Ad 8^um^ : Satis provisum in tertio.

» Ad 9^um^ : Dilata.

» Ad 10^um^ : Servetur Caeremoniale episcoporum, *lib. I, cap. XII* ».

Rursus propositis dubiis die 19 *Jun.* 1728, S. C. reposuit:

« Ad 2^um^ : In decisis juxta resolutionem noni dubii.

» Ad 3^um^ : Praevio recessu a decisis, arbitrio et prudentiae Ordinarii.

» Ad 9^um^ : Posse cogi juris remediis integrum capitulum, una cum omnibus de clero cathedralis, ut assistat episcopo

solemnem cum cantu Missam ordinationis ad altare majus celebranti, et ad mentem ».

Mens vero erat quod « quando episcopus velit sacram ordinationem celebrare cum solemni pontificali in cantu, debet esse ad altare majus et cum assistentia diaconi et subdiaconi et capituli et omnium de choro, ut in sabbato sancto disponit Caeremoniale episcoporum, Missa tunc deserviente pro conventuali. Extra hunc casum totum capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam et praesentiam duorum saltem canonicorum ».

Hanc responsionem eadem S. C. deinde confirmavit in *Alatrina*, 20 *Aug.* 1785. Nam propositis dubiis : « 1° An episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a jure temporibus in cathedrali ecclesia habenti canonici omnes adesse teneantur, non obstante privilegio alternativae. Et quatenus affirmative ; 2° An renuentes coerceri possint poena pecuniaria et spirituali ». Responsum fuit : « Ad 1^um^ affirmative et detur decretum in *Giennensi, celebrationis ordinum*, et amplius. Ad 2^um^ affirmative pro poena pecuniaria tantum arbitrio episcopi ».

103. Quoad hanc assistentiam capituli episcopo ordinanti prae oculis habendum est generale decretum Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. XII*, *de ref.* : « Omnes (de capitulo)... compellantur episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire ». Hoc decretum valet quoque si episcopus pontificalia exercet in alia civitatis vel suburbii ecclesia praeter cathedralem ; potest scilicet cogere capitulum cathedrale ut sibi assistat et inserviat, etsi illa ecclesia sit collegiata et dignitates ac canonicos habeat, dummodo ecclesia cathedralis ministris omnibus non destituatur, debitoque cultu et officio non careat. Non valet vero hoc decretum, si episcopus pontificalia exercet in ecclesia extra civitatem episcopalem et suburbium. His autem positis, ex responsione S. C. C. in *Giennensi* ad 9^um^ dubium cum subsequenti mentis expositione, patet num et quando totum capitulum vel duo saltem canonici assistere et inservire debeant episcopo facienti ordinationes sive generales sive particulares, sive in statutis jure temporibus, sive ex-

tra tempora. Modus assistendi et inserviendi determinatur in Caeremoniali episcoporum.

104. Tandem ordinationes in sacris publice celebrandae sunt. Veteres canones et patres passim inculcant, ex traditione apostolica, *Act. VI*, ordinationes in gradibus hierarchicis faciendas esse coram populo, exclusis tantum catechumenis (1), tum quia populus interpellabatur et testimonium ferre debebat de promovendi idoneitate, et etiam hodie interpellatur, etsi pro forma tantum, de qua re fusius alias ; tum quia eae ordinationes maxime spectant ad populum, qui ordinatis honorem et obedientiam debet, ac proinde congruum est ut ii sub illius oculis promoveantur. Solum tempore persecutionum istae ordinationes fiebant in privatis domibus minori, quo fieri poterat, apparatu, ne frequentior fidelium conventus ipsorum latebras detegeret et persecutionem augeret. Subdiaconatus antiquitus conferebatur privatim (*n. 58*) ; sed postquam inter majores ordines relatus fuit, statutum est, ut et ipse publice daretur. Conc. Trid. in relato decreto hanc disciplinam confirmans vult ordinationes in sacris *publice* celebrari in cathedrali ecclesia aut in alia ecclesia digniori ; sed jam diximus *n. 100* hoc decretum ex contraria consuetudine fuisse temperatum.

§ 3. — *Pro consecratione episcopali.*

105. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. II, de ref.*, statuit : « Consecratio vero, si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam promoti fuerint aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur ». Haec de episcopis cum dioecesi statuta sunt, et cohaerent antiquae disciplinae. *Ut plurimum* enim electio novi episcopi ejusdemque subsequens consecratio fiebat in ipsa ecclesia ad quam novus episcopus promotus erat ; metropolitanus scilicet et episcopi suffraganei, si vacabat ecclesia suffraganea, suffraganei episcopi, si vacabat ecclesia metropolitana, accede-

(1) Concilium Laodicenum, *can. V.*

bant ad ecclesiam vacantem, et, facta novi episcopi legitima electione, ipsum in ecclesia consecrabant. *Ut plurimum*, inquam ; nam electus in episcopum in provincia Romana confirmabatur et deinde consecrabatur Romae ab ipsomet R. P. Etiam in provincia Mediolanensi suffraganeus consecrabatur Mediolani ; archiepiscopus vero Mediolanensis consecrabatur ab episcopo Aquilejensi, ac vice versa, in civitate consecrandi. Tandem concilium Totelanum IV reliquit arbitrio archiepiscopi determinare locum consecrationis suffraganei (1).

106. Nostris diebus decretum Tridentinum non semper servatur, ita ut consecrationem etiam extra provinciam novus episcopus nonnumquam recipiat. Nam si consecratio fieri debet extra Urbem, in ipsa bulla promotionis in Consistorio datur facultas consecrandi novum episcopum : *Cuicumque quem maluisset, catholico antistiti gratiam et communionem Sedis Apostolicae habenti* ; et in vim hujus facultatis novus episcopus a quocumque antistite catholico consecrationem petere et recipere potest. Sed de hoc fusius *in cap. V*, ubi de ministro sacrae ordinationis.

107. Tandem electus in R. P., si characterem episcopalem non habet, ordinatur et consecratur in altari confessionis Basilicae Vaticanae reservato consecrationi R. P. (2), si electio in Urbe facta est ; secus ordinatur aut consecratur in ecclesia cathedrali aut in alia digniori. Post consecrationem locum habet caeremonia coronationis. Pontifex qui primus coronatus fuit, videtur fuisse Leo III an. 795 in Basilica Vaticana. S. Nicolaus I coronatus fuit an. 858 coram imperatore Ludovico II in Basilica Lateranensi ; sed deinde constans usus fuit ut caeremonia coronationis perageretur in Basilica Vaticana ; ex qua novus Pontifex solemnissimo equitatu pergebat ad Basilicam Lateranensem, cujus possessionem sumebat (3).

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *chap. X*, § 4.
(2) Moroni, *vol. XVI*, *pag.* 306.
(3) Moroni, *vol. XVII*, *pag.* 206.

CAPUT III

DE SUBJECTO SACRAE ORDINATIONIS.

108. Ut hanc materiam amplam et implexam aliquo ordine exponamus, in primis videbimus de subjecto idoneo sacrae ordinationis, idest quaenam persona ad statum clericalem accedere et admitti possit aut debeat; deinde de intentione in eadem persona necessaria disseremus. Etiam hac in re disciplina Ecclesiae Orientalis quam breviter exponit PappSzilágyi, *p. II*, § 2 *sequ.*, parum differt a nostra: differentias praecipuas suis locis exponemus.

SECTIO I

De subjecto idoneo sacrae ordinationis.

109. In veteri lege Deus sacerdotium reservaverat Aaron ejusque filiis; ministros vero voluit assumi ex una tribu Levi, qui proinde appellati fuerunt *Levitae*. Christus D. nihil hujusmodi in nova lege constituit; sed dum ex una parte Deus ad statum clericalem appelat quos vult, ex omni tribu et lingua et populo et natione, ex alia autem parte vel ipse Deus jure sive positivo sive naturali, vel deinde Ecclesia, potestate a Deo recepta, aliquas personas prohibuit a statu clericali sive in perpetuum sive ad tempus, perdurantibus scilicet certis circumstantiis. Igitur dici potest subjectum idoneum sacrae ordinationis esse personam vocatam a Deo, et non impeditam: quod fusiori indiget declaratione.

Articulus I

De divina vocatione ad statum clericalem.

110. Omnes admittunt, si excipias illos qui divinam providentiam aut ordinem supernaturalem detrectant, Deum,

independenter a creaturae meritis, aliquos prae aliis eligere ad statum sacerdotalem, et nonnullos inter istos ad dignitatem episcopalem, eosdemque praeparare dotibus seu corporis seu animi congruis ad sacra ministeria digne et laudabiliter obeunda. Hic divinae supernaturalis providentiae actus est divina vocatio ad statum clericalem (1). Diximus *ad statum sacerdotalem... ad dignitatem episcopalem*, quia cum alii clericales gradus a prima tonsura ad diaconatum inclusive in praesenti Ecclesiae disciplina sint via ad presbyteratum, juxta ordinariam oeconomiam divinae providentiae non datur vocatio divina ad aliquem ipsorum terminative. Nos in praesenti loquimur nominatim de vocatione ad statum sacerdotalem, seu de vocatione *ecclesiastica*, non autem de vocatione ad dignitatem episcopalem. Haec autem divina vocatio ecclesiastica esse non solet absoluta, et auferre humanam libertatem : hinc frustrari potest sive ex culpa tum ipsius personae vocatae tum aliorum, sive extra culpam. Insuper haec vocatio concipi et esse potest dupliciter : vel imperativa, ita ut Deus vocans imponat etiam obligationem parendi, vel invitativa tantum, ita ut Deus invitet quidem ad statum clericalem, sed obligationem strictam saltem gravem non imponat.

111. Ex dictis vero jam patet non vocatum a Deo ad statum sacerdotalem, non debere sacerdotium, et ideo nec primam tonsuram aliosque ordines recipere. Sacrae litterae id expresse tradunt. S. Paulus, ad *Hebr.*, *V*, 4, loquens de sacerdotio christiano ait : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum* : Filius meus es tu. Unde Apostoli, *Act. I*, 24, ut in locum Judae alium subrogarent, sic Deum deprecati sunt : *Tu, Domine..., ostende quem elegeris*. Et ipse Christus D., *Joan.*, *X*, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium..., fur est et latro ; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium*. Et rursus, *Joan.*, *XV*, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos... ut fructum*

(1) Habert, *De ordine*, *p.* 3, *cap. I.* Hic auctor ex S. Alph., *VI*, *n.* 802, egregie disputat de divina vocatione.

afferatis, et fructus vester maneat. Et rursus *Luc.*, X, 2 : *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* SS. Patres idem repetunt ; sufficiat citare S. Bernardum, qui in *Tract. de convers. ad Clericos, cap. XIX*, contra illos qui non vocati in clerum se introducunt, sic invehitur : « Unde tantus praelationis ardor ? unde ambitionis impudentia tanta? unde vesania tanta praesumptionis humanae ? Audetne quis vestrum terreni cujuslibet reguli, non praecipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, praeripere beneficia, negotia dispensare » ? Tandem non una ratio idem confirmat. Nam 1° non vocatus ad sacram ordinationem accedens agit contra voluntatem Dei, ejusque supremam auctoritatem laedit, uti indicant verba relata S. Bernardi. 2° Ejus ministerium erit infructuosum, tum quia ipse non est aptus ecclesiasticis muneribus, tum quia deest benedictio Dei, a quo omnis spiritualis fructus est repetendus juxta illud : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, I^a *Cor.*, *III*, 7. Insuper hoc speciale habet status sacerdotalis ut destinetur ad officium mediationis inter Deum et homines, intercessionis apud divinam misericordiam et dispensationis mysteriorum Dei ; atqui nemo mediatoris partes assumere debet, nisi admittatur a partibus quorum interest, et praesertim a Deo a quo pendet nostra reconciliatio ; nemo etiam se ingerere proprio nutu debet in dispensationem mysteriorum Christi. 3° Ipse carebit auxiliis particularibus quae Deus reservat electis suis, quaeque jugum divinum reddunt suave et onus leve. Hinc ipse poterit quidem et debebit obligationes clericales adimplere, cum gratia sufficiens nemini desit, sed illis auxiliis destitutus difficile easdem rite adimplebit (1).

112. Quid vero si quis non vocatus ingressus sit ? Si ordines minores non est praetergressus, recedat. Et quidem si dubius de sua vocatione primam tonsuram et ordines minores recepit, per se non peccavit, saltem graviter. Nam ex Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVIII*, *de ref.*, prima tonsura

(1) Habert, *l. c.* ; S. Alph., *l. c.* ; Icard, *Prael. juris can.*, *n.* 316.

conferri potest pueris *quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros*. Unde deducitur non requiri certitudinem vocationis ad licitam primae tonsurae susceptionem, quod et de ordinibus minoribus repetendum esse putamus. Si vero certus de non vocatione ad primam tonsuram et minores ordines accessit, peccavit; sed utrum peccatum fuerit mortale, saltem ob voluntatem recipiendi ordines sacros, nolumus definire.

Casus gravior est si non vocatus ordines etiam sacros recepit. Doctores rationibus supra allatis innixi eumdem a peccato gravi non excusant, saltem si certus erat de non vocatione (1). Putamus a temeritate graviter culpabili neque illum excusari, qui sine debita investigatione divinae voluntatis, aut in dubio de vocatione ad sacros ordines accessit. Interim tamen taliter ordinatus non debet de propria salute desperare, memor doctrinae catholicae quod Deus vult omnes homines salvos fieri. Peracta itaque de propria temeritate poenitentia, studeat suis obligationibus rite satisfacere, orationibus et laboriosis poenitentiae exercitationibus petens a Deo ulteriora gratiae auxilia; docet enim Conc. Trid., *sess. VI, cap. XI*: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis ». Igitur repetendum ei est illud Augustini: *Fac ut voceris*.

113. E contrario ex dictis pariter evidens est vocatum a Deo debere statum clericalem amplecti, et non retardari neque falsae humilitatis praetextu, neque multo minus praetextu commodorum temporalium. SS. Patres id passim inculcant. S. Athanasius, epistola ad Dragontium Manathum qui episcopatum recusabat, rationibus et exemplis v. g. Jonae illum revincit, singillatimque refellit quae opponebat momenta, scilicet vitae solitariae et contemplationis studium, juramentum quo se obstrinxerat numquam acceptaturum dignitates ecclesiasticas, agitationes et motus, quibus vix potest esse vacuus episcopus, et peccandi occasiones et pericula quibus continuo est expositus. Et S. Augustinus, li-

(1) S. Alph., *l. c.*, *n.* 803; Habert, *l. c.*

cet olim ad sacerdotium raptus quodammodo invitus, scribit tamen *epist.* 48, *alias* 81, ad Eudoxium : « Vos autem, fratres, cohortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis et in eo usque in finem perseveretis ; ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit..., nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiae praeponatis : cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis ». In genere omnes sancti viri, propriae infirmitatis conscii, gradus ecclesiasticos refugerunt, quamdiu perspectam non habuere Dei voluntatem ; at ubi ipsis haec innotuit, paruerunt statim.

114. Quid vero si quis vocatus introire recusat ? Si eidem constat absoluta et imperativa Dei voluntas (*n. 110*), reus foret peccati mortalis, ut per se patet (1). De hoc casu intelligimus scriptores illos qui tradunt aequalis esse periculi officium sacerdotale usurpare, Deo non vocante, et illud detrectare, Deo vocante. Si absoluta et imperativa Dei voluntas eidem non innotescit, sequitur nec strictum praeceptum saltem grave amplectendi statum clericalem constare ; et ideo taliter vocatus, renuens obtemperare, est quidem valde vituperandus, sed non videtur posse reprehendi de culpa saltem gravi. Hinc episcopus promovendos ad subdiaconatum monet liberos esse ut ad saecularia vota transeant, licet existimet eosdem suum propositum considerate perpendisse (2). Et S. Poenitentiaria, die 27 *Aug.* 1829, respondit non esse cogendum ad suscipiendos sacros ordines clericum qui, licet a suis superioribus electus et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit causa humilitatis vel timore inimicorum : nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus ordinem. Haec intelligimus de coactione tum externa, tum interna, onerata scilicet graviter conscientia : sed de coactione ad ordines rursus redibit sermo in altera sectione hujus capitis.

(1) Icard, *op. cit.*, *n.* 318.
(2) Icard, *l. c.*, *n.* 319.

115. Remanet ut videamus quomodonam divinam vocationem nos dignoscere valeamus : in qua re piis ad clericatum alumnis tot anxietates. In primis animadvertimus, exceptis casibus evidentibus, neminem suo proprio judicio, nisi temere, posse definire se non esse a Deo vocatum, et multo minus se esse a Deo vocatum ad sacros ordines. Revera *Act.*, *IX*, 6, Deus Saulo roganti non declarat quid vellet ipsum facere, sed ad Ananiam mittit : *Et ibi dicetur tibi*, inquit, *quid te oporteat facere*. Et *Act.*, *X*, 5, dicitur Cornelio Centurioni : *Accersi Simonem : hic dicet tibi quid te oporteat facere*. Sancti Patres idem confirmant tum exemplo, honorem clericatus declinando, donec per pastores vocationem suam exploratam habuerunt, tum doctrina, repetendo fugiendas Ecclesiae dignitates, si nullus eas imponat, obtemperandum, quando imponuntur. Tandem prudentia humana in re tanti momenti idem suadet, quia sacerdotium perfectionem praeexigit ; atqui ex S. Thoma, 2. 2., *q.* 185, *art.* 1, *ad* 2^um^, praesumptuosum est quod aliquis perfectum se reputet, et praeterea circa se saepe fallitur homo, et putat se habere bona quae revera non habet. Demum humanae rationes, diabolus ipse possunt nos contra divinam voluntatem aut ad statum clericalem impellere, aut ab eodem avertere. Igitur ad explorandam nostram vocationem plerumque consilium ab aliis quaerere debemus ; et heic etiam applicatur adagium : *Nemo judex in causa propria*. Scilicet in primis episcopi est explorare vocationem ; et ideo olim clerici sub episcopi oculis instituebantur in episcopio seu domo episcopali, de qua re in *cap. IV*. Vices episcopi hodie supplet pro foro interno confessarius (aut alius sacerdos electus a candidato, sed etiam in hoc casu decet ut candidatus consulat suum confessarium) ; pro foro externo rector seminarii, si agitur de seminarii alumnis, vel si agitur de caeteris non alumnis seminarii, parochus aut alius sacerdos qui eosdem dirigit. At episcopus est qui, facto scrutinio de quo in cit. *cap. IV*, candidatum tandem vel rejicit vel admittit, judicans esse necessarium vel utilem suis ecclesiis, juxta Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVI*, *de ref.*

116. Hoc posito, aliquando impedimentum existens est

argumentum evidens non vocationis, si nempe Titius a nativitate laborat impedimento perpetuo et absque spe dispensationis, e. g. si est a nativitate mutus, surdus, abstemius; vel si sortitus est agrestem indolem, animum ferocem, levem ac instabilem, mollem ac ignavum, ingenium obtusum et plumbeum, scientiis acquirendis nullatenus idoneum; vel si semper habuit et habet contrarietatem erga ecclesiastica ministeria, et semper habuit et habet propensionem erga saecularia negotia, etc. Si hoc impedimentum non est a nativitate, sed adventitium, per se non probat vocationem antea non adfuisse; sed cum ex hypothesi hoc impedimentum sit perpetuum et non patiatur dispensationem, inutile est, ipso extante, loqui de vocatione; e. g. si Titius adulta aetate mutus evasit, aut iracundiae vel violentiae deditus est, quae vitia vix penitus abradi queunt, etc. Impedimentum vero de se perpetuum, sed dispensabile, e. g. in genere irregularitas, constituit praesumptionem, non vero probationem contra vocationem. Proinde irregularis, si omnia pro vocatione concurrunt, de quibus infra, petet dispensationem; et solum si haec dispensatio sine illius culpa a legitimo superiore recusatur, merito potest haec recusatio haberi tamquam argumentum praevalens non vocationis. Haec facile applicabis impedimento quod resultat ex vinculo matrimoniali existenti, vel ex defectu tituli canonici, etc. Imo impedimentum quod per se cessat, aut statim tollitur, e. g. defectus confirmationis, defectus debitae aetatis, etc., nec praesumptionem constituit contra vocationem: solum candidatus promoveri non potest antequam ab impedimento liber evaserit. Tandem nec defectus debitae scientiae et debitae sanctitatis est per se signum certum contra vocationem, quia ii defectus possunt a negligentia et culpa candidati procedere.

117. Caeterum indicia vocationis ecclesiasticae aliquando sunt extraordinaria et ferme miraculosa, cum nempe Deus medio aliquo extraordinario suam voluntatem manifestat. Ita vocatus fuit S. Gregorius M., S. Ambrosius etc., ne de vocatione S. Pauli loquamur; ita et ille vocaretur cui episcopus ob absolutam Ecclesiae necessitatem imponeret obliga-

tionem strictam suscipiendi ordines, de qua re alias ; aut ille quem insoliti Spiritus Sancti motus interiores ac inspirationes in statum clericalem impellunt. In his casibus non solum vocatio est omnino evidens, sed etiam satis apparet vocationem esse imperativam. At hanc manifestationem divinae voluntatis, praecise quia extraordinariam, nos sperare nec possumus nec debemus. Signum ordinarium vocationis ecclesiasticae est sensus quidam supernaturalis hominem inclinans ad amplectendum statum clericalem intuitu gloriae Dei et salutis proximorum ; Deus enim non vocat communiter hominem ad statum clericalem, quin illum interius inclinet aspiratione quadam supernaturali, quae non est semper sensibilis, et quandoque est impugnata affectibus contrariis naturae, vel etiam timore quem animae incutit onus grave ministerii sacerdotalis. Hanc inclinationem necessario comitatur ardens charitas erga Deum et erga proximum propter Deum, sacrorum studium, rerum divinarum cura quam perbelle describit S. Hieronymus in suo Nepotiano adhuc clerico : « Erat sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium ». Si adest haec inclinatio constans et fortis ex recto fine cum aliis indicatis affectibus et cum debita scientia ac debita sanctitate, nec ullum aliud impedimentum obest, et si tandem episcopus, facto scrutinio, canditatum admittit et judicat necessarium aut utilem, vocatio divina est moraliter certa; licet retinenda sit invitativa tantum, cum praeceptum seu imperium divinum non constet.

118. Igitur in praxi haec servetur regula. In primis candidatus conscientiam suam, si opus habet, seria poenitentia expurget, vitiosos habitus emendet, intermissa pietatis studia revocet, ut Dei vocatio et genuina naturae propensio se promant. Deinde abscondita cordis sui sincere denudet, sinus et recessus conscientiae aperiat suo moderatori, qui hoc modo ejus indolem, ingenium, animi propensionem, divinas motiones, incrementa virtutum percipiet ; et simul lumen

Spiritus Sancti humiliter imploret ea animi dispositione ut Dei voluntatem, quaecumque ea sit, sequatur. Post haec, si moderator conscientiae pronuntiat pro statu clericali juxta ea quae supra diximus, item rector seminarii aliusve ut supra quoad externam disciplinam, et episcopus, facto scrutinio, jam satis de divina vocatione constare dicendum est, et candidatus, sepositis omnibus scrupulis, fretus divino auxilio, ad sacram ordinationem accedat. E contrario si judicium fuerit pro statu saeculari, jam certa moraliter erit non vocatio. Tandem judicium esse potest quoque pro statu religioso.

119. Quid vero in dubio? In primis animadvertimus haec dubia saepius oriri ex peccatis praesertim contra castitatem, aut ex non extirpatis vitiosis habitibus. Quidquid de hoc sit, stante dubio, in praxi pronuntiandum est pro non vocatione: hinc cum ad primam tonsuram et ordines minores recipiendos sufficiat probabilitas vocationis, candidatus dubius poterit hos gradus recipere et interim divinam voluntatem melius scrutari, et seipsum in virtutibus exercere; sed tandem, nisi dubium ex christianae prudentiae regulis et suorum superiorum consilio deponat, debet recedere.

Articulus II

De impedimentis a statu clericali repellentibus.

120. Ut aliqua persona ad statum clericalem promoveri valeat, necesse est, ut supra diximus, praeter divinam vocationem, ut nullo impedimento detineatur; de quibus impedimentis modo fuse agendum est. Animadvertimus nonnulla impedimenta ita repellere a statu clericali, ut ordinatio forte collata foret non solum illicita sed etiam irrita; alia vero ita repellere a statu clericali ut ordinatio forte collata foret illicita quidem, sed tamen valida. De singulis in distinctis paragraphis.

§ 1. — *De impedimentis ordinationem irritantibus seu de incapacitatibus.*

121. Impedimenta quae ordinationem non prohibent tantum, sed etiam dirimunt, vulgo appellantur *incapacitates*, et personae quae illis detinentur *incapaces*. Proinde incapacitas in subjecta materia est : impedimentum quod jure divino positivo a primis tribus ordinationibus et consequenter jure ecclesiastico ab aliis gradibus ita arcet ut promotio non solum peccatum secumferat, sed etiam viribus careat. Incapacitas igitur est inhabilitas in stricto sensu, quia inhabilitas in jure proprie intelligitur radicalis ad actum. Probata alicujus incapacitate ex jure divino ad presbyteratum, necessario consequitur ejusdem incapacitas ex eodem jure divino ad episcopatum qui presbyteratum praesupponit saltem juxta communiorem sententiam (*n. 23 sequ.*), et ad diaconatum qui ad ipsum refertur ; et pariter statim consequitur ejusdem incapacitas ex jure ecclesiastico ad alios inferiores gradus, quia Ecclesia in eorum institutione imitata est oeconomiam juris divini eosque instituit tamquam *gradus* ad sacerdōtium.

122. Porro incapaces ad sacram ordinationem recipiendam sunt :

1° *Angelus et anima separata*, etsi sub forma humana. Nam Apostolus, ad *Heb.*, *V*, 1 *sequ.*, ait : *Omnis..... pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis : nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Quibus verbis manifeste indicat sacerdotium christianum hominibus viatoribus reservari : proinde et episcopatum et diaconatum aliosque inferiores gradus, ut supra explicatum est. At profecto Deus posset absolute loquendo

angelo et animae separatae potestatem conferre ordinis etiam sacerdotalis et episcopalis (1).

Utrum vero potestas ordinis, in hac vita recepta una cum charactere sacramentali, in altera vita perduret necne, dicemus in *cap. VI.*

123. 2° Inter homines viatores *non baptizati* baptismo aquae, etsi catechumeni. Tempore Innocentii III quaesitum fuit num presbyter, qui non baptizatus ordinem sacerdotalem receperat, iterum ordinari deberet. Innocentius III rescribens ad archiepiscopum Ferrariensem in *cap. Veniens, De presbytero non baptizato*, in tertia collectione Decretalium, varias refert sententias: « Quidam, inquit, in eam declinaverunt sententiam, ut cum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud sacramentum, quoniam ubi fundamentum non est, superaedificari non potest. Porro e contra videri posset; nam quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi; et qui Christum habet per fidem, etiamsi baptismum non habeat, habet utique fundamentum, praeter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus, et superaedificare posse videtur sicut salutifera opera, sic et quaelibet ecclesiastica sacramenta, cum illud non sit generaliter verum, neque de novis neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum; quoniam sacramentum conjugii et eucharistiae a non baptizatis recipi potest. Praeterea sacramentum ordinis non solum pontificalis, sed sacerdotalis et levitici, ex institutione sua praecessit baptismum; propter quod forsitan videtur quod ante baptismum hujusmodi ordines possent rite conferri, maxime his qui baptizati esse creduntur ». Tandem Innocentius III concludit: « Nos... in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures et permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum, nec male de sacramento

(1) S. Thomas, 3 *p.*, *q.* 64, *a.* 7.

sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit ». Notandum est Innocentium III statuere esse reordinandum non sub conditione, sed pure ac simpliciter, quod indicat ipsum Innocentium III alteri opinioni seriam probabilitatem non tribuisse : et revera hodie nemo ipsam ut probabilem habet.

Innocentius III pro sua conclusione citat auctoritatem concilii habiti apud Compendium statuentis : « Quod si quis, in presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur ». Citare quoque poterat auctoritatem concilii Nicaeni, quod constituit Paulianistas qui catholicam baptismi formam non servabant, esse rebaptizandos et deinde eos qui in haeresi ordinati fuerant, si inculpabilis vitae reperirentur, rursus esse ordinandos.

Ratio autem theologica est illa quam Pontifex exponit pro prima sententia, scilicet quod baptismus aquae est janua sacramentorum ; quam rationem illustrare potes ex his quae habet D. Thomas in *p.* 3, *q.* 72, *a.* 6, et in *suppl.*, *q.* 35, *a.* 3.

124. 3° Inter homines viatores baptizatos, *foeminae*. Revera Apostolus in 1ª *ad Cor.*, *XIV*, 34, ait : *Mulieres in ecclesia taceant ; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit* (*Gen.*, *III*). *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulierem loqui in ecclesia.* Et 1ª *ad Tim.*, *II*, 11 *sequ.* : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Exinde patet manifeste foeminas prohiberi ab ordinibus. Et quidem prohibentur sub poena nullitatis : ita enim traditio et communis doctorum catholicorum doctrina interpretata est legem Apostoli, et ideo Patres inter haereses recensent doctrinam qua sacerdotalis dignitas et officium mulieribus tribuitur (1). Paludanus, apud Hallier, *p. II*, *sect. IV*, *cap. II*, § 2, affirmavit

(1) S. Epiphanius, *Haer.* 29, *alias* 49 ; S. Ambrosius in illud 1° *Tim. III : Mulieres similiter pudicas...* ; S. Augustinus, *De haer., cap. XVII* ; S. Irenaeus, *Adv. haer., lib. I, cap. IX.*

mulierem tonsurae suscipiendae capacem esse ; sed immerito, cum prima tonsura sit praeparatio ad ordines, et frustra ad ordines praeparatur, qui ab ordinibus prohibetur. Quod si in lectionibus Breviarii sub *die* 12 *Augusti* legimus S. Claram Assisiensem recepisse a S. Francisco tonsuram, id intelligitur de tonsura materiali, idest tonsam ab eodem fuisse.

125. Ex dictis apparet quid dicendum de ordinatione hermaphroditae, qui nempe utroque sexu pollet. In nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n.536*, diximus juxta physiologos et medicos recentiores non dari veros hermaphroditas ; et licet aliquando dubium esse possit utrum persona sit vir an foemina, tamen alterutrum est et nequit esse simul utrumque. Proinde si est vir, ordinatio est valida ; si est foemina, ordinatio est nulla ; si dubium est, etiam ordinatio est dubia, et ideo promotus nequit ministrare, praesertim in primis tribus ordinibus. Utrum vero sit vir an foemina, medici judicabunt.

126. In antiquis documentis ecclesiasticis, quorum nonnulla infra citamus, aliquando mentio occurrit *episcoparum*, *presbyterarum*, *diaconarum* seu *diaconissarum*, et *hypodiaconarum*. Exinde sequi videretur in primis Ecclesiae saeculis hos ordines etiam mulieribus collatos fuisse. Necesse est ut hoc eruditionis ecclesiasticae punctum breviter declaremus (1).

127. In primis *episcopae*, *presbyterae*, *diaconae*, *hypodiaconae* aliquando dicebantur mulieres non ab ullo gradu seu ministerio sacro, sed vel a viro qui, acceptata cum uxore continentiae lege, ad relativos ordines assumptus fuerat, sicuti et nos vulgari sermone appellamus *Madame la présidente* etc. uxorem viri qui hoc gradu fulget, vel quandoque etiam a filio, qui eos ordines habebat. Ita synodus Turonensis II (a. 567) in *cap. XII* praecipit episcopo ut uxorem tamquam sororem habeat ; et in *cap. XIII* illius uxorem vocat *episcopam*. Synodus Autissiodorensis

(1) Devoti, *Jus Can. Un., lib. I, tit. XI, § IX sequ.* ; Goar, *l. c., pag.* 262 *sequ.*

(a. 578-590), *cap. XXI*, aeque aperte loquitur: « Non licet presbytero, post acceptam benedictionem, in uno lecto cum *presbytera* sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, nec subdiacono ». Etiam synodus Romana sub Gregorio II in *cap. I, II, III*, *presbyteras* et *diaconas* eodem sensu nominat. S. Gregorius M., in *lib. IV Dialog.*, *cap. XX*, laudat Ursicinum presbyterum qui « a tempore accepti ordinis *presbyteram* suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere non sinebat ». Tandem apud ecclesiam S. Praxedis in Urbe, in cappella S. Zenonis adest inscriptio, in qua Theodora, mater Paschalis II Romani Pontificis, appellatur *episcopa* (1).

128. Verum fatendum est *diaconas* et vulgo *diaconissas* frequentius dictas fuisse mulieres, quae quibusdam ministeriis ecclesiasticis fungebantur.

129. In antiquitate ecclesiastica aderant *viduae* et *diaconissae*. Discrimen inter easdem pluribus illustrat Hallier, *p. II, sect. IV, cap. II*, § 6, *n.* 18 *sequ.*

130. *Viduae* passim dicebantur quaecumque in viduitate caelibem vitam ducebant etiam absque voto: sed praeterea erat viduarum quidam ordo, in quem per castitatis professionem illae admittebantur quarum aetas et diligentior probatio castitatis omne incontinentiae periculum submovebat. Quae ad hunc ordinem promovebantur, vidualem vestem in ecclesiae sacrario, castitatem coram episcopo professae, induebant. Concilium Toletanum IV, *cap. IV*, duo genera viduarum ita recenset: « Saeculares viduae dicuntur, quae adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales vero quae, jam mutato habitu saeculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel ecclesiae apparuerunt ». Viduas autem hoc votum castitatis emittentes et vestem vidualem assumentes, velari quoque licuisse, saltem alicubi, non pauca documenta indicant (2). Proinde eae viduae erant ad instar nostrarum religiosarum

(1) Duchesne, *Liber Pontificalis, tom. II, pag.* 64, *lin.* 39; *pag.* 65, *not.* 14.

(2) Hallier, *l. c.*, *n.* 11.

vel monialium, licet non in communi, sed in privatis domibus viverent.

131. Diaconissae autem non ad castitatem solum servandam, sed praeterea ad officia quaedam ecclesiastica obeunda consacrabantur. Fuerunt institutae ab ipsomet Apostolo Paulo, qui in prima epistola Timotheum docet dotes et requisita diaconissarum parallela dotibus et requisitis diaconorum :

(1ª *Tim.*, *III*, 8) : *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.*

(1 *Tim.*, *III*, 12) : *Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint et suis domibus.*

(1 *Tim.*, *III*, 11) : *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.*

(1ª *Tim.*, *V*, 9) : *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.*

Ipse Apostolus, ad *Rom.*, *XVI*, 1, commendat *Phoeben sororem nostram quae est in ministerio ecclesiae quae est in Cenchris* ; idest quae erat diaconissa.

132. Ut ipse indicat Apostolus, diaconissae seligebantur inter viduas quae fuerint unius viri uxores. Verum jam ab antiquis temporibus inter diaconissas annumeratas videmus et quasdam virgines : nec mirum, cum tanto honore frueretur apud christianos virginitas. Et videntur ad diaconissarum gradum praesertim assumptae episcoporum in Oriente, et presbyterorum, diaconorum aut etiam subdiaconorum in Occidente uxores quae cum viris rem habere prohibebantur. Quamquam vero S. Paulus, *l. c.*, pro ordinatione diaconissae praescribat aetatem sexaginta annorum, tamen haec

aetas non semper servata fuit. Sunt enim concilia imo et civilia jura quae diaconissas admittunt in quinquagesimo aut in quadragesimo aetatis anno constitutas (1).

133. Circa ordinationem diaconissarum in primis Justinianus, *Nov. VI, cap. VI*, vult : « Omnes quae ordinabantur venerabiles diaconissae, tempore ordinationis et moneri et sacrorum audire mandatorum praecepta coram reliquis quae dudum sunt venerabiles diaconissae ; ut et ipsae Dei timorem habeant et adhaerentes sacris mandatis fiduciam ». Ritum quo mulier constituebatur diaconissa, describunt Constitutiones Apostolicae, *lib. VIII, cap. XIX et XX*, et refert Goar, *l. c., pag.* 262 *sequ.* ; et est omnino analogus ritui ordinationis diaconorum. Equidem concilium Nicaenum I, *cap. XIX*, prohibet diaconissis manus imponi, statuens : « Quae (diaconissae) in habitu esse probantur, quod non habeant manus impositionem, ut modis omnibus ipsae inter laicas habeantur ». At Concilium de Paulianistis tantum diaconissis agit ; Paulianistarum vero baptisma invalidum erat, ac proinde et ordinatio (*n. 124*).

134. Diaconissarum officia erant circa foeminas analoga officiis diaconorum circa viros, et praecipua ad sequentia reducebantur. 1° Episcopo vel presbytero foeminas baptizanti aderant ut omnis actio qua par erat honestate et decentia perageretur ; 2° Easdem foeminas inungebant oleo sacro ante baptismum ; 3° Adhuc catechumenas privatim instituebant in necessariis doctrinae christianae capitibus ; 4° Aegrotantes invisebant, et foeminis martyribus aut confessoribus fidei in carcere detentis ministrabant : 5° In ecclesiis in quibus peculiaris ac propria erat foeminarum janua, assistebant ad introitum mulierum ; 6° In ecclesia suum cuique locum foeminis assignabant ; 7° Viduis reliquis praeerant et earum necessitatibus subveniebant, unde in quibusdam canonibus *praesidentes* et *gubernantes* appellantur, etc. (2).

135. Haec diaconissarum disciplina per plura saecula

(1) Goar, *l. c., pag.* 264, *n.* 2.
(2) Goar, *l. c., pag.* 266, *n.* 6.

viguit in Occidente, diutius in Oriente, ubi etiam hodie in quibusdam locis diaconissas esse perhibetur, teste Assemani citato a Devoti, *l. c.*, § *X*, *n.* 9. Eamdem suscitaverunt protestantes ut sub antiquitatis nomine nostras imitarentur moniales quae pauperibus, infirmis aliisve miseris praesto sunt (1).

136. Ad rem nostram quod attinet, animadvertimus quod licet diaconissis ritu externo committeretur potestas ad aliqua officia spiritualia obeunda, tamen ob rationes allatas *n. 7* exinde dici non potest ipsas recepisse ordinem diaconalem proprie dictum, sed tantum officium analogum officio diaconorum.

137. *h*° Tandem inter viros viatores baptizatos, *non presbyter pro episcopatu* juxta communiorem sententiam. Sed propter materiarum connexionem majoris claritatis gratia hanc elegantem quaestionem agitavimus *n. 23 sequ.*

138. Huc usque de incapacibus sacrae ordinationis recipiendae. Alii omnes, praeter recensitos, sunt capaces ; sed inter hos plures prohibentur a statu clericali, de quibus fusius agendum est.

§ 2. — *De impedimentis ordinationem prohibentibus.*

139. Materiam difficilem aggredimur, in qua magna est confusio apud auctores. Ad hunc scopulum evitandum, animadvertimus haec impedimenta distribui posse in triplicem classem, nempe in *censuras cum homonymis poenis et prohibitionibus*, *irregularitates*, et *reliqua impedimenta simpliciter*. Hinc in documentis Sedis Apostolicae saepe legitur ordinandos immunes esse debere a *censura*, *irregularitate* vel *alio canonico impedimento*. Censurae cum homonymis poenis et prohibitionibus et irregularitates sunt ex jure canonico ; reliqua impedimenta simpliciter sunt vel ex jure divino vel ex jure canonico. De singulis sub distinctis numeris sermo erit.

(1) Wetzer und Welte *Kirchenlexicon*, *v. Diaconissen*.

I

De censuris cum homonymis poenis ac prohibitionibus, quatenus sunt impedimentum sacrae ordinationis.

140. Censura definitur: *Poena medicinalis qua christiano delinquenti et contumaci usus quorumdam bonorum spiritualium aufertur.* Innocentius III interrogatus quid nomine censurae veniret in bullis pontificiis, respondet in celebri *cap.* 20, *De verborum significatione*, venire *excommunicationem, interdictum* et *suspensionem.* Attamen interdictum et suspensionem quandoque habere rationem *verae censurae* juxta datam definitionem, quandoque vero rationem *merae poenae*, aut etiam *simplicis prohibitionis* quae non supponit culpam, ex dicendis patebit. Nostrum non est de censura excommunicationis, interdicti et suspensionis cum homonymis poenis et privationibus ex professo pertractare; de quibus omnes canonistae fuse agunt in *tit. XXXIX, De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, lib. V Decret.* Nos solum exponere debemus quomodonam haec impediant sacram ordinationem recipere. De episcopo excommunicato, interdicto, suspenso ordinante; et de Ordinario his vinculis illaqueato dante dimissorias, agemus in *cap. V*, ubi de ministro sacrae ordinationis.

141. *Excommunicatio* est: *Censura qua quis separatur a communione fidelium* (1). Igitur, omissa excommunicatione minori quae non amplius existit, excommunicatio major, prout definitio indicat, separat a fidelium communione sive in divinis sive in humanis; ideoque prohibet omnia quae hanc communionem secum ferunt, quaeque auctores fuse exponunt. Proinde dubitari nequit excommunicatum, quandiu viget excommunicatio, non posse licite gradum clericalem quemcumque recipere aut receptum exercere, et consequenter non posse obtinere beneficium; haec enim omnia profecto important communionem in divinis cum fidelibus.

(1) D'Annibale, *I*, § 360; Suarez, *l. c., disp. VIII, sect. I, n.* 1; S. Alph., *VII, n.* 133; Schmalz., *V, XXXIX, n.* 112.

142. In *cap.* 32, *De sententia excomm.*, Innocentius III agit praecise de excommunicatis ex violenta clericorum percusione, qui « ecclesiasticam sententiam negligentes, in excommunicatione positi, ecclesiasticos ordines accipere non formidant » ; et respondet eos, si scienter id fecerint, a susceptis ordinibus in perpetuum esse deponendos, vel, ut postea legitur de regularibus, ab executione suscepti ordinis et officii manere suspensos ; si vero id fecerint ex ignorantia seu juris seu facti, culpabili tamen (1), et quidem graviter, episcopum cum saecularibus, et superiorem cum regularibus posse dispensare. Evidenter heic agitur de suspensione (2) : quae videtur fuisse latae sententiae. Illud vero *ecclesiasticos ordines* comprehendere tum majores tum minores non est dubium (3) ; sed non comprehendit primam tonsuram. Haec autem poena suspensionis inibi statuitur in ordinatos excommunicatos ex violenta clericorum percussione ; et licet Suarez, *l. c.*, affirmet hanc poenam esse extendendam ad omnes excommunicatos recipientes ordines, id tamen clarum non est. Caeterum haec suspensio non legitur in const. *Apostolicae Sedis*, et ideo abrogata dici debet. Hinc excommunicatus primam tonsuram aut ordines recipiens, hodie peccat quidem graviter ; sed poenas latae sententiae non contrahit, et nominatim non est irregularis (*n. 194*). Ordinem vero receptum exercens peccat graviter et, si actus ordinis est clericis reservatus (*n. 150*), contrahit irregularitatem, de qua fuse *n. 355 seq.* Tandem episcopus promovens excommunicatum nec jure communi poenas latae sententiae unquam contrahebat ; sed promovens *nominatim* excommunicatum incurrit ipso jure interdictum ab ingressu ecclesiae, de quo in const. *Apostolicae Sedis* inter interdicta latae sententiae reservata, *n. 2;* quae poena desumpta est ex *cap.* 8, *De privilegiis*, *in* 6°.

143. *Interdictum* in genere est : *Prohibitio removens fideles a participatione quarumdam rerum sacrarum.* Res sacrae heic sunt *divina officia*, nempe ministeria po-

(1) Suarez, *l. c.*, *disp.* XXXI, *sect. I*, *n.* 58.
(2) Suarez, *l. c.*, *n.* 56 ; S. Alph., *VII*, *n.* 160.
(3) Suarez, *l. c.*

testatis ordinis quae ex institutione Christi vel Ecclesiae a solis clericis praestari possunt, et *sepultura ecclesiastica* (1). Aliud est *locale*, quod afficit immediate *loca* ; et subdividitur in *generale*, si aliquod territorium, e. g. civitas, parochia, interdicto submittitur, et in *speciale*, si determinatus locus, e. g. sola ecclesia parochialis, vel aliqua determinata loca tantum, interdicto afficiuntur. Locale interdictum non est proprie dicta censura, sed mera poena ; et si fertur sine peccato, e. g. si episcopus prohibet quominus divina officia celebrentur in ecclesia cui periculum ruinae imminet, vel ne adhibeantur in divinis officiis paramenta vetustate diruta, est simplex prohibitio. Aliud est *personale*, quod afficit immediate personas, et rursus subdividitur in *generale*, quod fertur in populum, seu ordinem aut coetum personarum, et in *speciale*, quod in individuum vel individua determinata fertur. Rursus interdictum personale-generale non est vera censura, sed mera poena, et, quoad innocentes, est simplex prohibitio ; speciale autem est vera censura, si imponitur tamquam poena medicinalis cessans, fracta contumacia ; est mera poena, si infligitur ad tempus determinatum aut in perpetuum. Tandem aliud est *mixtum*, quod ex dictis facile intelligitur. Interdicto personali accedit *interdictum ab ingressu ecclesiae*, locali *cessatio a divinis*.

144. Porro interdictum aliquando producit omnes effectus indicatos in definitione ; aliquando ad aliquos tantum limitatur vel ex jure vel ex terminis sententiae interdicti. At interdictum limitatum *ad exercitium ordinum*, vel *ad actum unius ordinis*, e. g. ad celebrationem Missae, est potius suspensio quam interdictum, licet interdictum vulgo appellari soleat. Videamus utrum interdictum ex jure, nisi ex terminis sententiae limitetur, prohibeat sacram ordinationem.

145. Interdictum locale tum generale tum speciale vetat in loco administrari et recipi sacramentum eucharistiae, nisi in periculo mortis, sacramentum extremae unctionis et sacramentum ordinis ; insuper vetat sepulturam ecclesiasticam in loco interdicto, exceptis personis privilegiatis. Quoad

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXIV, sect. III, n.* 4 ; D'Annibale, I, § 370 ; Schmalz., *V, XXXIX, n.* 361.

alia officia divina distinguendum est inter interdictum locale-generale et interdictum locale-speciale. Nam in primo sacrificium Missae aliaque divina officia celebrari possunt sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, exclusis tum clericis excommunicatis ac interdictis tum laicis, et campanis non pulsatis; quae omnia permittuntur in festivitatibus Natalis, Paschae, Pentecostes, Corporis Christi cum octava, Assumptionis et Conceptionis B. M. V., excommunicatis exclusis, sed interdictis admissis. In altero solum licet, si agatur de ecclesia parochiali interdicta ubi asservatur sanctissimum sacramentum, ad renovandam eucharistiam pro infirmis, legi unam Missam semel in hebdomada, nemine assistente. Cum igitur ordinationes hierarchicae sint vera sacramenta ordinis, ordinationes non hierarchicae et collatio primae tonsurae inter divina officia sint profecto recensenda, patet utrum et quatenus in loco interdicto sive generaliter sive specialiter promotiones clericales prohibeantur (1). Plures aiunt ordinationem licere in loco interdicto, si esset talis sacerdotum penuria ut sacramentum poenitentiae et eucharistiae commode infirmis ministrari non posset (2). Ita porro si ordinatio in alio loco non interdicto fieri non posset; sed haec hypothesis vix umquam verificabitur, quia episcopus potest accedere ad locum non interdictum pro ordinatione, aut ordinandos dimittere ad alienum episcopum (3). Pariter in loco interdicto vetatur exercitium ordinum licite receptorum, si clericus eos exercens administret sacramenta aut celebret officia divina prohibita per interdictum; exercitium vero ordinum male receptorum, e. g. ob violatum interdictum, vetatur etiam extra locum interdictum juxta ea quae dicimus *n. 153*.

146. Interdictum personale-generale vetat personam interdictam quocumque in loco administrare aut recipere sacra-

(1) D'Annibale, *I*, § 374, *not.* 38. Suarez, *l. c.*, *sect. I*, *n.* 45, admittit tonsuram prohiberi uti officium divinum; sed putat omnes ordines prohiberi uti sacramenta, quia omnes rationem sacramenti habent. Atqui hoc est falsum de ordinibus non hierarchicis.

(2) Layman, *cap. II*, *n.* 1; Bonacina, *VI*, *III*, § 3, *n.* 3; Pirhing, *V*, *XXXIX*, *n.* 235.

(3) Schmalz., *V*, *XXXIX*, *n.* 356; Sayr, *V*, *VII*, *n.* 38.

menta, de quibus supra, admitti ad ecclesiasticam sepulturam, tandem celebrare alia officia divina, aut iisdem assistere vel eorumdem subjectum esse. Hinc sicuti persona generaliter interdicta nullibi potest quoscumque gradus clericales conferre, ita nequit eosdem recipere, receptosque exercere uti supra. Haec a fortiori repetenda sunt de interdicto personali-speciali, sive tandem hoc sit vera censura, sive mera poena.

147. Violatio interdicti in materia ordinum collatorum, receptorum aut exercitorum est peccatum per se grave. Palao, *tract. XXIX, disp. V, part. V, n.* 1, apud Schmalz., *V, XXXIX, n.* 390, addit exercitio minorum ordinum vix unquam a clericis peccari mortaliter, quia horum ordinum ministeria non exercentur a clericis tamquam propria ordinis, sed qualiter ab aliis laicis exerceri solent. Id significat exercitium minorum ordinum plerumque in praesenti disciplina non continere divinum officium in sensu superius indicato ; sed vide *n. 150*. Ideoque in genere dici potest clericum peccare mortaliter, si exercens ordinem celebrat divina officia contra interdictum. Praeterea violatio interdicti plectitur variis poenis quas vide apud canonistas in *cit. tit. XXXIX, De sent. excom., susp. et int.* ; insuper secumfert irregularitatem, quam nos fuse infra exponimus.

148. *Suspensio* in genere est : *Prohibitio qua clericus interdicitur officio vel beneficio vel utroque*. Officium est ministerium potestatis ordinis vel potestatis jurisdictionis ecclesiasticae clerico reservatum. Haec autem suspensio potest esse vel vera censura, si infligitur propter delictum tamquam poena medicinalis ad frangendam contumaciam ; vel mera poena, si infligitur propter delictum in ejusdem vindictam, non ut medicina usque dum delinquens corrigatur, uti cum suspensio est ad tempus determinatum, aut in perpetuum ; vel simplex prohibitio, si infligitur sine ulla culpa. Haec ultima suspensionis species numquam est a beneficio, sed solum ab officio. Suspensioni perpetuae accedunt *depositio* et *degradatio*, quae tamen graviores poenae sunt, et degradatio gravior depositione. Quaecumque autem suspensio afficere nequit nisi clericum ; et hic sus-

pendi non potest nisi ab officio vel beneficio quibus actu gaudet ; juris enim nondum quaesiti suspensio ne intelligi quidem potest (1). Nos heic agimus de suspensione ab officio.

149. Haec igitur suspensio cujuscumque speciei, juxta terminos ejusdem, aliquando est totalis ab omni officio, aliquando est partialis ab aliquo tantum. Ita suspensio *ab officio*, *ab executione officii* etc., est ab omni officio sive potestatis ordinis sive potestatis jurisdictionis ; suspensio *a divinis*, *ab officio divino*, *a divinis officiis*, etc., est ab omni officio potestatis ordinis sive receptae per ordinationem, sive receptae per privilegium seu commissionem ; suspensio *ab ordine*, *ab ordinibus* etc., est ab omni officio potestatis ordinis receptae per ordinationem ; suspensio *ab ordinibus sacris* est ab omni officio potestatis ordinis receptae per ordines sacros ; et ita porro de suspensione *ab ordine subdiaconatus*, *ab ordine male recepto*, *a celebratione Missae*, *ab usu pontificalium*, *a collatione ordinum* etc.

Dubitatur num suspensus ab ordine inferiori eo ipso suspensus sit ab ordine superiori. Episcopus suspensus a *conferendo* uno ordine e. g. subdiaconatu, certe potest conferre gradus inferiores ; sed probabilius potest quoque conferre gradus superiores e. g. diaconatum, presbyteratum, etc. (2).

Clericus suspensus ab *exercendo* uno ordine, e. g. subdiaconatu, certe potest exercere ordines inferiores. Veteres plerique putaverunt ipsum esse suspensum ab ordinibus quoque superioribus quos habet, quia qui privatur minoribus etiam majoribus privari censetur. Alii docent ipsum esse suspensum ab ordinibus quoque superioribus solum quatenus ipsorum actus includunt actum ordinis inferioris a quo est suspensus ; ita ut e. g. presbyter suspensus a diaconatu possit audire confessiones, administrare extremam unctionem, etc., sed non possit celebrare Missam, quia in ea evangelium legeret, quod est munus diaconi (3). D'Annibale,

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXVI, sect. III, n. II ; disp. XI, sect. III, n.* 23, ibi : « Suspensio cum sit privatio quaedam supponit potestatem » ; D'Annibale, *I*, § 306, contra Salm., *X, V, n.* 24.

(2) Suarez, *l. c., disp. XXVI, sect. IV, n.* 13 ; D'Annibale, *l. c., not.* 16.

(3) Schmalz., *V, XXXIX, n.* 293 ; Salm., *X, V, n.* 52.

l. c., putat suspensionem nullatenus extendi ad ordines superiores ; sed suspensum ab ordinibus inferioribus superiores ordines exercere non posse jure naturali, non canonico, quasi indignum juxta *l.* 7, § *penult. ff., De interdictis et relegatis et deportatis* (*n. 152*).

Nos in primis admittimus hanc doctrinam D'Annibale quoad primam partem, nempe quod suspensio ad ordines superiores non extendatur, quia odia restringi convenit ; et ideo suspensus *a subdiaconatu* erit suspensus a subdiaconatu, non item a diaconatu, presbyteratu, etc. Neque dicas actum ordinis superioris aliquando includere actum ordinis inferioris a quo est suspensio, uti Missa quae est actus ordinis presbyteratus, includit lectionem epistolae cum manipulo, quae est actus ordinis subdiaconatus, et lectionem evangelii cum stola, quae est actus ordinis diaconatus ; et ideo illum saltem actum ordinis superioris suspensione vetari, ne quod suspenso una via prohibetur, alia permittatur contra *reg. juris* 84, *in* 6°. Nam respondemus actum illum, e. g. lectionem epistolae, esse actum tum subdiaconi tum presbyteri in Missae celebratione ; et suspensione vetari formaliter quatenus est actus subdiaconi, non pure et simpliciter etiam quatenus est actus presbyteri in Missae celebratione ; nam suspensio est a *subdiaconatu*. Saltem haec doctrina valde probabilis est. At liceat dubitare de doctrina D'Annibale quoad alteram partem, scilicet quod exercitium ordinum superiorum prohibeatur in casu ex jure naturali. Nam non videtur absurdum illum qui plures gradus habet, et delictum minus grave commisit, prohiberi ab exercitio gradus inferioris, quin prohibeatur ab exercitio gradus superioris. Susceptio ordinis superioris prohibetur quidem jure quodam naturali, de qua re agit *cit. l.* 7, *ff., De interdictis* (*cit. n. 152*) ; sed non est paritas inter exercitium ordinis jam suscepti, et susceptionem ordinis altioris. Caeterum haec dicta sint, salva meliori sententia.

150. Porro suspensio afficit tantum illos ordinis actus qui clericis in ordine constitutis reservantur, uti jam innuimus in notione officii a quo est suspensio. Ad id declarandum notari debet nonnullos actus quoad ipsam eorum

substantiam, praescindendo a quacumque solemnitate, esse ita proprios alicujus ordinis, ut poni numquam possint ab iis qui illo ordine insigniti non sunt, prouti est e. g. consecratio eucharistiae, absolutio sacramentalis quae ordinem sacerdotalem omnino requirunt. Sunt vero alii actus alicujus ordinis qui ex officio et cum quadam solemnitate seu apparatu ponuntur a constitutis in eo ordine; sine illa solemnitate vero poni valent etiam a clericis inferioribus et a laicis quoque, quamquam non ex officio; e. g. cantare epistolam est officium subdiaconi, sicuti cantare evangelium est officium diaconi; sed cantare epistolam sine manipulo aut evangelium sine stola alii quoque possunt, non vero adhibitis illis indumentis. Tandem sunt alii actus alicujus ordinis quos cum iisdem indumentis ac solemnitatibus ponere possunt et insigniti eo ordine, et clerici inferiores, et etiam laici, e. g. actus omnium ordinum minorum in genere ex consuetudine. Attamen sunt actus ordinum minorum qui ordinatis tantum reservantur: ita recitare cum vestibus sacris exorcismos Ecclesiae super energumenos; aut si alicubi acolythus in Missa solemni munus suum exercere non soleat nisi in peculiaribus vestibus sacris, idque non liceat nisi acolythis (1). Igitur suspensio prohibet tantum ordinis actum qui saltem ratione solemnitatis reservatur clericis in eo ordine constitutis, seu actum ordinis *solemnem*, vel *tanquam ex officio*, ut alii loquuntur (2), non vero alium, quia hunc actum clericus suspensus ponens non videtur ordinem exercere. Ponens vero clericus suspensus actum prohibitum peccat per se graviter et contrahit irregularitatem, de qua fusius infra.

151. Cum vero suspensio cujuscumque speciei prohibeat exercitium ordinis suscepti, sequitur nec licere suspenso alios ordines recipere eosdemque, si forte receperit, exercere. Nam hac in re est duplex regula generalis prae oculis habenda.

152. Prima: *Prohibitus recipere aut exercere ordinem inferiorem eo ipso prohibetur etiam ordinem superiorem*

(1) Schmalz., *V*, *XXVII*, *n*. 35.
(2) Suarez, *De censuris*, *disp*. *XII*, *sect*. *II*, *n*. 9.

recipere (1). Rationem auctores varie et obscure reddunt ; sed vera ratio est quia decet profecto ut a gradu superiori recipiendo arceatur ille qui non est dignus minorem recipere et exercere. Hinc in *cit. l.* 7, § *penult. ff.*, *De interdictis* etc. legitur : « Potest alicui et unus honor interdici ; sic tamen ut si cui honore uno interdictum sit, non tantum eum honorem petere non possit, verum et eos quoque qui eo honore majores sunt ; est enim perquam ridiculum eum qui minoribus poenae causa prohibitus sit, ad majora aspirare ; majoribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur ». Et *l. h*, *ff.*, *De Senatoribus*, addit : « Qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore ». Addi solet id quod legitur in *cap.* 32, *De sent. excomm.* : « Cum majora intelligantur illis prohibita quibus vetita sunt minora » ; sed Innocentius III inibi agit de potestate dispensandi seu absolvendi. Ex his patet receptionem ordinis superioris in casu non prohiberi, si proprie loqui velimus, suspensione, sed potius prohiberi naturali quodam jure ; proinde suspensus clericus, si nihilominus ordinem superiorem recipit, peccat quidem, sed non videtur proprie violare censuram, et nullas poenas contrahit.

153. Altera : *Prohibitus aliquem ordinem recipere, eo ipso, nisi aliud constet, prohibetur eumdem ordinem forte receptum exercere quoad actus clericis in eodem ordine constitutis reservatos.* Nam in genere vix non foret absurdum prohibere receptionem ordinis, ac deinde permittere ejusdem functiones ordinatis reservatas (2). Quoad actus vero ordinatis non reservatos haec consequens prohibitio non intelligitur, quia ordinatus illos actus ponens non videtur ordinem exercere. Additur tamen positae regulae limitatio : *Nisi aliud constet* ; nam si ordinatus ordinem recepit bona fide, fieri potest ut exercitium ordinis recepti eidem permittatur ; item si ordinatio prohibita fuerat timore alicujus incommodi quod de facto non verificatur ; quorum exempla infra habes. Tandem animadvertimus has prohibitiones exercendi ordinem, quae veluti consequentiae neces-

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXVI*, *sect. IV*, *n.* 11 ; *disp. XLII*, *sect. IV*, *n.* 8.
(2) Suarez, *l. c.*, *disp. XXVI*, *sect. IV*, *n.* 8 ; D'Annibale, I, § 400, *not.* 13.

sariae descendunt a prohibitione recipiendi ordinem, non limitari per const. *Apostolicae Sedis* ; sicut enim haec constitutio non limitat leges prohibentes receptionem ordinis, ita nec consequentias quae ex his legibus naturali quodam jure procedunt. Accedit has prohibitiones exercendi ordinem participare potius quemdam irregularitatis modum, quam esse propriam suspensionem (1). In genere const. *Apostolicae Sedis*, jus poenale Ecclesiae determinans, non limitat prohibitiones exercendi ordines quae poenae non sunt, e. g. prohibitionem exercendi ordinem ob vitium corporis superveniens.

154. Huc usque de censuris et homonymis poenis ac prohibitionibus, quatenus sunt impedimentum sacrae ordinationis. Quomodo censura-poena-prohibitio cesset, ideoque et impedimentum, lege apud probatos auctores. Quinam vero excusentur, vide et applica quae infra dicimus de irregularitatibus *n. 200 sequ.*

II

De irregularitatibus.

1°. — *De irregularitatibus in genere.*

A. *Quid sit irregularitas.*

155. Irregularitas, si vim nominis spectas, dicitur a *regula*, addita praepositione *in*, quae exclusionem importat. Unde *irregularis*, inspecta vi vocis, idem sonat ac alienus a regula, idest a coetu eorum inter capaces qui ad statum clericalem assumi possunt, et *irregularitas* idem sonat ac recessus a regula, seu id quo, accedente jure, homo deviat a regula (2). « Vox parum latina, ait d'Annibale, *I*, § 399, *not.* 1, ab Innocentio III in *cap.* 10, *De renuntiatione*, primum, ut videtur, usurpata (3) ». In *can.* 2, *dist.* 47 in

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXVIII*, *sect. IV*, *n.* 5.
(2) Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. I*, *n.* 1.
(3) Berardi, *Jus Ecc. Un.*, *lib. V*, *p.* 11, *disp. IV*, *cap. II* ab initio ; qui tamen merito animadvertit irregularitates ipsas esse vetustissimas, ab ipsa apostolica aetate constitutas.

Decreto, concilium Nicaenum I statuit ut usurarius clericus *alienus existat a regula* seu a canone, idest a registro ecclesiae cui adscriptus est per ordinationem, et ita etiam passim in aliis antiquis documentis ; sed illam expressionem significare in casu suspensionem potiusquam irregularitatem, infra dicemus (*n. 176*) (1).

156. Definitiones reales irregularitatis plures circumferuntur. Non pauci gravissimi auctores nomine irregularitatis intelligunt omne impedimentum ordinationem impediens jure canonico. Hinc Phillips, *l. c.*, irregularitatem definit : *impedimentum canonicum prohibens receptionem et exercitium ordinum*. Et similis est definitio quam tradit Tamburinus, *De cens. et irreg., lib. X, tract. IV, cap. I;* Van-Espen, *Jus eccl., tom. I, part. II, sect. I, tit. X, cap. I, n.* 5 ; Suarez, *l. c., n.* 2. Sed haec notio irregularitatem exhibet in sensu lato, quia ut supra innuimus (*n. 139*) irregularitates proprie loquendo comprehendunt *aliqua tantum* impedimenta ordinationem impedientia jure canonico. Revera praeter censuras de quibus supra, in usu loquendi communi cujus maxima ratio habenda est in rerum definitionibus, nemo (quidquid citati auctores in contrarium dicant) appellat irregulares qui nondum confirmati sunt, qui nondum assequuti sunt legitimam aetatem, qui non habent ordinem immediate inferiorem aut tempus interstitiorum non expleverunt, qui addicti sunt militiae saeculari vel servituti, qui vinculo matrimoniali detinentur, qui non habent scientiam aut sanctitatem ordini necessariam, qui implicati sunt negotiis saecularibus vel obligati ad ratiocinia reddenda, qui carent titulo canonico ; et tamen pleraque ex his impedimentis jure canonico inducta sunt. Imo qui non habent legitimam aetatem non esse proprie loquendo irregulares, firmatur etiam ex formula facultatum *quas omnibus Vicariis Apostolicis Societatis Missionum ad Exteros concedere solet Sedes Apostolica ad quindennium* ; nam postquam sub *n.* 2 data fuerit facultas dispensandi in quibuscumque irregularitatibus (*n. 233*), deinde sub *n.* 3

(1) Phillips, *op. cit., tom. I,* § *XLIV.*

conceditur facultas dispensandi super defectu aetatis. Quamquam igitur data notio irregularitatis cohaereat etymologicae significationi nominis, tamen significatio realis in communi usu loquendi magis limitata est.

157. Omnibus sedulo perpensis, nos putamus irregularitatem proprie dictam, de qua nos agimus, posse definiri : *Impedimentum perpetuo prohibens collationem-susceptionem cujuscumque gradus clericalis, et consequenter ordinum exercitium, et ideo etiam beneficii collationem-acceptationem, jure canonico constitutum ex aliquo defectu vel delicto propter reverentiam divini ministerii.* Igitur impedimenta ordinationem impedientia quae sub hac definitione comprehenduntur, sunt irregularitates in stricto sensu ; caetera sunt vel censurae a jure canonico pariter introductae, vel impedimenta simpliciter, quae sive a jure canonico sive a jure divino procedunt. Hanc vero definitionem sequenti modo declaramus.

158. In primis nonnulli defectus ac nonnulla delicta, etiam remissa per poenitentiam, dedecent dignitatem et sanctitatem clericalem et praesertim sacerdotalem. Et quidem aliquando ordinatio exinde esset graviter peccaminosa per se et citra omnem Ecclesiae legem, e. g. ordinatio illius qui non habet mores clericales, delictum commisit poenitentia non deletum, est in peccato mortali, caret usu rationis, loquela, manibus, scientia, etc. Proinde impedimentum quod ex his defectibus vel delictis exurgit pro ordinatione, est a jure divino seu naturali seu positivo, et non dicitur in stricto sensu *irregularitas* (1). Aliquando autem ordinatio exinde non esset, saltem semper, graviter illicita per se citra Ecclesiae legem, e. g. ordinatio illius qui est illegitimus, gibbosus, neophytus, bigamus, qui homicidium licitum commisit, aut illicitum poenitentia remissum, qui redit ab haeresi, etc. Hinc ex his defectibus vel delictis sine Ecclesiae lege non enasceretur impedimentum generale ac perpetuum ad ordines. At Ecclesia ut melius consuleret dignitati et reverentiae divini ministerii praesertim sacerdotalis, statuit ut qui in illis

(1) Suarez, *l. c., disp. XL, sect. I*, 3, 4 ; *et sect. IV, n.* 4.

conditionibus reperitur, numquam promoveatur ad ullum gradum clericalem ; atque ita ex illis defectibus aut delictis jam est jure canonico impedimentum perpetuum ad omnes gradus, quod proprie est irregularitas (1). Hinc communissime doctores tradunt irregularitates non fuisse introductas in poenam, aut propter spiritualem medicinam, sed propter reverentiam et decentiam divini ministerii (2).

159. Jus autem canonicum irregularitatem inducens est jus canonicum *commune*. Hinc jus particulare dioecesanum, provinciale, nationale, etiam scriptum, irregularitatem ferre nequit ; quia enim maxime interest Ecclesiae hac in re uniformem haberi ubique locorum disciplinam, ideo potestas irregularitatem statuendi reservata est Sedi Apostolicae. Documentum hujus reservationis habetur in celebri *cap.* 18, *De sententia excommunicationis*, *in* 6°, quod in materia nostra est fundamentale. Bonifacius VIII, *l. c.*, docet temerarie quidem agere sacerdotem qui celebrat in ecclesia polluta aut coram excommunicatis excommunicatione majori, sed subjungit : « Irregularitatis tamen, cum *id non sit expressum in jure*, laqueum non incurrit ». Ex quibus verbis, etsi non in parte dispositiva decretalis, sed in parte exornativa positis, canonistae omnes hanc regulam, veluti axioma, deducunt : *Irregularitas non incurritur, nisi fuerit in jure expressa.* Nomine autem juris Bonifacium VIII, *l. c.*, intelligere jus canonicum commune, non est dubium ; atque ideo potestas irregularitates introducendi aliis omnibus infra R. P. et concilium generale sublata est (3). Suarez, *l. c.*, *n.* 14, affirmat de facto nullam irregularitatem reperiri in Conc. Trid., nullam in pontificiis constitutionibus, sed omnes erui ex corpore juris. At R. P. certe potest etiam pro loco parti-

(1) Suarez, *cit. disp. XL, sect., I, n.* 4 ; Santi, *I, XVII, n.* 1 ; Layman, *lib. I, tract. V, part. V, cap. I, n.* 1.

(2) Suarez, *l. c.* ; Phillips, *I*, § 46, 47 ; D'Annibale, *I*, § 399 ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 68 ; Bonacina, *q. I, p. 1, n.* 2 ; Stremler, *Des peines eccl., chap. VII.*

(3) Suarez, *l. c., sect. IV, n.* 11 *sequ.* ; Schmalz., *V, XXXVII. n.* 61, 71 ; Boenninghausen, *Tract. juridico-canonicus de irregul., part. I, cap. IV* ; Icard, *n.* 801 ; Ben. XIV, *De syn., XII, III, n.* 7, cum *omnium sententia* ; Berardi, *Jus. Ecc. Un., lib. V, pars II, diss. IV, cap. II* ; Reiff., *V, XXVII, n.* 67 ; Layman, *l. c., n.* 5.

culari irregularitatem constituere ; e. g. prohibuit ne in regno Portugalliae descendentes a Judaeis promoverentur ad ordines ; de qua re alias.

160. Et quidem ex tradita regula apparet irregularitatem, ut habeatur, debere esse *expressam* in jure. Suarez, *l. c.*, *sect. V*, *n.* 5, rite animadvertit Bonifacium VIII, dum id tradidit, non statuisse quid novi, sed applicavisse irregularitatibus principium generale quod odia sunt restringenda (1) : prohibitiones enim aliquarum personarum a publicis muneribus non sunt admittendae, nisi demonstrentur. Putamus igitur id solum tradita regula significari, nempe ad adstruendam irregularitatem oportere indicare canonem, et probare hunc canonem continere irregularitatem et non aliud ; quod tamen in dubio probari poterit, sicuti in aliis materiis odiosis, sive ex consuetudine recepta quae est optima legum interpres, sive ex unanimi doctorum sensu, sive tandem et praesertim ex responsis et instructionibus Sedis Apostolicae. Sed non sufficeret pro irregularitate ejusque effectibus opinio unius vel plurium doctorum utcumque gravium, sicuti nec pro aliis odiis adstruendis.

161. Quaeritur num consuetudo possit introducere irregularitatem quae jure nullo modo expressa est ? Si agitur de consuetudine *particulari*, certa est responsio negativa ; nam consuetudo particularis praeter legem vim legis obtinet a consensu superioris illius loci, qui ex dictis *n. 159* nequit irregularitatem ferre. Si agitur de consuetudine *universali*, communior sententia pariter negat, quia Bonifacius VIII, *l. c.*, nomine juris intelligit jus canonicum, commune, scriptum (2). At hoc etiam admisso, ratio solida non est : ad excludendam enim consuetudinem universalem ulterius probandum foret Bonifacium VIII, *l. c.*, hanc consuetudinem *reprobare* ; quod non probatur. Putamus igitur consuetudinem universalem posse irregularitatem inferre (3). Hinc Reiffenstuel, *V*, *XXXVII*, *n.* 67, animadvertit : « Interim tamen negari vix potest aliquas irregularitates sine

(1) S. Alph., *VII*, *n.* 345.
(2) Suarez, *l. c.*, *n.* 13 ; S. Alph., *l. c.* ; D'Annibale, *I*, § 404, *not.* 3.
(3) Berardi, *l. c.*, § *Dixi* ; Layman, *l. c.*, *n.* 7.

jure expresso ex communi DD. consensu et ex diuturna Ecclesiae consuetudine fuisse introductas ». Id autem quod hic auctor affirmat de doctorum consensu, intelligi debet de tali consensu qui vel supponat vel producat communem praxim, aut legem interpretetur; quia nudus doctorum consensus utcumque communis pro lege non sufficit. Si cum nonnullis auctoribus ex una parte requireres pro irregularitate manifestam et explicitam juris dispositionem, et ex alia rejiceres in subjecta materia vim universalis consuetudinis, plerasque irregularitates expungere logice deberes, ut patebit ex expositione singularum irregularitatum ; et tamen nullus ex illis auctoribus easdem expungere audet. Caeterum pro consuetudine noviter introducenda quaestio practica non est; quia in praesenti Ecclesiae statu R. P. etiam ante praescriptionis tempus certe eam cognosceret ; et vel eamdem expresse probaret, et tunc consuetudo certe valeret, sed haberetur potius jus scriptum ; vel eamdem expresse reprobaret, et consuetudo certe viribus careret. Ex dictis consequitur irregularitatem « indictam in vetustis canonibus editis in conciliis minime generalibus quorum plurimi extant in Decreto Gratiani, hodie non vigere, nisi tales canones proponantur qui sint in universa Ecclesia recepti ; quod demonstrari potest aut ex moribus, aut obtentis dispensationibus » ; Berardi, *l. c.*

162. Quid vero in dubio irregularitatis ? In primis, extante dubio, oportet omnem diligentiam adhibere quae pro loci et temporis opportunitate fieri potest, ad illud removendum ; et interim se gerere sub poena culpae gravis tamquam irregularem, nisi forte ex mora inquisitionis grave damnum metuendum sit, ut colligitur ex *cap.* 5, *De clerico excomm. etc. ministrante*, etsi hoc caput de irregularitate non agat. Diligentia adhibita, si dubium est leve, ex scrupulis nempe aut rationibus parvi momenti ortum, nihili faciendum est, et ideo irregularitas habenda est tamquam existens vel non existens. Si dubium est grave et prudens, reddens probabilem sententiam contra irregularitatem, haec probabilitas satis est, sicuti in caeteris rebus odiosis, ut licite agamus in utroque foro tamquam si irregularitas non

existeret, quia odia non sunt imponenda nisi probentur, etsi sententia pro irregularitate sit probabilior ; sive agatur de dubio *juris*, idest utrum pro eo defectu vel delicto statuta sit irregularitas, vel utrum in eo casu sit irregularitas an potius suspensio ; sive agatur de dubio *facti circa existentiam defectus vel delicti* pro quo certe irregularitas statuta est, utrum scilicet in casu verificetur necne ille defectus, e. g. illegitimitas natalium, vel commissum sit illud delictum, e. g. homicidium ; sive tandem agatur de dubio *facti circa auctorem delicti*, utrum nempe Titius an alius delictum, e. g. mutilationis quod certe commissum est, perpetraverit (1). At in hoc ultimo casu si dubium versatur circa auctorem *homicidii* commissi, est specialis dispositio quam suo loco exponemus. Utrum vero in dubio juris sententia contra irregularitatem probabilis sit necne, « non ex auctorum numero, sed ex rationum ponderé et in praesenti materia ex verbis jurium recte expensis et ponderatis colligendum est » ; Suarez, *l. c.*, *n.* 7. Quod si deinde dubium sive juris sive facti cesset et appareat pro irregularitate certitudo, irregularitatem jam vim habere, docet Suarez, *l. c.*, *sect. V*, *n.* 11, nisi agatur de irregularitate ex delicto, quod delictum ob tale dubium ex principio reflexo non extitit (2).

163. Ex dictis sequentes regulae practicae in casu dubii irregularitatis statui possunt. Si agitur de promotione facienda, expedit dispensationem ad cautelam petere a Sede Apostolica vel etiam ab episcopo qui in irregularitate dubia dispensare potest ; licet per se loquendo promotio etiam sine dispensatione fieri licite posset. Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Hispalensi, Archidiaconatus*, 30 *Martii* 1726 (*n. 173*), ubi haec dispensatio ad cautelam data fuit ; et in genere haec est praxis S. C. Si vero agitur de ordine recepto sive bona fide, sive in dubio irregularitatis, ordo libere exerceri potest, donec irregularitas non probetur, quia me-

(1) Schmalz., *V, XXXVI, n.* 83, qui *n.* 80 *sequ.* refert omnes sententias de irregularitate dubia ; Suarez, *l. c.*, *disp. XL, sect. V, n.* 4 *sequ.* ; S. Alph., *VII, n.* 346 ; D'Annibale, *I*, § 404, *not.* 1 ; Thesaurus, *p. I, cap. XVI* ; Boenninghausen, *p. I, cap. IV.*

(2) Suarez, *l. c.*, *disp. XI, sect. III, n.* 8.

lior est conditio possidentis (*n. 236*), excepto sacerdote in dubio homicidii, de quo supra; probata autem irregularitate, dispensatio peti debet.

164. Ex dictis sequitur etiam irregularitatem numquam infligi ab homine (licet R. P. posset eam ferre etiam in casu particulari), sed tantum a jure. Imo in jure numquam est ferendae sententiae, sed contrahitur ipso facto absque sententia etiam declaratoria, etsi verba legis sint futuri temporis, e. g.: *Fiet irregularis*, ut habetur in *cap.* 7, *De homicidio* (1).

165. Modo fusius exponendi sunt effectus irregularitatis in definitione indicati. Et primus ac directus et fundamentalis est ut irregularitas *perpetuo prohibeat a quocumque gradu clericali*. Hic tamen effectus fusiori indiget declaratione.

166. In primis prohibitio respicit directe ordinationis ministros, quibus prohibet ne irregulari manus imponant: et indirecte irregularem cui accessus ad clericalem statum remanet interdictus. Ad rem Berardi, *Comm. in jus eccles. un., tom. IV, cap. II*: « Dum indicitur irregularitas, non tam prohibetur irregularis, ne ad sacra ministeria accedat, quam praelatus, ne irregularem sacris officiis per ordinationem addicat ».

167. Afficit autem omnes clericales gradus: licet enim irregularitas respiciat praesertim presbyteratum, ita ut declaretur irregularis ille cujus ordinatio dedecet dignitatem sacerdotalem, tamen cum omnes alii gradus infra presbyteratum sint *gradus* ad illum, hinc irregularitas ab omnibus removet, et multo magis ab episcopatu. Id doctores intelligunt quando dicunt irregularitatem esse *individuam*; idest comprehendit omnes gradus clericales. Et quidem irregularitatem prohibere ab episcopatu aliisque ordinibus proprie dictis, nemo negat; sed id verum est quoque de prima tonsura. Nam haec sententia est communis inter doc-

(1) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 67; Reiff., 65; Phillips, *I*, § *XLIV*; D'Annibale, *I*, § 399; Suarez, *l. c.*, *disp. XL, sect. IV, n.* 7 *sequ.*, et *sect. VIII, n.* 3; Navarrus, *cap. XXVII, n.* 94; Ben. XIV, *De syn., XII, III, n.* 7; Layman, *l. c., n.* 5; Lehmkuhl, *Theol. Mor., II, n.* 1003, aliique passim.

tores (1) ; insuper in *can.* 14, *dist.* 34, in Decreto, aperte traditur bigamum clericum fieri non posse ; tandem accedit ratio apertissima, quia frustra ad ordines praeparatur qui ab ordinibus repellitur.

Obstat responsio S. C. C. quam refert Barbosa, *Sum. Decis. Apost.*, *Collect.* 598, *n.* 1, his verbis : « Prima tonsura conferri potest illi qui habet omnia requisita *cap. IV, sess. XXIII,* licet ob aliquod impedimentum non possit ascendere ad alios ordines, non obstante *cap. XI ejusd. sess.*, quia hoc loquitur de quatuor minoribus, illud vero de prima tonsura tantum. *S. C. C. teste Sellio in select. Canon., c.* 2, *n.* 19 ». Sed si haec responsio intelligatur de omnibus impedimentis, etiam de irregularitatibus, prouti verba sonant, nos non putamus responsionem S. C. C. sine die et anno quam Barbosa desumit ex Sellio, praevalere debere doctrinae communiter receptae. Sunt vero nonnulla impedimenta quae non prohibent tonsuram, licet prohibeant ordines ; e. g. qui ex defectu aetatis, scientiae, etc. nequit recipere ordines, poterit fortasse recipere primam tonsuram ; et de his impedimentis intellecta responsio non patitur difficultatem. Concludimus igitur irregularitatem vetare collationem ac receptionem cujuscumque clericalis gradus ; et ideo quoties lege Ecclesiae prohibeatur non quicumque gradus clericalis, sed unus tantum, aut aliqui, non habetur proprie dicta irregularitas, sed simplex prohibitio, e. g. ratione aetatis, etc.

168. Insuper haec prohibitio gravis est quoad omnes clericales gradus, ita ut gravi peccato non vacet sive ex parte ministri sive ex parte subjecti promotio irregularis etiam ad solam primam tonsuram (2). At duo notanda sunt. Primum est nec ordinantem nec ordinatum aliqua poena latae senten-

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 6 ; Suarez, *l. c.*, *n.* 1 ; S. Alph., *VII, n.* 342 ; Scavini, *III, n.* 574 ; Icard, *n.* 800 ; Schmalz., *l. c.*, *n.* 90 ; Boenninghausen, *p. I, cap. V* ; Riganti, *in Reg. XLV Cancell. Apost.*, § 2, *n.* 120, 121 ; Reiff., *I, XI, n.* 23, et apud ipsum Rota in una *Romana, Pensionis,* 3 *Julii* 1583 *coram Seraphino* ; Pignatelli, *tom. VIII, cons.* 146, *n.* 7 ; Berardi, *Jus Ecc. Un., lib. V, p. II, diss. IV, cap. II in fine.*

(2) S. Alph., *VII, n.* 342 ; Suarez, *l. c.*, *sect. II, n.* 2 ; Salm., *X, VII, n.* 22 ; Boenninghausen, *p. I, cap. V,* § 1.

tiae plecti, et nominatim ordinatum non contrahere novam irregularitatem (*n. 194*). In irregulares autem furtive accedentes ad ordinationem esse excommunicationem ferendae sententiae ex edicto Pontificalis Romani, eamque episcopum augere posse, exponimus in *cap. V, sect. II.* Alterum est hanc prohibitionem sequi naturam omnium aliarum et ideo non obligare cum gravi incommodo. Hinc irregularis excusatur a peccato, si e. g. metu gravi cogitur ad ordinationem accedere, aut si irregularitatis meminit in ecclesia quando nec recedere potest sine magna admiratione, nec dispensationem petere : at deinde, cessante incommodo gravi, debet dispensationem obtinere pro exercitio ordinis recepti juxta ea quae mox dicemus. Quod si irregularitas talis est ut nullo modo sine gravi periculo manifestari queat, prout aliquando esse poterit irregularitas ex homicidio, dispensatione non eget (1). Tandem ministrum et subjectum excusari posse a peccato ex inadvertentia, palam est.

169. Praeterea haec prohibitio est *perpetua* tum ex parte causae, tum ex parte prohibitionis. Auctores passim cum Suaresio, *l. c.*, *disp. XI, sect. I, n.* 2, in definitione irregularitatis perpetuitatem praetermittunt, negantes vel dubitantes perpetuitatem esse de essentia irregularitatis. Sed immerito ; nam impedimenta temporanea, uti impedimentum aetatis, scientiae, tituli canonici, etc., nomine irregularitatis non significantur in communi usu loquendi (*n. 156*). Et haec est plurium doctrina ; unde concludit Layman, *lib. I, tract. V, pars V, cap. IV, n.* 10, post Garcias, *De beneficiis, VII, VIII, n. 64*, hanc generalem regulam esse retinendam : « *Impedimentum quod absque dispensatione tolli, seu ipso facto cessare potest, non est proprie irregularitas, v. g. defectus aetatis, scientiae, morum* (2). Hinc nos in definitione irregularitatis posuimus verba : *Perpetuo prohibens... a quocumque gradu clericali.* At sufficit pro irregularitate, quod causa, e. g. vitium corporis, naturaliter cessare non possit, etsi cessare possit per miraculum, et

(1) D'Annibale, *I*, 406, *not.* 19, cum Navarro, *cap. XXVII, n.* 239.
(2) D'Annibale, *I*, § 399, *not.* 10 ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 173.

etiam quod prohibitio non sit ad tempus determinatum, sed indefinita (1).

170. Quamquam vero collatio ac receptio alicujus gradus clericalis, non obstante irregularitate, illicita sit, tamen est valida (2); in quo irregularitas differt ab incapacitate (*n. 121*). Id patet ex *cap.* 3, *De eo qui furtive ordines recepit*, ubi valet ordo subdiaconatus et ordo diaconatus receptus a clericis irregularibus ex violatione censurae; idemque ex analogia repeti debet de omnibus aliis ordinationibus sive divinae sive ecclesiasticae institutionis, et etiam de prima tonsura. Unum tantum quaeri potest, num scilicet Ecclesia potuisset constituere ordinationem in casu fore quoque nullam, et ita irregularitatem reddere incapacitatem. Respondemus distinguentes inter gradus hierarchicos et gradus non hierarchicos. Qui admittit Ecclesiam pro ipsa validitate ordinationum hierarchicarum posse constituere conditiones necessarias ex parte temporis, loci et ministri, de qua doctrina fusius in *cap. V, sect. II*, ab initio, logice admittere debet Ecclesiam idem posse quoque ex parte subjecti. Sed, *l. c.*, dicemus illam Ecclesiae potestatem dubiam esse; et ideo Ecclesia numquam ea usa est, et numquam erit usura. Gradus vero non hierarchicos collatos irregulari Ecclesia certe potuisset declarare irritos, sed noluit, imitata oeconomiam juris divini. Exinde patet irregularitates non esse inhabilitates in stricto sensu (*n. 121*). Huc usque de primario et directo effectu irregularitatis.

171. Cum vero irregularitas prohibeat quoscumque gradus clericales conferre et suscipere, statim necessario sequitur irregularem non posse receptos ordines exercere quoad actus ordinatis reservatos (*n. 153*). Id insuper desumitur ex *cap.* 2, *De clericis pugnantibus in duello*, ex *cap.* 17, *De temporibus ordinationum*, ex *cap.* 10, § *Personae*, *De renuntiatione*, aliisque juribus. Hic igitur est alter irregularitatis effectus, sed secundarius et indirectus, idest per se descendens ex primario et directo, qui est prohibitio con-

(1) Vide Suarez, *l. c.*, *disp. XLI, sect. I, n.* 5 *sequ.*

(2) D'Annibale, *l. c.*, § 399, *not.* 4; Suarez, *l. c.*, *disp. XL, sect. II, n.* 1; S. Alph., *VII, n.* 343, cum communi.

ferendi et recipiendi ordines ; et ideo dici potest hanc prohibitionem exercendi ordines esse ex ipso jure naturali juxta ea quae diximus *cit. n. 153*. Hinc in definitione irregularitatis posuimus verba : *et consequenter ordinum exercitium* (1).

Haec autem prohibitio exercendi ordines receptos quoad actus ordinatis reservatos est totalis et absoluta, si agatur de ordinibus mala fide susceptis post contractam irregularitatem, quia hoc in casu revera sequeretur absurdum si hos ordines exercere liceret. Sed si agatur de ordinibus susceptis ante contractam irregularitatem, vel susceptis bona fide post contractam irregularitatem, dicendum est eorum functiones vetari *nisi aliud demonstretur*, quia infra exponentes singulas irregularitates videbimus in nonnullis casibus aliquas functiones aliquorum ordinum esse permissas (*cit. n. 153*). Quoad actus vero ordinum ordinatis non reservatos, haec prohibitio non intelligitur (*cit. n. 153*). Hinc irregularitas non prohibet exercitium ordinum minorum (2) ; sed vide *n. 150*.

Ex his omnibus non probamus doctrinam D'Annibale, *l. c.*, § 399, *not.* 16, putantis non esse veram irregularitatem quae non prohibet omnium ordinum exercitium ; tum quia exinde sequeretur non amplius adesse proprie dictas irregularitates, cum exercitium ordinum minorum hodie soleat esse permissum ; tum quia prohibitio exercitii ordinis est effectus secundarius et indirectus, qui proinde deficiens ex parte, salvo effectu primario et directo, non videtur impedire naturam irregularitatis ; tum tandem quia in usu loquendi communi est irregularitas ex vitio corporis et ex exercitio ordinis non recepti, quae tamen non prohibet omnem actum ordinum, uti melius suis locis exponemus.

Porro irregularis qui vetitum actum ordinis ponit, pec-

(1) Proinde male omnino De Camillis, *tom. III, sect. II, tit. I, diss. I, cap. V, § 1*, irregularitates definit : *Impedimenta canonica quae ab ordinis ministerio prohibent, proinde et ab ordinatione.*

(2) S. Alph., *VII, n.* 342 ; Salm., *X, VII, n.* 19 ; D'Annibale, *I*, § 401 ; Icard, *n.* 800.

cat quidem per se graviter, nisi bona fides, parvitas materiae, necessitas aut metus excuset (*n. 168*), sed poenas latae sententiae et nominatim aliam irregularitatem non contrahit (*n. 194*).

172. Imo cum irregularitas prohibeat exercitium ordinis majoris, cumque *beneficium detur propter officium*, sequitur prohibere quoque collationem et receptionem beneficii cui adnexum est officium quo irregulari defungi non licet (1). Nam est regula canonica : *Prohibito uno, consequenter prohiberi aliud quod cum illo connexum est*, quam tradit Glossa in *can.* 3, *dist.* 50, in Decreto, et ex qua desumpta est *reg.* 39 *juris, in* 6° : *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.* Praeterea id desumitur ex *cap.* 2, *De clerico non ordinato ministrante, cap.* 2, *De clericis pugnantibus in duello, cap.* 22, *De electione etc.*, et, aliis juribus omissis, ex Conc. Trid., *sess. XIV, cap. VII, de ref.*, et *sess. XXII, cap. IV, de ref.* Hic igitur est tertius irregularitatis effectus, sed adhuc magis secundarius et indirectus, utpote descendens ex secundario et indirecto, idest ex prohibitione exercitii ordinis. Unde in definitione irregularitatis dicitur : *Et proinde etiam beneficii collationem-acceptationem.* Quoniam vero beneficium simplex non habet adnexum officium seu exercitium ordinis sacri, sed tantum recitationem horarum vel aliquid aliud quod etiam irregularis facere potest, hinc per se licite irregulari confertur et ab eodem acceptatur.

173. Certe tum conferens irregulari beneficium, tum irregularis illud acceptans et retinens sine dispensatione, peccat per se graviter, nisi bona fides, necessitas aut metus excuset (*n. 168*). Utrum vero haec provisio sit etiam invalida, doctores inter se non conveniunt. Communior et probabilior sententia affirmat, innixa textibus citatis et praesertim Conc. Trid., *sess. XXII, cap. IV, de ref.* ibi : « Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam aetatem et caeteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio » (2). Haec doctrina firmatur a fortiori ex responsione

(1) S. Alph., VII, n. 342, 343.

(2) S. Alph., *l. c.*; Suarez, *l. c.*, *sect. II*, *n.* 36, qui habent hanc senten-

S. C. C. in *Augustana*, 27 *Sept.* 1601, quam infra referimus agentes de defectu confirmationis. Huc spectat etiam responsio ejusdem S. C. in *Hispalen. Archidiaconatus*, 30 *Mart.* 1726. Cum enim clericus Didacus... obtinuisset archidiaconatum de Xerez, et deinde accusaretur de participatione in homicidio, licet haec participatio non probaretur, recursum habuit ad S. C., instans pro declaratione vel quod exceptio praetensae irregularitatis non obstet executioni litterarum apostolicarum de provisione archidiaconatus, vel quod nova provisio danda sit. Propositis dubiis : « 1° An exceptio praetensae irregularitatis obstet executioni litterarum ? Et quatenus affirmative ; 2° An sit relaxanda supplicatio novae provisionis in casu ? » S. C. reposuit : « Dandam esse novam provisionem ad cautelam ». Quae responsio probat irregularitatem, si extaret, provisionem reddere irritam. Tandem pro hac sententia stetit etiam Rota in *Salamantina, Dimidiae portionis*, 23 *Jan.* 1609.

His non obstantibus, non desunt auctores graves qui censent provisionem in casu esse illicitam quidem sed per se validam (1), quia provisionis nullitas certis juris textibus non probatur ; atqui collationes beneficiorum, etsi jure prohibente factae, validae sunt, nisi expresse cautum sit esse irritas, ut traditur in *cap.* 6, *De concessione praebendae*, *in* 6°, *cap.* 2, *De haereticis*, *in* 6°, *cap.* 1, *De homicidio*, *in* 6°. Haec sententia est probabilis, quod et patroni prioris concedunt (2) : quod satis quidem non est ut irregularis possit tuta conscientia in possessionem beneficii sese immittere, quia nemo cum opinione probabili potest licite inchoare possessionem rei alienae (3), sed satis est ut irregularis, postquam possessionem beneficii illicite coeperit, si per alium adimpleat onera beneficii, fructus faciat suos, quod ipse Suarez, *l. c.*, expresse concedit ; quod si onera beneficii a quibus irregu-

tiam *probabiliorem* ; Icard, *l. c.* ; Salm., *cap. VII, n.* 30, *sequ.*, qui eam *n.* 34 dicunt communem, et ita etiam Schmalz., *V, XXXVII, n.* 93, licet contrarius sit ; Boenninghausen, *p. I, cap. V*, § 2.

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 17, et plures alii citati a S. Alph., *l. c.*

(2) S. Alph., *l. c.* ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 94 ; Suarez, *l. c.*; Icard, *l. c.*

(3) S. Alph., *l. c.*, *in fine*.

laritate prohibetur, per alium adimplere nequit, quia personalia sunt, tunc fructus non facit suos, sed id est per accidens.

174. Praeter recensitos effectus irregularitas alios non producit. Hinc e. g. irregularitas superveniens post beneficii possessionem, non privat per se beneficio et jure percipiendi fructus : ut puta parochus, irregularitatem contrahens ex violatione censurae, parochiam retinet et fructus percipit. Diximus *per se,* quia fieri potest ut delictum producens irregularitatem secumferat privationem beneficii ipso jure, aut beneficium ad fructus percipiendos requirat servitium personale quod irregularis praestare nequeat ; qui proinde ad beneficium dimittendum cogatur. Ex *cap.* 10, *De excessibus praelatorum* ,et *cap.* 10, *De renuntiatione*, patet manifeste episcopum ex delicto irregularem ipso facto non spoliari episcopatu. Pariter irregularitas nec adimit nec semper impedit jurisdictionem sive interni sive externi fori seu ordinariam seu delegatam : proinde valide et licite irregularis episcopus confert beneficia, irrogat censuras, dispensat in votis, in impedimentis matrimonialibus etc. ; parochus irregularis valide et licite assistit matrimoniis, item valide absolvit, sed illicite, quia prohibitum actum ordinis presbyteralis exercet (1) ; canonicus irregularis licite prorsus recitat, prout antea, horas canonicas in choro, dummodo officiatorem non agat canendo orationem cum *Dominus vobiscum*, quod solis diaconis licet, et ideo videtur esse actus ordinis, sed peccatum foret leve propter materiae parvitatem (2). Tandem irregularitas non privat receptione aliorum sacramentorum, praeter ordinem, assistentia divinis officiis, ecclesiastica sepultura, etc. (3).

175. Explicata natura irregularitatis, intelligitur irregularitatem non esse censuram. Gonzalez, in *comm. cap.* 20,

(1) S. Alph., *VII, n.* 342 ; Suarez, *l. c., sect. II, n.* 45 *sequ.* ; D'Annibale, *l. c.,* § 401, *not.* 18, contra Stremler, *Traité des peines ecclésiastiques, chap. VII,* § 2 in fine.

(2) D'Annibale, *l. c.* ; Salm., X, *VII, n.* 18 ; X, *VIII, n.* 69 ; S. Alph., *VII, n.* 358.

(3) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 89 ; Layman, *lib. I. tract. V, par. V, cap. I, n.* 2.

De verb. signif., putat nomine censurae venire et irregularitatem in favorabilibus; sed ejus sententia merito communiter rejicitur (1). Nam Innocentius III interrogatus quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi cum hujusmodi clausula in litteris apostolicis apponitur, respondet in *cit. cap.* 20 quod per eam interdicti, suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi : non ergo irregularitatis. Revera irregularitas ex defectu nil commune habet cum censuris : sed etiam irregularitas ex delicto essentialiter differt ab eisdem. Excommunicatio enim est poena medicinalis latae vel ferendae sententiae arcens fideles a communione fidelium ; interdictum est vel poena seu mera seu medicinalis, vel simplex prohibitio latae vel ferendae sententiae arcens fideles a participatione quarumdam rerum sacrarum; suspensio est vel poena seu mera seu medicinalis, vel simplex prohibitio latae vel ferendae sententiae arcens clericos directe et primario ab exercitio ordinis, jurisdictionis et a beneficio. E contrario irregularitas est impedimentum perpetuum latae sententiae, propter reverentiam divini ministerii latum, afficiens clericos vel laicos, et prohibens directe et primario ab ordinum collatione-receptione, et indirecte ac secundario ab ordinum exercitio et a beneficii collatione-acceptatione. Igitur irregularitas ex delicto non est confundenda nec cum suspensione-poena, licet cum eadem majorem habeat similitudinem. Etiam pro praxi valde interest eas secernere, tum quia suspensiones limitatae sunt ex const. *Apostolicae Sedis*, non item irregularitates ; tum quia suspensio impedit aut adimit jurisdictionem, non item irregularitas ; tum tandem quia violans suspensionem in exercitio ordinis fit irregularis, non item violans irregularitatem. Cum vero irregularitas ex delicto et suspensio, praesertim suspensio-poena, in multis conveniant, non praesumitur legislatorem pro eodem delicto voluisse statuere suspensionem simul et directe irregularitatem : in dubio autem faven-

(1) Layman, *lib. I, tract. V, § V, cap. I, n.* 1; Berardi, *Jus Ecc. Un., lib. V, p. II, diss. IV, cap. II* ab initio ; Schmalz., *V, XXVII, n.* 68 *sequ.*; Reiff., *n.* 64 : et apud Ben. XIV, in const. *Inter praeteritos, n.* 40, 3 *dec.* 1749, Suarez, Molina, Trullengus, Filliuccius, Reginaldus aliique.

dum est reo, et saepius interpretatio reo favorabilior est quod sit suspensio, sublata per const. *Apostolicae Sedis*. Diximus *directe irregularitatem*, quia fieri optime potest ut delinquens plectatur suspensione aliave censura simul et infamia juris canonici ; cui infamiae adnexa est irregularitas.

176. Regulae practicae ad dignoscendum utrum aliqua lex contineat irregularitatem an suspensionem, ex dictis deduci debent. Scilicet :

1° Si lex arcet tantum vel a jurisdictione, vel a beneficiis, vel a dignitatibus, vel ab exercitio ordinis aut ordinum receptorum, est suspensio, non irregularitas ; si e contrario arcet ab ordinum susceptione, est irregularitas, non suspensio (*n. 165*). Hinc est irregularitas, si dicatur : *Non fiat clericus* (*can. apost.* 78) ; *Non admittatur ad clerum* (*can.* 13, *dist.* 34, in Decreto) ; *Numquam ordinetur* (*cap.* 1, *De clerico non ordinato ministrante*) ; *Ad sacros ordines non aspiret* (*can.* 9, *dist.* 34, in Decreto) ; *Ad sacros ordines aspirare non audeat* (*can.* 3, *dist.* 55, in Decreto) ; *Non potest esse clericus* (*can. apost.* 18) ; *Ne sit clericus* (*can. apost.* 21) ; *Ad clerum ne promoveatur* (*can. apost.* 60) ; *Illis non possunt secundum canones sacerdotii jura concedi* (*can. ult., dist.* 55, in Decreto) etc. E contrario est suspensio in his verbis : *Executionem officii* vel *ordinis non habebit* (*cap.* 1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui*) ; *Careat ordine* (*can.* 9, *dist.* 50, in Decreto) ; *Cesset a clero, praecipitabitur e statu sui cleri* (*can.* 1, *dist.* 48, in Decreto) ; *Irrita habeatur*, vel *irrita sit ordinatio* (*can.* 108, *caus.* 1, in Decreto).

2° Si lex arcet ab ordinum collatione-susceptione, non quidem propter reverentiam divini ministerii, sed vel in poenam delicti vel ob aliam causam, erit censura, vel simplex prohibitio, numquam vero irregularitas (*n. 158*).

3° « Quotiescumque in canone praecipitur ut poena alicui per judicis sententiam imponatur, non est irregularitas, sed verbi gratia suspensio vel depositio » ; Layman, *lib. I, tract. V, par. V, cap. I, n.* 5 (*n. 164*). Ita cum dicitur in canone : *Deponatur*, vel : *Ejiciatur a clero*, ut in *cap.* 1, 2, 3, *dist.* 47, in Decreto ; vel : *A clericalibus officiis abs-*

tinere cogatur, ut in *cap.* 2, *dist.* 88, in Decreto ; vel : *Convictus duobus vel tribus testibus, cesset a clero*, ut in *can.* 1, *dist.* 48, in Decreto ; vel : *Vel si quis inventus est usuras accipere, alienus existat a regula*, ut in *cit. can.* 2, *dist.* 47, in Decreto.

4° Tandem si poena quae lege infligitur, cessat poenitentia, est suspensio, non vero irregularitas proprie dicta (*n. 169*) ; exemplum prostat in *cap.* 1, *De corpore vitiatis ordinandis vel non*, et in *cap. ult.*, *De temporibus ordinationum* (1).

Quod autem nonnulli dicunt irregularitates recipere *dispensationem* et censuras *absolutionem*, non est semper verum (2) ; nam nonnumquam etiam irregularitates, praesertim ex delicto, dicuntur absolvi, et suspensiones dispensari, ut in Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. VI*, *de ref.* (*n. 217*).

B. *Quotuplex sit irregularitas.*

177. Praeter irregularitatis partitionem de qua n. sequ., auctores, sumentes irregularitatem in sensu lato, passim eam dividunt in *temporaneam* et *perpetuam*, in *partialem* et *totalem* (3) ; sed eae divisiones non conveniunt irregularitati proprie dictae de qua nos agimus, quae est *perpetua* (*n. 169*) et *individua* seu totalis (*n. 167*).

Boenninghausen, *p. I*, *cap. III* in fine, dividit ulterius irregularitatem in *dispensabilem* et *indispensabilem*, quia Ecclesia a nonnullis dispensare solet, ab aliis non solet. Id verum est, et nos agentes de singulis irregularitatibus infra adnotabimus utrum dispensatio obtineri valeat necne ; sed ferme impossibile est irregularitates in duplicem illam classem distribuere, quia omnes irregularitates dispensari solent cum majori vel minori difficultate, sed simul in nonnullis casibus non solent dispensari (4).

(1) De his omnibus vide Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. VII*, egregie admodum disserentem.

(2) D'Annibale, *I*, § 403, *not.* 32.

(3) Schmalz., *V*, *XXXVII*, *n.* 70 ; Icard, *n.* 799 ; Boenninghausen, *part. I*, *cap. III* ; Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. III*, *n.* 23.

(4) Suarez, *l. c.*, *disp. XLI*, ab initio.

Divisio autem quam tradit Bonacina, irregularium in *vitandos* et *toleratos*, prorsus absurda est (1).

Tandem divisio, quam alii ponunt, irregularitatum in reservatas et non reservatas fundamento caret (*n. 216*).

178. Igitur unica irregularitatis proprie dictae partitio est in irregularitatem *ex delicto* et irregularitatem *ex defectu*. Etiam Innocentius III in *cap.* 14, *De purgatione canonica*, meminit *notam delicti et notam defectus impedientis ad sacros ordines promovendum*. Haec distinctio desumitur ex causa proxima irregularitatis (2). Nam irregularitas ex delicto est illa quae cohaeret delicto, seu quae statuta est quia delictum, etsi poenitentia deletum, dedecet ministerium sacerdotale (*n. 158*). Ex delicto, inquam, *personali*; unde audiendi non sunt qui irregularitates ex delicto dispescunt in eas quae profluunt ex delicto personali ut in homicida, et eas quae profluunt ex delicto alieno ut in spurio; nam quae profluunt ex delicto alieno vel sunt ex defectu, vel non sunt irregularitates, sed impedimenta simpliciter (3). Ex dictis intelligitur quid sit irregularitas ex defectu.

179. Non solum causa proxima utriusque irregularitatis *ex defectu* et *ex delicto* diversa est; sed insuper sunt etiam aliae differentiae. Nam 1° irregularitas ex defectu nullatenus poena est, quia poena supponit delictum personale, quod in casu abest. Neque irregularitas ex delicto est poena proprie dicta, quia non in vindictam delicti statuta est aut in emendationem delinquentis, sed potius propter reverentiam divini ministerii (4). Attamen irregularitas ex delicto est ad instar poenae gravissimae, quae ex illo delicto contrahitur, jure canonico ita statuente. Proinde sequitur immerito auctores irregularitates aliis poenis permiscere; et illogice de illis

(1) D'Annibale, *I*, § 400, *not.* 11.

(2) D'Annibale, *cit.* § 400.

(3) D'Annibale, *l. c.*; S. Alph., *VII*, *n.* 430; Tolet, *I*, *LII*, *n.* 5; *LIII*, *n.* 1.

(4) Layman, *lib. I*, *tract. V*, *part. V*, *cap. I*, *n.* 4; Schmalz., *V*, *XXXVII*, *n.* 68; Phillips, *I*, § *XLIV*; D'Annibale, *I*, § 409; Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. III*, *n.* 3, contra Stremler, *Des peines ecclés.*, *VII*, Berardi, aliosque qui irregularitates inter poenas proprie dictas recensent.

agere ubi de aliis poenis agunt ; a quo peccato neque ipse D'Annibale immunis est. Locus proprius irregularitatum est in tractatu de ordine ; sicuti locus proprius impedimentorum matrimonialium est in tractatu de matrimonio ; 2° Irregularitatem ex defectu, praecise quia est ex defectu, contrahimus etiam inviti et inscii, si excipias irregularitatem ex infamia (*n. 200*) ; irregularitatem ex delicto non item ; de qua re melius infra. 3° Tandem irregularitas ex delicto quandiu occulta est, dispensari plerumque ab episcopo potest ; non vero irregularitas ex defectu (*n. 217 sequ.*). Addi solet et alia differentia, scilicet quod irregularitas ex delicto prohibeat ab omni sacrorum ordinum antea receptorum exercitio, irregularitas ex defectu ab aliquo tantum (1). Sed haec differentia claudicat, quia irregularitas ex exercitio ordinis non suscepti, juxta probabilem sententiam, non prohibet susceptorum ordinum exercitium ; de qua re melius suo loco.

180. Porro certum est aliquas irregularitates esse ex defectu tantum ; item aliquas esse ex delicto tantum. At in aliis simul concurrunt defectus et delictum ; et irregularitas aliquando est ex defectu, aliquando est ex delicto, aliquando dubium est utrum sit ex defectu an ex delicto. In hoc dubio minimum est sequendum ex *reg.* 30 *juris*, *in* 6° ; minimum vero in singulis casibus dijudicandum est, licet in genere minimum sit irregularitatem esse ex delicto, quia haec difficilius contrahitur, et facilius dispensatur (2). Interim clarioris expositionis gratia irregularitates non immerito dispescuntur a D'Annibale, *l. c.*, in tres classes, scilicet in *irregularitates ex defectu*, *irregularitates ex delicto* et *irregularitates vel ex defectu vel ex delicto*.

181. Quaeritur quaenam irregularitates sub unaquaque classe recenseantur ? Antequam huic quaestioni directe respondeamus, animadvertimus irregularitatem proprium casum non excedere, ita ut ad alios casus etiam graviores extendi nequeat argumentando a simili vel etiam a fortiori ; nam in odiosis haec argumentatio est contraria regulis juris, et expresse etiam traditum est quod irregularitates debeant

(1) D'Annibale, *l. c.*
(2) D'Annibale, *I*, § 408.

esse in *jure expressae* (*n. 159*). « Nam, uti argumentatur Suarez, *l. c.*, *n.* 15, quod solum per argumentum a simili elicitur, non potest dici in *jure expressum*. Tum etiam ex casu illius textus (*cit. cap.* 18, *De sent. excomm., in* 6°). Dicitur enim ibi celebrantem in ecclesia polluta non manere irregularem, quia id non est in jure expressum ; et tamen profecto si argumentum a simili in hac materia validum esset, illud esset maximum, quia celebrans in ecclesia interdicta fit irregularis ; quamvis autem non sit idem ecclesiam esse pollutam et interdictam, sunt tamen valde similia, quia utrumque est quoddam canonicum impedimentum continens prohibitionem ecclesiasticam, contra quam agere in utroque casu peccatum mortale est. Ergo cum in hoc non valeat argumentum a simili, ex mente Pontificis signum est numquam valere (1) ». Idemque repetas de argumentatione a fortiori. Igitur in casu non expresso simili aut fortiori irregularitas non urget, etsi quis pro certo habeat irregularitatem urgere (2) ; quo tamen in casu a peccato non excusabitur contra putativam irregularitatem agens. In proprio autem casu irregularitas, utpote odiosa, strictam recipit interpretationem.

182. Sed ne in errorem incidamus, haec melius determinanda sunt. Nam uti supra dictum est, sicuti in aliis materiis odiosis, ita et in irregularitate nos neque lata neque multo magis extensiva interpretatione uti possumus in casibus revera inter se distinctis, utcumque casus pro quo irregularitas statuta non est, sit similis aut gravior illo pro quo statuta est ; hinc e. g. irregularitatem ex iteratione baptismatis nequis extendere ad iterationem ordinis aut confirmationis, irregularitatem ex vetito ordinum exercitio ad adulterium etc. At si unus casus aliquo modo in alio continetur uti pars in toto vel uti accessorium in principali, irregularitas statuta pro minori valet utique et pro majori : secus enim lex foret absurda, quod in legum interpretatione prae primis vitandum est. Proinde si irregularis est filius

(1) Reiff., *V, XXXVII, n.* 67 ; S. Alph., *VII, n.* 345 ; Salm., *cap. VII, n.* 3 ; Fagnanus, in *comm. cap.* 2, *De clerico excomm., n.* 5.
(2) Suarez, *l. c., disp. XL, sect. V, n.* 11.

fornicationis, a fortiori erit quoque irregularis filius adulterinus, incestuosus, sacrilegus, nefarius ; si irregularis est qui caret manu, a fortiori qui brachio ; si irregularis est acolythus ministrans rebaptizanti, a fortiori subdiaconus aut diaconus ministrantes et multo magis ipse rebaptizans, etc. Ad rem Gibalinus, *De irregularitatibus, cap.* V, *q. I, p. III, n.* 6, ostendens nos argumentari posse ab irregularitate qua cooperator rei nefandae detinetur, ad irregularitatem principaliter agentis : « Id autem maxime verum est, quoties cooperatio non ponitur nisi propter malitiam quae in ipsam ex principali actione derivatur ; tunc enim optime et quodammodo necessario a poena cooperationis ad poenam actionis primariae argumentamur ; alioquin enim esset parum aequa illa lex quae castigaret cooperatorem criminis propter atrocitatem criminis ad quod fuit cooperator, et non puniret primarium criminis patratorem cujus actio totam, ut ita dicam, malitiam criminis haurit et quae secundarias actiones inficit ; non enim sunt malae, nisi quia sunt aliquae appendices primariae actionis, aut quia in illam aliqua ratione influunt : quare licet non recte argumentemur a poena imposita principi agenti ad poenam secundariorum qui dumtaxat primarium juvarunt et non peccarunt nisi in illo suo concursu et conjunctione cum primario, ac proinde levius omnino peccarunt, a poena tamen inflicta criminis cooperantis, efficax argumentum ducitur ad poenam criminis commissi a primario agente ».

183. His positis :

1° Irregularitates *ex defectu* nos sex enumeramus, nempe : irregularitatem *ex defectu natalium* seu ex illegitimis natalibus, irregularitatem *ex vitio corporis*, irregularitatem *ex defectu fidei ratione baptismi in aetate adulta recepti aut dilati usque ad extremum vitae*, irregularitatem *ex daemonis possessione*, irregularitatem *ex nonnullis morbis physico-moralibus*, tandem irregularitatem *ex infamia*. Omnes enim sunt ex defectu (*n. 178*), et unamquamque habere naturam irregularitatis ex expositione singularum patebit. Nil autem per se refert utrum defectus sit occultus an publicus : tantum pro dispensatione id referre

potest, ut scilicet adeatur S. Poenitentiaria, si est occultus, vel Secretaria Brevium, aut Secretaria Memorialum, aut competens S. C., aut Dataria, si est publicus (*n. 212*).

184. Auctores passim irregularitates ex defectu alias plures recensere solent, ut puta irregularitatem ex defectu *aetatis*, ex defectu *scientiae*, ex defectu *tituli canonici* pro ordinatione in sacris, ex defectu *confirmationis*, ex defectu *debitae sanctitatis*, ex defectu *libertatis* ratione vinculi matrimonialis, aut ratione negotiorum temporalium quibus candidatus est implicatus, aut ratione ratiociniorum ad quae reddenda tenetur. At jam supra diximus ex his omnibus haberi non proprie dictas irregularitates, sed totidem impedimenta simpliciter. Pariter inter irregularitates ex defectu auctores passim ponunt etiam irregularitates ex defectu *lenitatis* ob licitum homicidium vel mutilationem, ex defectu *sacramenti*, ex defectu *fidei* propter haeresim. Eae sunt revera totidem verae et propriae dictae irregularitates; sed nos eas exponimus in tertia irregularitatum classe, quae est de irregularitatibus *sive ex defectu sive ex delicto*, quia non omnes certe et semper ex defectu procedunt. Tandem *defectus animi* de quo auctores item agunt, reducitur ad defectum aetatis, scientiae, sanctitatis, usus rationis propter amentiam, lenitatis, fidei; et ideo vel non constituit irregularitatem proprie dictam, vel ad alias irregularitates pertinet.

185. 2° Ad irregularitates *ex delicto* quod attinet, res paulo altius est repetenda. S. Paulus in *epist.* 1ª *ad Tim.*, *III*, et in *epist. ad Tit.*, *I*, agit de qualitatibus episcoporum, sed ejus verba etiam aliis ordinationibus aptantur. Vult igitur promovendum esse *sine crimine*. Hoc nomine S. Augustinus in *can.* 1, *dist.* 81, in Decreto, vult non esse intelligendum nisi peccatum grave accusatione et damnatione dignissimum, ut puta homicidium, adulterium, aliquam immunditiam fornicationis, furtum, fraudem, sacrilegium et caetera hujusmodi; sed, salva tanti doctoris auctoritate, verba Apostoli intelligi optime possunt de quolibet crimine. Porro per baptismum omnia peccata delentur, ita ut baptizatus, licet ante baptismum crimina commiserit, post ipsum tamen

sit revera *sine crimine*, prout requirit Apostolus ; et ideo crimen ante baptismum patratum de regula generali non obstat ordinationi, uti traditur in *can.* 7, *dist.* 25, in Decreto (1). Quid vero de crimine commisso post baptismum ? Si emendatione et poenitentia deletum non est tum quoad culpam tum quoad habitum, a clero arcet ipso jure divino quod Apostolus, *l. c.*, confirmat et inculcat ; de qua re fusius infra dum de defectu debitae sanctitatis agemus. Si vero emendatione et poenitentia plene deletum est, jam candidatus est pariter *sine crimine* et ideo videretur posse ordinari. Sed haec interpretatio apostolicae doctrinae nimis lata foret (2) : videamus quomodo illam Ecclesia per suam disciplinam intellexerit.

186. In primis Ecclesiae saeculis qui peccata graviora sive publica sive secreta post baptismum commiserant, submittebantur poenitentiae publicae solemni, exceptis natis in haeresi aut schismate, qui deinde ad Ecclesiam catholicam convertebantur quique recipiebantur per solam manus impositionem. Non decebat autem ut qui hanc poenitentiam peregerant, in clerum admitterentur, licet a labe peccati mundi essent ; tum quia ipsi alios peccantes efficaciter corrigere non potuissent, tum quia crimen publica poenitentia deletum aliquam veluti infamiae notam inusserat, eo vel magis quod dubitari posset de sinceritate poenitentiae. Hinc Ecclesia statuit poenitentes publicos, sicuti caeteroquin haereticos et schismaticos conversos de quibus fusius suo loco, etiam expleta poenitentia, non posse ad statum clericalem promoveri, seu ipsos declaravit irregulares. Ut unum vel alterum ex canonibus ad rem facientibus citemus, Innocentius I in *can.* 60, *dist.* 50, in Decreto, meminit : « Canones apud Nicaeam constituti poenitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt », quia, ut idem Pontifex animadvertit in *can.* 18, *caus.* 1, *qu.* 1, in Decreto, licet vulnus peccati per poenitentiae remedium sanatum sit, tamen

(1) S. Alph., *VII, n.* 352 ; Salm., *cap. VII, n.* 57 ; Suarez, *l. c., disp. XLI, sect. I, n.* 2 ; D'Annibale, *I,* § 406, *not.* 20.

(2) Vide Inn. I in epistola 17 ad episcopos et diaconos Macedoniae. Migne, *P. L., vol. XX, pag.* 526.

cicatrix remanet. Vide etiam *can.* 55, qui desumptus est ex *statutis Ecclesiae antiquis*, et *can.* 50, *ejusd. dist.* 50, qui est Gelasii I. In *can.* 65, 66, 67 *ejusd. dist.*, traditur poenitentes arceri a clero, et clericis in clero remanentibus numquam concedi ob indicatas rationes publicam peragere poenitentiam. Tandem Gregorius IX in *cap.* 1, *De bigamis*, refert canonem concilii Arelatensis (an. 524), quo inter alios etiam poenitentes excludebantur a statu clericali.

187. Si autem quaeras utrum ratio seu motivum exclusionis esset in delicto an in poenitentia, respondet Phillips, *I*, § 46 : « Selon les circonstances il pouvait être à la fois dans l'un et dans l'autre, ou bien simplement dans l'un des deux. Le crime est le motif originel ; quand la pénitence est simplement simulée ou imparfaite, il subsiste avec tous ses effets ; la pénitence qui est en quelque sorte la proclamation d'un crime commis constitue de son côté, en raison de l'opprobre qui en est la suite, un nouveau motif d'exclusion qui produit son effet même après la purification de l'âme du pénitent, alors que le crime étant effacé, n'est plus par lui-même un obstacle à l'ordination. C'est là cette cicatrice laissée par la pénitence dont parle Innocent I, et qu'il déclare inconciliable avec l'honneur de l'état ecclésiastique. Pour éviter ce désordre, plusieurs Églises adoptèrent l'usage de ne pas soumettre les clercs à la pénitence publique..... ».

188. Sed hic occurrit historica difficultas. Cum enim plura alia crimina vi publicae poenitentiae solemnis excluderent e clero, curnam in antiqua liturgia Romana quae refertur in ordine Romano VIII (*Alleg.* V), promovendus ad subdiaconatum et ad episcopatum jurare debebat se non commisisse sodomiam, bestialitatem, adulterium, violationem virginis consecratae ? Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *cap.* X, § 3, *n.* 2, *pag.* 341, *not.* 1 haec habet : « Il y a ici une difficulté qui n'a pas, que je sache, été résolue d'une manière satisfaisante. Je crois, quant à moi, que ces interrogatoires préalables à l'ordination remontent à un temps où le baptême se recevait, en général, à l'âge adulte, et qu'elles concernaient non pas l'état présent de la

conscience de l'ordinand, mais sa conduite avant de recevoir le baptême. Tout en proclamant la rémission des péchés, si énormes qu'ils fussent, par la vertu du sacrement de baptême, l'Église pouvait avoir des exigences spéciales pour les personnes qui se présentaient aux ordres. C'est ainsi qu'on excluait les bigames, sans s'inquiéter si le premier mariage avait été contracté avant ou après le baptême ».

189. Publica solemnis poenitentia in desuetudinem abiit. Thomassinus, *De vet. et nov. Ecc. disciplina*, *p. I*, *lib. II*, *cap VII*, *n.* 14 et 15, demonstrat in Oriente desiisse saec. V ineunte, in Occidente vero factam esse rarissimam circa finem saec. XII. Sed antea disciplina ecclesiastica quae poenitentes a clero prohibebat, jam relaxari coeperat, e. g. concilium Toletanum I (an. 400) in *can.* 68, *cit. dist.* 50, in Decreto, permittit poenitentes ordinari ostiarios et lectores ; pariter permissum fuit clericos publicam peragere poenitentiam et deinde in suo ordine redintegrari. Hodie aliquando pro publicis gravioribus delictis quae magnum scandalum attulerunt, imponi potest publica salutaris poenitentia, ut videre est e. g. in Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. VIII*, *de ref.* At haec non est publica poenitentia *solemnis* de qua huc usque loquuti sumus ; ac proinde taliter poenitens per se, seu ratione poenitentiae, non est irregularis, licet possit esse irregularis aliunde, e. g. ratione delicti irregularitatem inducentis pro quo poenitentia imposita fuit, aut ratione infamiae (1).

190. Abolita publica solemni poenitentia, non ideo omnes criminosi, obtenta etiam absolutione, admissi fuerunt ad clerum. Nam in primis multa delicta, si publica sunt, inurunt infamiam facti quae dum perdurat, arcet a statu clericali. Hoc impedimentum quod ceteroquin non est vera ac proprie dicta irregularitas (*n. 309*), proxime accedit antiquo impedimento ex publica poenitentia. Praeterea praescindendo etiam ab infamia facti, plura alia delicta, etsi remissa quoad culpam coram Deo, dedecent statum clericalem

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XLII*, *sect. II*, *n.* 4.

sive ob infamiam juris qua notantur, sive ob alias rationes ipsis delictis intrinsecas quas de singulis agentes indicabimus. Hinc Ecclesia propter reverentiam debitam divino ministerio statuit, ut alias diximus, ea delicta, licet poenitentia deleta coram Deo, prohibere a statu clericali, et ita ex illis delictis fecit irregularitates. Talia delicta sunt : *iteratio baptismatis; exercitium ordinis non recepti; exercitium ordinis vetiti per censuram; nonnulli casus bigamiae, homicidii et mutilationis culpabilis; haeresis; delicta quae infamia juris notantur.* At de impedimento ex infamia nos loquimur in prima classe irregularitatum ex defectu tantum, quia licet infamia innitatur delicto, tamen causa proxima irregularitatis est defectus famae potius quam delictum commissum. De impedimento autem ex bigamia, homicidio et mutilatione, haeresi, nos agimus in tertia classe irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu. Equidem Ecclesia potuisset et alia crimina irregularitates declarare, sed non fecit, et nos supra monuimus in hac materia minime licere ad alios casus argumentari a simili vel a fortiori.

191. Haec autem delicta, ut irregularitatem inferant, non solum debent esse patrata post baptismum (*n. 185*), sed insuper debent esse *externa*, quia irregularitas respicit prae primis forum externum, et de hac re nemo umquam dubitavit. Item debent esse *gravia* sive actu interno sive actu externo, quia irregularitas, quasi poena gravissima, supponit culpam gravem (1). Ita quidem in genere : sed cum irregularitas vere poena non sit, non repugnat induci ex peccato levi, si scilicet actus, licet in se leviter culpabilis, promotionem clericalem reddat graviter indecentem : quod nominatim in homicidio verificari potest. Vide *n. 444*. Insuper debent esse *consummata*, ita ut conatus delicti, utcumque proximus, non producat irregularitatem ; e. g., si hominem mortaliter vulnerasti, qui deinde ex miraculo convaluit (2).

(1) S. Alph., *VII, n.* 348 ; Suarez, *l. c., disp. XL, sect. III, n.* 17 ; Salm., *X, VII, n.* 12 ; D'Annibale, *I,* § 409 ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 76; Layman, *lib. I, trct, V, pars V, cap. I, n.* 4, cum communi.

(2) S. Alph., *l. c.* ; Salm., *l. c.* ; Suarez, *l. c., n.* 19 ; D'Annibale *l. c.*

Cum enim simus in odiosis, verba legis irregularitatem statuentis intelligenda sunt de delictis effectum suum obtinentibus. Tandem debent esse *vera* in se et non tantum secundum existimationem ; hinc e. g. si quis falso putans Titium esse baptizatum, ipsum rebaptizat, vel falso putans se esse suspensum Missam celebrat, peccat mortaliter, sed non contrahit irregularitatem (1). At si haec delicta sunt externa, gravia, consummata, vera, irregularitatem secumferunt etsi occultissima, nisi aliud in jure statuatur, quod certum esse videtur ex *cap.* 10, § *Personae, De renuntiatione*, et ex Conc. Trid., *sess. XIV, cap. VII, de ref.*, et *sess. XXIV, cap. VI, de ref.* (*n. 156* et *n. 217*) (2). Alii aliter censent praesertim ex *cap. 4* et *cap. ult., De temporibus ordinationum*, ita ut regulam statuant : *Per nullum crimen occultum, excepto homicidio, irregularitas contrahitur* (3). Sed non bene, quia in citatis capitibus Alexander III et Gregorius IX respondent potius sequenti quaestioni, num scilicet episcopus in foro externo repellere valeat a statu clericali candidatum publice dignum, sed occulte indignum ob perpetratum delictum (*n. 617*) (4). De hac irregularitate omnino occulta intelligendae sunt nonnullae bullae quae de irregularitate *mentali* loquuntur (5). Ceterum exceptiones in jure statutae, quibus scilicet occultum crimen non parit irregularitatem, suis locis exponemus.

192. Auctores veteres plerique, irregularitatem cum suspensione permiscentes, praeter indicata, plura alia delicta praesertim commissa in susceptione ordinum inter irregularitates recensent, declarantes irregulares pene omnes male promotos ad ordines, non vero promoventes quos habent potius suspensos. Sed perperam ; nam etiam male promoti sunt suspensi (quae suspensio saepius sublata est a

(1) Salm., *X, VIII, n.* 66 ; Suarez, *De legibus, V, XXXIV, n.* 9.

(2) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 75 ; Reiff., *n.* 75 ; Suarez, *l. c., n.* 21 ; Navarrus, *cap. XXVII, n.* 194 ; D'Annibale, *I,* § 399, 409 ; S. Alph , *l. c., n.* 399 *verius*.

(3) Plures auctores citati a Layman, *lib. I, tract. V, part. V, cap. 4*, qui tamen excipit etiam violationem censurae ecclesiasticae.

(4) Phillips, *I,* § 55 ; Berardi, *Jus. ecc. un., lib. V, p. II, diss. IV, cap, III*, qui totam hanc quaestionem historice bene exponit.

(5) Schmalz., *l. c., n.* 74, cum Palao, *tract. XXXI, disp.* 6, *part.* 3, *n.* 1 ; Suarez, *l. c., disp. XL, sect. III, n.* 5 *sequ.* et nominatim *n.* 9.

const. *Apostolicae Sedis*), vel simpliciter impediti, non vero irregulares : « tum quia verba in odiosis recipiunt interpretationem reo favorabiliorem ; tum quia haec irregularitas satis dubia est ; tum quia poena suspensionis magis congruit delictis hujusmodi, quisque enim puniri debet in eo in quo peccavit ; denique cum ordinator suspensione et non irregularitate coerceatur, aequum erat ut suspensione et non irregularitate coercerentur ordinati, ut quorum idem delictum fuerat, eadem esset et poena » ; D'Annibale, *I*, § 412. De praecipuis breviter.

193. Ita nonnulli censent esse irregularem : 1° Qui ordinem quemcumque recipit ab episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto ; 2° Aut ab episcopo non suo sine litteris dimissoriis, ex *can.* 7, *caus.* 9, *q.* 2, in Decreto, ex *cap.* 11, *De temporibus ordinationum*, ex *cap.* 2, *ejusd. tit., in* 6° ; 3° Aut ab episcopo suo in aliena dioecesi sine licentia Ordinarii, ex *cit. can.* 7, *caus.* 9, *qu.* 2 ; Tandem 4° qui ordines hierarchicos recipit ab episcopo qui loco et dignitati renuntiavit, ex *cap.* 1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui.* Sed immerito ; nam ii omnes sunt suspensi, non irregulares. Quod attinet ad *primum*, irregularitas nulli juri innititur ; et in casu adesse suspensionem, dicemus in *cap.* V, *sect.* 1. Quod attinet ad *alterum*, in *can.* 7, *caus.* 9, *q.* 2, in Decreto, ordinatio dicitur *irrita*, quod importat suspensionem, non irregularitatem, de qua re in cit. *cap.* V, *sect.* I (1) ; in *cap.* 11, *De temp. ord.*, illud : *Interdicenda est ei ordinis executio*, importat suspensionem ferendae sententiae ; in *cap.* 2 *ejusd. tit., in* 6°, expresse infligitur suspensio. Quod attinet ad *tertium*, jam diximus *can.* 7, *caus.* 9, *qu.* 2, irrogari suspensionem, de qua Conc. Trid., *sess.* VI, *cap.* V, *de ref.* (*n. 92 sequ.*). Tandem quod attinet ad *quartum*, in *cap.* 1, *De ord. ab episc. qui renunt. episcop.*, cavetur ordinatum *executionem officii non habere*, quod implicat suspensionem (2).

(1) Hic canon 7 est concilii Antiocheni ; sed canones hujus concilii, licet particularis, ubique locorum recepti fuerunt.

(2) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 90 ; sed sibi non cohaeret *I*, § 132, *not.* 45 ; Suarez, *l. c.*, *disp. XXXI, sect. I, n.* 7, cum pluribus aliis.

194. Item irregularis a pluribus traditur : 1° Qui ordinatur irretitus censura, praesertim ex *cap.* 32 , *De sent. excomm.*, et *cap.* 1, *De eo qui furtive ordines recepit* ; 2° Qui uxorem habens sine ejus consensu ordinatur in sacris, ex *extrav. un.*, *De voto et voti redemptione* ; 3° Qui irregularitate detentus ordinem recipit aut exercet, ex *can.* 12, *dist.* 56, in Decreto. Sed rursus ii omnes non sunt irregulares. Nam quod attinet ad *primum*, in *cap.* 32, *De sent. excomm.*, agitur de suspensione (*n. 142*) ; et *cap.* 1, *De eo qui furtive* etc., non facit ad rem, et pariter in *cap.* 2 et 3 *ejusd. tit.*, clare explicatur de suspensione (1). Quod attinet ad *alterum*, non convenitur inter auctores utrum in casu sit suspensio (2), an irregularitas (3), vel quid aliud. Nos putamus si matrimonium initum fuit bona fide, esse simplicem prohibitionem ; si mala fide, hanc prohibitionem habere quoque rationem poenae suspensionis (4) ; de qua fusius infra suo loco. Quod attinet ad *tertium*, *can.* 12, *dist.* 56, in Decreto, nullo modo facit ad rem ; et in casu perpetratum quidem est peccatum per se grave et irregularitas remanet afficitque etiam ordinem de novo susceptum, sed alia irregularitas non contrahitur, nec ulla alia poena latae sententiae, cum nullibi legatur in jure (*n. 168, 171*) (5).

195. Pariter a pluribus praedicatur irregularis : 1° Qui ordinatur furtive, ex *cit. cap.* 1, *De eo qui furtive* ; 2° Qui ordinatur per saltum, ex *cap.* 1, *De clerico non ordinato ministrante* ; 3° Qui ordinatur in sacris sine titulo, ex *can.* 1, *dist.* 70, in Decreto ; 4° Qui uno die vel duobus diebus con-

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXXI, sect. I, n.* 56.

(2) Bonacina, *De suspensione, disp. III, p. V.*

(3) Suarez, *l. c.*, *n.* 53, qui tamen deinde loquitur semper de suspensione, ita ut videatur putare in casu esse simul suspensionem et irregularitatem ; Salm., *X, VIII, n.* 72 ; S. Alph., *VI, n.* 812, *VII, n.* 361. Sed cum delictum susceptionis ordinis in casu non inurat maculam contra ministerium sacerdotale, irregularitas proprie dicta non adest.

(4) D'Annibale, *I*, § 412, *not.* 38.

(5) Suarez, *disp. XLII, sect. III, n.* 2, et *disp. XL, sect. II, n.* 6 *et s.* ; D'Annibale, *I*, § 401 ; Navarrus, *cap. XXVII, n.* 194 : Sayrus, *V, II, n.* 26 ; Salm., *X, VII, n.* 21 ; Card. Petra, in *comm. const. VIII Gregorii XI, Etsi a sacris*, 3 *Idus Nov.* 1347 (*vol. IV, pag.* 319) ibi : « Irregularitas irregularitatem non parit, dummodo censuram non habeat adnexam, vel nisi in jure sit expresse cautum ».

tinuis quatuor minores ordines cum subdiaconatu vel duos ordines sacros recepit, ex *cap.* 2, *De eo qui furtive...*, et ex *cap.* 13, *De temporibus ordinationum*. Sed neque ullus horum est irregularis. Nam quod attinet ad *primum*, ex *cap.* 2 *et* 3 *ejusd. tit.*, clare apparet, ut supra diximus, in casu agi de suspensione (1). Quod attinet ad *alterum*, in *cap* 1, *De cler. non ord. minist.*, diaconus est revera irregularis, quia Missam celebravit ; unde hoc caput non facit ad rem (2). Quod attinet ad *tertium*, certissimum est in casu esse suspensionem, de qua infra. Quod attinet ad *quartum*, jam pluries diximus in *cap.* 2, *De eo qui furtive...*, esse potius suspensionem quam irregularitatem, et ita etiam apertissime in *cap.* 13, *De temp. ordin.*

196. 3° Huc usque de irregularitatibus *ex defectu*, et de irregularitatibus *ex delicto*. Demum inter irregularitates vel *ex defectu vel ex delicto* nos recensemus irregularitatem *ex bigamia*, ex *homicidio* et *mutilatione* active considerata, et tandem ex *haeresi*.

197. Coronidis loco hic notandum est irregularitatem posse multiplicari, seu aliquem posse plures irregularitates contrahere ; quamquam actus prohibitus ex pluribus irregularitatibus jam contractis unum peccatum sit, quia omnes irregularitates statutae sunt propter reverentiam divini ministerii.

Omnes admittunt irregularitates multiplicari ex actibus qui causam diversae irregularitatis continent ; e. g. suspensus qui homicidium commisit, rebaptizavit, celebravit, manum amisit etc., quadruplici detinetur irregularitate. Et sicuti una eademque copula multiplex impedimentum affinitatis contrahi potest, ita si unus idemque actus contineat distinctas specie causas irregularitatis, seu violet distinctas leges statuentes irregularitates, plures irregularitates secum-

(1) Schmalz., *V, XXX, n.* 9, plures alios citans.

(2) Pirhing, *V, XXIX, n.* 3 ; Schmalz., *n.* 4 ; Suarez, *l. c.*, *disp. XXXI, sect. I, n.* 46 ; Fagn., in *comm. cap. un., De clerico per saltum promoto* ; Barbosa, *De off. et pot. episc., All. XLVII, n.* 2 ; D'Annibale, *I*, § 412, *not.* 41 ; Navarrus, *XXVII, n.* 142.

fert; e. g. *si episcopus interdictus* ordinat in *loco interdicto* (1).

Utrum vero irregularitas multiplicetur etiam ex actibus qui ejusdem irregularitatis causam continent, doctores inter se non conveniunt. In primis distinguendum est inter irregularitatem ex defectu, et irregularitatem ex delicto. Irregularitatem ex defectu putamus non multiplicari, ita ut e. g. judex qui decem reos morte damnavit, unam contrahat irregularitatem, utpote lenitatis defectu, qui est irregularitatis causa, aeque laborans ac si unam tantum mortis sententiam pronuntiavisset. Irregularitatem ex delicto nonnulli negant multiplicari, quia non est poena, sed inhabilitas (2); hinc e. g. qui plura homicidia commisit, in hac sententia unicam contraheret irregularitatem. Alii affirmant multiplicari (3), quia irregularitas ex delicto habet rationem poenae. Valde placet distinctio D'Annibale, *I*, § 405; nempe irregularitates non multiplicari ex actibus in eodem subjecto repetitis ita ut e. g. si suspensus sacerdos pluries Missam celebravit, aut si quis pluries eamdem personam rebaptizavit, unam contrahat irregularitatem; multiplicari vero ex actibus in diverso subjecto repetitis; e. g. qui decem homines interfecit, et decem rebaptizavit, contrahit viginti irregularitates. Haec doctrina firmatur exemplo impedimenti affinitatis, quod non multiplicatur ex copula cum eadem persona pluries habita, bene vero ex copula habita cum diversis personis (4).

Haec in genere; de multiplicatione nonnullarum irregularitatum in specie dicemus suis locis.

Utrum vero omnes casus exprimi debeant in instantia pro dispensatione, vide *n. 213*.

C. *Quinam contrahere valeant irregularitates.*

198. Irregularitatis sunt capaces illi soli qui sunt capaces recipiendi ordines. Proinde non foeminae, nec viri non

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXXIII, sect. III, n.* 12 *sequ.*

(2) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 71; Collet, *Traité des dispenses, liv. VI, chap. III, n.* 187; Collator Andegavensis, 11e *conf. sur les irrégularités,* 1re *question*; Garcias, *De beneficiis, VIII, III, n.* 87.

(3) Suarez, *l. c., disp. XLII, sect. I, n.* 2; Icard, *n.* 802.

(4) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 692.

baptizati, etsi catechumeni. Defectus et nonnulla delicta quae baptizatos reddunt irregulares, verificari utique possunt in viro ante baptismum, sicut et in foeminis, sed tunc irregularitatem, si proprie loqui velimus, non constituunt. Recepto baptismate, delicta delentur, et ideo nemo potest esse irregularis ob delicta ante baptismum patrata (*n. 185*) ; sed defectus permanent, ex quibus jam oritur irregularitas, cum subjectum capax evaserit per baptismum.

199. Inter capaces vero, seu inter viros baptizatos, irregularitate afficiuntur omnes sive clerici sive laici, nisi aliud constet, episcopis non exceptis, etsi in lege non nominentur expresse. Id probatur manifeste ex *cap.* 10, § *Personae*, *De renuntiatione*, et innuitur in *cap.* 1, *De sent. excomm., in* 6°. Dices : in episcopos irregularitas nequit producere effectum primarium et directum, et ideo neque alios qui ex illo descendunt, et ita episcopus videtur sub lege irregularitatem inducente comprehendi non posse. Respondemus etiam in episcopo irregularitatem prohibere collationem-receptionem graduum clericalium. Quod si episcopus non habet quos recipiat gradus, idest per accidens ; prohibitio manet et prohibet ordines majores receptos exercere, et ideo beneficia excludit (1). Imo etiam S. R. E. Cardinales comprehenduntur, etsi non nominati, sub lege quae irregularitatem statuit. At R. P. nullis irregularitatibus subjacet, quia non tenetur jure canonico quoad vim coactivam ; et irregularitas pertinet ad vim coactivam (2).

200. E converso quoniam ad irregularitatem ex delicto contrahendam requiritur delictum grave tum in foro interno, tum in foro externo, impediunt irregularitatem ex delicto contrahere omnes illae causae quae dolum ideoque delictum tollunt vel graviter minuunt (3), quales sunt praesertim *aetas*, *ignorantia*, *morbi physico-morales*, *somnus*, ex parte intellectus ; *vis et metus*, ex parte voluntatis. Et quoniam *odia restringi et favores convenit ampliari*, ut habet *reg.*

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. I*, *n.* 11 ; D'Annibale, *l. c.*, § 401, *not.* 15.
(2) Suarez, *l. c.*, *sect. VII*, *n.* 7 ; Icard, *n.* 802 ; Schmalz., *V*, *XXXVII*, *n.* 71 ; La Croix, *tom. VIII*, *lib. VII*, *n.* 444.
(3) Schmalz., *V*, *XXVII*, *n.* 103 ; Lehmkuhl, *II*, *n.* 1003.

15 *juris, in* 6°, aut in *obscuris minimum est sequendum*, ut subdit *reg.* 30, hinc omnes istae causae excusant quoque ab irregularitatibus de quibus dubium est utrum ex defectu, an ex delicto proveniant. At certe istae causae non excusant ab irregularitatibus ex defectu, quae non innituntur delicto, ideoque praescindunt a dolo subjecti ; e. g. illegitimus est irregularis, etsi nesciat defectum natalium hoc impedimentum secumferre. Excipitur irregularitas ex infamia ; nam infamia juris ex qua est irregularitas, non contrahitur nisi ex delicto doloso. Modo de singulis pauca.

202. Ad *aetatem* quod attinet, irregularitatem non contrahunt *infantes* ante septennium, etsi per accidens usum rationis adepti jam sint, contra Navarrum, *Cons. XXVII, n. 230*, quia lex respicit ad id quod frequentius accidit, non ad ea quae raro contingunt, *l. Non ad ea, ff., De legibus*. Vide etiam *n. 442* et *n. 730*. Imo juxta plerosque excusantur etiam *impuberes*, quia doli perfecti capaces esse non solent. Nam ex *cap.* 1, et 2, *De delictis puerorum*, constat delicta impuberum ob allatam rationem mitius esse punienda, etsi in casu particulari perfectus dolus verificetur. Exinde recepta sententia est impuberes non contrahere censuras (1), nisi id in lege exprimatur, prouti revera de impuberibus monasteria monialium ingredientibus expressum est in Conc. Trid., *sess. XXV, cap.* V, *de ref.*, et de impuberibus clericorum percussoribus, in *cap. ult., De sent. excomm.* (2). Jam vero aiunt hanc doctrinam applicari etiam irregularitatibus ex delicto, quae sunt ad instar poenarum et quidem gravissimarum (*n. 179*) innixae delicto externo, gravi, consummato et formali. Haec est sententia communior : sed alia tenet impuberes, praesertim pubertati proximos, irregularitate irretiri, ex *Clem. un., De homicidio*, ubi *infantes* tantum excipiuntur (*cit. n. 442*). S. C. C. in *Messanen., Irregularitatis*, 5 *Julii* 1738, dis-

(1) S. Alph., *VII, n.* 14; D'Annibale, *I*, § 312 ; Sanchez, *De matr., I, XII, n.* 8 ; Icard, *n.* 757.

(2) Sed de altera exceptione merito nonnulli dubitant post const. *Apostolicae Sedis, n.* 2, inter excommunicationes R. P. simpliciter reservatas, ubi impuberes non nominantur. D'Annibale, *I*, § 367 ; Del Vecchio, *I, n.* 596.

pensationem negavit puero novem annorum, cui deinde *die* 17 *Dec.* 1740, dispensationem concessit ad cautelam : item in *Tridentina*, *Irregularitatis*, 13 *Mart.* 1784 (1).

203. Utrum *ignorantia* excuset necne ab irregularitatibus ex delicto contrahendis, res est valde implexa, in qua nos libere nostram opinionem pandemus. Recolimus ignorantiam cadere posse vel *circa legem* quae delicto violatur, et proinde etiam circa irregularitatem, vel *circa irregularitatem tantum*. Lex quae delicto violatur, aliquando est ecclesiastica, e. g. lex censurae prohibens exercitium ordinum ; aliquando est divina, e. g. lex prohibens homicidium, iterationem baptismi, etc. In hoc altero casu auctores passim supponunt esse in primis *legem divinam* quae illam actionem prohibet, deinde *legem Ecclesiae* quae sua auctoritate eamdem actionem prohibet, tandem *legem Ecclesiae quae statuit irregularitatem contra transgressores suae legis* (2). Haec nobis valde difficilia sunt. Nam in primis illa formalis lex Ecclesiae veluti media inter legem divinam et legem irregularitatis non videtur existere, et Ecclesia statuit irregularitatem non in poenam transgressionis suae legis, sed quia ex violatione legis divinae ordinatio hominis jam dedecet sacerdotalem dignitatem (3). Quod si quis, ignorans legem divinam, putaret illam actionem directe prohiberi lege Ecclesiae, esset casus erroris potius quam ignorantiae, quia legem dignoscit et tantum errat circa fontem legis. Insuper recolimus ignorantiam posse esse vel *juris*, cum quis ignorat legem, e. g. Titius ignorat baptismum repeti non posse, aut censuram impedire talem actum ordinis ; vel *facti*, cum quis, cognoscens legem, ignorat actionem quam ponit, cadere sub lege, e. g. Titius sciens baptismum repeti non posse, ignorat Sempronium esse baptizatum. Tandem ignorantia alia est *invincibilis*, seu *involuntaria*, si Titius eamdem depellere non potuit, e. g. quia distractus de re ne cogitavit quidem, aut quia diligentiam

(1) Doctorum opiniones hac de re vide in folio ejusdem S. C. C. in *cit. Tridentina*.

(2) S. Alph., *VII*, *n.* 350 ; Icard, *n.* 803.

(3) Suarez, *l. c.*, *disp. XL*, *sect. V*, *n.* 10.

adhibuit, sed frustra ; alia est *vincibilis*, seu *voluntaria*, si per ipsum stetit quominus ignorantia depelleretur. Haec est *affectata*, si Titius ideo diligentiam non adhibuit ne veritatem deprehenderet ; est *simpliciter vincibilis*, si ex mera desidia diligentiam non adhibuit, quae juxta nos subdividitur in *leviter culpabilem*, si maxima et extraordinaria tantum diligentia, in *graviter culpabilem*, si ordinaria diligentia, in *gravissime culpabilem*, quae dicitur etiam *lata*, *crassa*, aut *supina*, si vel minima diligentia ignorantia depelli poterat, quae omnia juxta prudentiam boni viri aestimanda sunt (1). Tandem animadvertimus ignorantiam juris non praesumi in foro externo ; in foro autem interno quisque sui ipsius judex est ; ignorantia autem facti in foro quoque externo excusat, si probabilis seu verosimilis est.

204. His positis, supponamus in primis legem quae delicto violatur, esse tantum ecclesiasticam. Si quis, cognoscens legem cum adnexa irregularitate, illam violat, certe contrahit irregularitatem, quia nil deest. Si quis cognoscens legem, sed ignorans irregularitatem, illam violat, est duplex sententia. Nonnulli (2) verius affirmant irregularitatem contrahere, quia haec non est vera poena inflicta in vindictam delicti, sed est inhabilitas propter reverentiam divini ministerii inducta. Alii (3) negant, quia irregularitas est ad

(1) Sanchez, *De matr.*, *IX*, *XXXII*, *n.* 31, cum aliis. E contrario S. Alph., *VII*, *n.* 45, cum plerisque putat dari tantum ignorantiam *invincibilem seu non culpabilem*, *ignorantiam vincibilem leviter culpabilem*, et tandem *ignorantiam vincibilem graviter culpabilem*, quae dicitur *crassa*, *vel supina*. Sed doctrina Sanchezii videtur clare desumi ex celebri *cap.* 2, *De constitution.*, *in* 6°, ubi Bonifacius VIII, *ut periculis animarum obviaret*, voluit ut ignorantia excusaret a legibus et poenis, *dummodo crassa non fuerit aut supina*. Jam vero de quanam ignorantia excusante loquitur Bonifacius VIII ? Non de *ignorantia invincibili seu nullatenus culpabili*, quia haec excusat ipso naturae jure ; non de *ignorantia vincibili leviter culpabili*, quia et haec ipso naturae jure excusat a legibus et poenis gravibus : ergo de ignorantia *vincibili graviter culpabili*, dummodo crassa non fuerit vel supina. Haec modo innuisse sufficiat ; nam fusius de iis in alio tractatu.

(2) Suarez, *l. c.* ; Icard, *l. c.* ; Layman, *lib. I*, *trat. IV*, *cap. XX*, *n.* 6 ; et plures alii citati a S. Alph., *VII*, *n.* 351 ; D'Annibale, *I*, § 409.

(3) Sanchez, *De matr.*, *IX*, *XXXII*, *n.* 21 ; Navarrus, *cap. XXII*, *n.* 47, cum pluribus aliis citatis a S. Alph., *l. c.*, qui hanc doctrinam habet *satis probabilem*.

instar poenae gravissimae et extraordinariae. Quoniam vero haec altera sententia ab omnibus habetur probabilis, hinc irregularitas uti dubia haberi potest (*n. 162 sequ.*). Et quidem si ad contrahendam irregularitatem requiritur *praesumptio*, *temeritas*, etc., quaelibet ignorantia etiam *vincibilis gravissime culpabilis*, imo etiam *affectata*, excusat, quia *temeritas scientiam positivam importat cum aliquo contemptu* (S. Alph., *VI*, *n.* 116); atqui quaelibet ignorantia excludit scientiam positivam (1). Si vero ad irregularitatem contrahendam non requiritur *praesumptio, temeritas*, etc. excusat quaelibet ignorantia, excepta crassa vel supina, et multo magis affectata, ex *cit. cap.* 2, *De constitution.*, *in* 6°. Tandem si quis ignorans legem. et ideo etiam irregularitatem, legem violat, ea quae diximus. repetenda sunt, sive ignorantia sit juris, sive facti. Nimirum si ad irregularitatem contrahendam requiritur *praesumptio*, *temeritas*, etc., quaelibet omnino ignorantia excusat; secus excusat quaelibet ignorantia, excepta crassa seu supina et affectatra. In *cap.* 9, *De clerico excommunicato. deposito vel interdicto ministrante*, expresse traditur clericos excusari ab irregularitate ex ignorantia *probabili* censurae, non vero ex ignorantia crassa et supina aut erronea; ignorantia autem *probabilis* in nostra sententia significat ignorantiam invincibilem seu nullatenus culpabilem, ignorantiam leviter culpabilem (quae duae species ignorantiae excusant ex ipso jure naturae) et ignorantiam graviter culpabilem (quae excusat ex benigna Ecclesiae voluntate).

205. Modo supponamus legem quae delicto violatur, esse divinam. Si quis dignoscens legem divinam cum relativis legibus Ecclesiae et irregularitate, eam violat, certe contrabit irregularitatem, quia nil deest. Si quis putans actionem, e. g. rebaptismum, aut homicidium, prohiberi sola lege Ecclesiae, eam ponit, contrahit irregularitatem, quia error circa fontem juris nil mutat (2). Auctores passim ponunt aliam hypothesim cum solutione, nempe aiunt non incurrere irregularitatem illum qui sciens actionem prohiberi lege divina,

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 996.
(2) S. Alph., *VII*, *n.* 350.

sed nesciens prohiberi quoque formali lege Ecclesiae, sciens vero irregularitatem, illam actionem ponit (1); sed haec hypothesis et solutio displicet ex dictis *n. 203*. Tandem si quis cognoscens legem, sed ignorans irregularitatem, aut ignorans legem ideoque et irregularitatem, legem violat, repete quae diximus *n. praec.*

206. Ex *morbis physico-moralibus* irregularitatem effugiunt *mentecapti*, sive amentes sive dementes, quibus accedunt *fatui* seu *stupidi*, *surdi-muti-caeci*, *ebrii*, si in eo statu delictum commiserunt (2). Mentecaptus qui in lucido intervallo crimen perpetravit, irregularitatem contrahit, si probatur in lucido intervallo vere et plene usum rationis habuisse; quod tamen valde difficile est probare, praesertim si lucidum intervallum breve fuit, et in quolibet dubio pro reo pronuntiandum est: item si amentia vel dementia manifestata est brevi tempore post delictum perpetratum, sed tempore delicti aderat in periodo, ut aiunt, incubationis, intellectum graviter perturbans. Fatui et stupidi qui non habent perfectam mentis discretionem, ab irregularitate excusari possunt crimen committentes, juxta ea quae diximus *n. 201*. Surdi-muti-caeci simul a nativitate, ad instar infantium, nequeunt irregularitate irretiri; idemque repetas de *surdis-mutis* simul a nativitate, nisi fuerunt adeo perfecte instituti, ut puberibus comparari valeant. Qui autem sunt vel *caeci* vel *muti* vel *surdi*, etsi a nativitate, videntur irregularitatem contrahere. Tandem nec *ebrius* delictum committens efficitur irregularis, etsi fortasse ebrietas hilaritatis gradum non excesserit, quia et ipse aliquam usus rationis partem in vino deperdidit, nisi ideo sese inebriaverit ut tali modo audacior esset ad crimen explendum.

207. De *dormiente* etiam somnambulo expedita res est. At etiam ipse potest irregularitatem contrahere ex delicto in somno commisso, si scilicet illud commiserit ex omissione debitae diligentiae, e. g. pater qui dormiens infantem in lecto suffocavit; sed de hac re melius infra agentes de homicidio.

(1) S. Alph., *l. c.*
(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 779 *sequ.*

208. Tandem qui committit delictum *vi physica*, reipsa non committere delictum et ideo non contrahere irregularitatem, palam est ; sed irregularitatem contrahit vim inferens, cui delictum imputatur. Imo in casu vim passus immunis est, ni fallimur, ab irregularitate, etsi, externe reluctans, interne consentiat ; quia in foro externo delictum non existit et irregularitas respicit prae primis forum externum. Item nec ille irregularitatem contrahit qui delictum committit ex *vi morali* seu metu gravi, externo, injusto. Id evidens est si delictum consistit in violatione legis ecclesiasticae, e. g. si censuratus clericus cogitur ex metu gravi in recepto ordine solemniter ministrare, quia cum lex ecclesiastica non obliget cum gravi incommodo, delictum in casu non adest. et ideo nec irregularitas. Hinc patet irregularitatem impediri ab omni incommodo gravi quod eximens a lege ecclesiastica impedit delictum, e. g. si clericus censuratus ordinem solemniter exercet ad evitandum scandalum, infamiam, periculum ne exinde manifestetur suum crimen occultum, etc. (1). Sed id verum est etiam si delictum consistit in violatione legis divinae, e. g. si quis hominem rebaptizavit aut occidit jussus alias ipse occidendus, licet in casu peccatum sit grave, quia irregularitas statuitur lege Ecclesiae ad instar poenae gravissimae et extraordinariae, et non praesumitur Ecclesiam voluisse ut afficeret etiam delicta tali metu patrata. Excipe si metu gravi quis cogitur delictum perpetrare in contemptum legis ecclesiasticae statuentis irregularitatem, aut cogitur perpetrare crimen gravissimum, e. g. interficere episcopum, quia in his casibus metus gravis nec excusat a lege Ecclesiae (2). D'Annibale, *l. c.*, addit : « Quidem putant metum non excusare (a delicto et ideo a poena) in his quae ex voluntate nostra statum capiunt (Suarez, *II, V, 4* ; Salm., *X, VIII, n.* 61), ut ecce si aliquem rebaptizaveris, quia poteras interius nolle. Vereor ne verum sit ; primo quia simulatio illicita est ; deinde quia vix theologi de hoc cogitant, et forte in ea perturbatione ne theologi qui-

(1) Schmalz., *V, XXVII, n.* 10 ; Pirhing, *n.* 42 ; Reiff., *n.* 12.
(2) S. Alph., *VII, n.* 46, plures alios citans ; D'Annibale, *I*, § 312, *not.* 65.

dem ». Utrum et quatenus metus gravis excuset irregularem a prohibitionibus quas irregularitas secumfert, vide *n. 168, 171, 173.*

D. *Quomodo cesset irregularitas.*

209. Quamquam irregularitas sit de se perpetua (*n. 169*), tamen id non impedit quominus cessare possit per revocationem legitimi superioris, sicut quaelibet alia lex; imo ordinationis impedimentum quod cessare numquam potest, non est proprie dicta irregularitas, utpote a jure canonico non procedens. Haec autem revocatio legitimi superioris erit vel *abrogatio* legis irregularitatis, si e. g. lex quae statuit irregularitatem ex rebaptismate, supprimeretur; vel *derogatio*, si e. g. e medio tolleretur aliquis casus bigamiae inducentis irregularitatem; vel tandem *dispensatio*. De his igitur modis quibus quaelibet irregularitas cessare potest, nunc fusius agendum est; infra vero agentes de singulis irregularitatibus notabimus speciales modos quibus nonnullae cessant. Quando auctores affirmant irregularitatem ex delicto cessare per baptismum, improprie loquuntur, quia ante baptismum nulla est irregularitas (*n. 185*). Item quando aiunt irregularitatem cessare per cessationem causae, e. g. per adventum legitimae aetatis, acquisitionem scientiae requisitae, recuperatam sanitatem etc., sumunt irregularitatem in sensu lato (*n. 156*). Unus est casus quo irregularitas proprie dicta cessat per cessationem causae, nempe si vitium corporis naturaliter perpetuum inducens irregularitatem, per miraculum sanatum fuerit; sed in hac re ulterius insistendum non est. Nominatim irregularitas ex delicto non deletur poenitentia, emendatione, absolutione patrati criminis, quia non est poena proprie dicta.

210. In primis « omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur », *reg. 1 juris*. Proinde cum irregularitatum leges sint ex jure communi, solus R. P. potest eas abrogare vel eis derogare. Si R. P. id faceret, eo ipso auferretur non solum irregularitas postea contrahenda, sed etiam antea contracta sive ex defectu, sive

ex delicto, quia haec non est vera poena (1). « Secus vero esset, si non immediate abrogaretur lex irregularitatis, sed alia lex ferens censuram per cujus violationem irregularitas contracta est ; nam per talem abrogationem non auferretur irregularitas, quia lex virtute cujus incurritur, semper integra manet, imo per absolutionem a tali censura non auferetur irregularitas, quia sunt impedimenta diversa ». Suarez, *l. c.*

211. Quaeritur num consuetudo possit abrogare legem irregularitatis, vel eidem derogare. Quoad consuetudinem *universalem*, non videmus argumentum pro responsione negativa. Caeterum quaestio practica non est, quia R. P. hanc consuetudinem contra legem irregularitatis ante ipsum praescriptionis tempus certe cognosceret ; et expresse vel reprobaret, et tunc consuetudo viribus careret, firma manente lege irregularitatis ; vel probaret, et tunc consuetudo valeret et lex irregularitatis corrueret ; etiam si taceret, consentire in consuetudinem videretur ex *reg.* 43 *juris*, *in* 6° (2). Quoad consuetudinem *particularem* nos putamus responsionem negativam veram esse, quia diversitas disciplinae in hac materia non levia incommoda importaret, et ideo potestatem statuendi irregularitates diximus reservatam fuisse Sedi Apostolicae (*n. 159*) ; unde consuetudo particularis esset irrationabilis. Confirmatur ex responsionibus S. C. S. Officii diei 25 *Julii* 1866, et dici 11 *Julii* 1884 quas infra agentes de irregularitate ex haeresi referimus (3).

212. Fusius circa dispensationem irregularitatis insistendum est. Legitimus superior qui hanc dispensationem concedit jure proprio est unus R. P., cum agatur de lege generali. Dispensatio ab eodem concessa sine justa causa foret illicita quidem, sed valida : justa autem causa est necessitas aut utilitas ecclesiae cum nullo scandalo in populo, praeclara probitas et scientia promovendi, ejus paupertas

(1) Suarez, *l. c.*, *sect. I*, *n.* 7.

(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 306.

(3) Contrarium censet Reiff., *V*, *VII*, *n.* 280 ; Schmalz., *n.* 120, citans plures alios.

aut bona fides, si agitur de ordinibus jam receptis, jus ad beneficium, etc. In casibus publicis dispensatio datur vel per Breve a Secretaria Brevium, vel per rescriptum a Secretaria Memorialium aut SS. CC. quas enumeravimus *n. 70*, aut a S. C. R., aut a S. C. S. Officii si haeresis aliquo modo intervenit, et olim pariter a S. Dataria et etiam hodie quoad beneficii collationem ; in casibus occultis datur per organum S. Poenitentiariae. Benedictus XIV in const. *Pastor bonus*, 13 *Apr.* 1744, qua facultates S. Poenitentiariae determinat, ita quoad rem nostram statuit in § *15* : « Super quacumque irregularitate et inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, et ex quocumque defectu proveniente, possit idem Major Poenitentiarius, in casibus tamen occultis et in foro conscientiae tantum, et praevia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Poenitentiariae agenda, dispensare vel dispensari mandare, tam cum laicis quam cum ecclesiasticis saecularibus et regularibus, cum quibus expediens videbitur ad hoc ut ordinibus initiari vel respective in susceptis etiam in sacris et presbyteratus ordinibus ministrare, et ad superiores ascendere, ac dignitates etiam cathedrales et metropolitanas et quaecumque beneficia ecclesiastica quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas vel obtenta retinere, nec non ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant ». Quinam vero casus dicatur et sit *occultus* aut *omnino occultus* et quinam *publicus*, vide in nostro *Tractatu canonico de matrimonio n. 252.*

213. Instantia pro casibus publicis scribatur lingua Latina vel Italica vel ad summum Gallica ; pro casibus occultis scribi potest quacumque lingua (1). In eadem exprimatur irregularitas cujus petitur dispensatio ; insuper ad quem effectum postuletur dispensatio, e. g. pro recipienda prima tonsura, ordinibus minoribus etc., pro exercendo ordine re-

(1) Vide cit. nostrum *Tractatum*, *n.* 352.

cepto, pro obtinendo beneficio, quia eadem irregularitas dispensari potest pro uno vel aliquibus gradibus tantum, et in eodem gradu pro aliquibus tantum effectibus.

Pariter si orator pluribus irregularitatibus detinetur (*n. 197*), debet omnes in instantia indicare. Hinc si orator posuit actus qui continent irregularitatum causas diversas, e. g. si unum hominem occidit, alium rebaptizavit etc., debet id in instantia exprimere (1). Item si actum qui continet causam ejusdem irregularitatis ex delicto, pluries posuit in diverso subjecto, e. g. si plures homines rebaptizavit (2). E contrario si pluries posuit actum qui continet causam ejusdem irregularitatis ex defectu, e. g. si judex plures reos morte damnavit, sufficit, ni fallimur, in genere indicare in exercitio magistraturae se pluries ad mortem reorum concurrisse, aut etiam simpliciter se ad mortem reorum concurrisse. Item si actum qui continet causam ejusdem irregularitatis ex delicto pluries posuit in eodem subjecto, e. g. si pluries sacerdos suspensus Missam celebravit, sufficiet dicere sacerdotem pluries celebravisse, vel etiam celebravisse censura illigatum (3).

Quid vero si orator in instantia non expressit seu errore seu mala fide omnes irregularitates exprimendas? Certe una irregularitas, sicuti etiam censura, dispensari potest, reliquis remanentibus. Jam vero si dispensatio in rescripto sit nominatim pro irregularitate expressa, e. g. *dispenso te ab irregularitate quam contraxisti ex rebaptismate Titii*, dispensatio valet quidem pro irregularitate expressa, quia expressio omnium nullibi exigitur sub poena nullitatis (4); sed non valet pro non expressis, quia pro istis non constat de voluntate dispensantis. Si vero dispensatio in rescripto sit generalis pro omnibus irregularitatibus quas orator contraxit, e. g. *dispenso te* AB OMNI VINCULO *irregu-*

(1) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 122; Sanchez, *De matr., VIII, XXIV, n.* 7; Navarrus, *cap. XXVII, n.* 32; D'Annibale, *I,* § 405; Icard, *n.* 802.
(2) D'Annibale, *l. c., not.* 16, contra Schmalz., *l. c.*
(3) D'Annibale, *l. c.*; Schmalz., *l. c.*; S. Alph., *VII, n.* 353; Sanchez, *l. c.*; Salm., *X, VII, n.* 61.
(4) Suarez, *l. c., disp. XLI, sect. III, n.* 2; Icard, *n.* 831.

laritatis quo detineris, dispensatio valet etiam pro non expressis ex oblivione (1), non autem ex dolo, nisi dispensans id aperte in rescripto dixerit. Fortasse excipienda est irregularitas ex homicidio voluntario etiam occulto, aut ex delicto ad forum contentiosum deducto ; nam cum eae duae irregularitates difficilius dispensentur, ut patet ex Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.* (*n. 217*), non praesumitur R. P. voluisse eas dispensare, nisi expressae fuerint.

Tandem expedit ut instantia pro dispensatione habeat commendationem episcopi proprii qui ordines conferre debet.

214. Breve vel rescriptum dispensationis in casibus publicis dirigitur ad episcopum vel ad Ordinarium ; et quinam veniant nomine *Ordinarii*, vide in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 365*. Hoc rescriptum esse solet in forma mixta vel commissaria, sed aliquando est etiam in forma gratiosa. Poenitentiaria vero rem demandat communiter confessario ab oratore ex approbatis eligendo, qui dispensationem applicat in foro conscientiae. Porro executor debet omnes clausulas quae sunt in rescripto sedulo observare ; illas quidem quae continent *conditiones*, sub peccato et dispensationis nullitate, illas vero quae *monitionem praeceptivam* continent, sub peccato tantum. Insuper ipsa dispensatio, cum sit odiosa, est strictae interpretationis, sed ita semper intelligi debet ut non sit absurda ac inutilis. In genere dispensatio absolute et sine addito concessa est totalis juxta potestatem dispensantis. Dispensatus *ad ordines minores*, non poterit sacris initiari, imo dispensatus *ad ordines*, si minores nondum habet, nequit promoveri ad majores, bene vero si minores habet ; dispensatus *ad subdiaconatum* non poterit ulterius ascendere ; dispensatus *ad usum susceptorum ordinum* nequit novum ordinem suscipere ; dispensatus ad *beneficium obtinendum* nequit ordinem recipere cujus actum a beneficio non requiritur, sicuti nec praelaturam ; dispensatus *ad ordinem* nequit beneficium obtinere actum illius ordinis non requirens, praesertim beneficium quod praelationem vel jurisdictionem habet.

(1) Suarez, *l. c.* ; D'Annibale, *I*, § 353 ; S. Alph., *VI*, *n.* 598 ; *VII*, *n.* 131.

E contrario dispensatus *ad beneficium* potest ordinem recipere et exercere cujus actum beneficium requirit ; dispensatus *ad ordinem recipiendum* potest eumdem ordinem exercere, obtinere beneficium quod requirit actum illius ordinis, et recipere etiam ordinem inferiorem qui in illo continetur ; sicuti dispensatus *ad usum ordinis superioris* potest et inferiores ordines exercere (1). Tandem dispensatio concessa pro foro interno non valet pro foro externo. Quod si episcopus postea inquireret in clericum ob irregularitatem cujus rumor ad ipsum pervenerit, executor posset episcopum secreto monere de dispensatione obtenta pro foro conscientiae, et episcopus posset et deberet acquiescere, nisi ex circumstantiis grave sit dubium de veracitate executoris (2).

215. Pro executione seu fulminatione obtentae dispensationis aptari poterunt, mutatis mutandis, quae diximus in cit. nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 392 sequ.* Non dubitamus hanc executionem fieri posse tum licite tum valide etiam viva voce tantum, quia nullibi scriptura pro his dispensationibus praescripta legitur ; imo fieri posse etiam tacite per actum qui tacitam dispensationem secumfert (*n. 234*), dummodo deinde pro foro externo ejusdem mentio in actis fiat.

216. Praeter R. P. nemo alius dispensare potest in irregularitate, utpote jure communi lata, nisi hanc potestatem vel ordinariam vel delegatam obtinuerit. Nec sufficit data potestas absolvendi a censuris vel a casibus reservatis, cum irregularitas non sit neque censura neque casus reservatus (3). Videamus quinam hanc potestatem habeant tum ordinariam ex expressa vel tacita supremi legislatoris voluntate, tum delegatam.

(1) Suarez, *l. c. disp. XLI, sect. III, n.* 3, qui haec fere omnia tradit ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 125 *sequ.* ; Card. Petra. *l. c., pag.* 320, cum pluribus aliis.

(2) Ben. XIV, *Inst. Ecc. XXXVII*, n. 51, ubi agit de matrimonio, sed theoria eadem est.

(3) D'Annibale, *I*, § 406, *not.* 20 ; Suarez, *l. c., Disp. XLI, sect. I, n.* 1 ; Salm., *X, VII, n.* 65 *sequ.*; Ben. XIV, in const. *In suprema, n.* 6, 20 *Nov.* 1744.

217. *Ordinariam* dispensandi potestatem ex *expressa* voluntate supremi legislatoris habent sequentes :

1° *Episcopus.* Potestatem episcopi dispensandi in specie in nonnullis irregularitatibus infra exponemus ; interim dicimus ipsum posse dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto ad normam decreti Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, ibi : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum ». Quisque videt in hoc decreto duplicem esse partem : prima, *liceat..... dispensare*, respicit dispensationem in irregularitatibus et suspensionibus : altera, *et in quibuscumque... permissum*, absolutionem in foro conscientiae casuum reservatorum. Hoc decretum non viget, si alicubi Conc. Trid. quoad partem disciplinarem receptum non est, quia aequum non est commoda ex Conc. Trid. obtinere eos qui ejus onera non subeunt (1).

218. Hoc Tridentinum decretum breviter declarantes, animadvertimus in primis potestatem dispensandi fieri in eodem *episcopis*. S. C. C. apud Suarez, *l. c.*, *disp. XLI, sect. II, n.* 7, et Fagnan., in *comm. cap.* 15, *De temporibus ordinationum, n.* 26, declaravit nomine episcoporum hic venire episcopos privative seu exclusive quoad omnes alios. Proinde hanc potestatem ex decreto Tridentino non habent praelati inferiores ; nec superiores regulares (qui tamen eam deinde obtinuerunt ex speciali privilegio, *n. 228*) ; nec archiepiscopus quoad subditos suffraganeorum ; nec Cardinalis in proprio titulo, prouti expresse etiam edixit Gregorius XIII

(1) Ben. XIV, *De syn., IX, V, n.* 2 ; Matheuccius, in *Officiali curiae eccl., cap. XXXV, n.* 43, qui refert ita decisum fuisse a S. C. C.

apud Fagn., *l. c.*, *n.* 27. Episcopus autem hanc potestatem, sicuti quamlibet potestatem jurisdictionis, obtinet vix ac confirmatus in consistorio litteras apostolicas capitulo ostendit, etiam ante consecrationem. Vicarius generalis hanc potestatem habet tantum ex mandato speciali (1). Dubitatur num haec potestas transeat, sede vacante, ad capitulum, et deinde ad vicarium capitularem. Haec quaestio non est particularis casui nostro. Nam dum omnes admittunt non transire potestatem delegatam personae episcopi, et transire potestatem ordinariam non exceptam in jure, est quaestio num transeat potestas delegata in perpetuum ipsi sedi episcopali, prouti ea de qua in citato decreto Tridentino. Alii negant, quia potestas est delegata; affirmant alii, quia potestas est ordinaria, quae sententia communior et verior est et ex principio reflexo pratice certa (2). Proinde, sicuti episcopus, ita et capitulum et vicarius capitularis poterit hanc dispensationem concedere in irregularitatibus et suspensionibus, ac absolutionem dare in casibus reservatis juxta citatum decretum Tridentinum.

219. Sed quinam episcopus hanc potestatem habet? Quamquam verba *sibi subditos* legantur in altera tantum decreti parte, tamen ipsa rei natura exigit aliquam subjectionem etiam pro potestate dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus; quaestio igitur est quaenam subjectio requiratur et sufficiat nominatim pro potestate dispensandi in irregularitatibus, de qua nos agimus. Jam vero si agitur de ordinibus suscipiendis, putamus posse tantum dispensare episcopum ad cujus dioecesim candidatus pertinet, seu in qua est incardinatus (*n. 80*); proinde numquam episcopus merae familiaritatis (*n. 245*) (3). Si agitur de ordinibus susceptis exercendis, aut de suspensionibus, dispensare potest episcopus dioecesis in qua clerici domicilium habent (4), etsi

(1) Schmalz., *V, XXXVII,* n. 120; Sanchez, *De matr., II, XL, n.* 12.

(2) S. Alph. *VI, n.* 593, § *Eamdem*; Pirhing, *I, XXXIII, n.* 45; Reiff., *V, XXXVII, n.* 96; Schmalz., *n.* 121; Garcias, *V, VII, n.* 41; Barbosa, *op. cit., alleg. XXXIX, n.* 16; Icard, *Prael. juris can. I, n.* 206; contra Suarez, *l. c., n.* 13, aliosque.

(3) Contrarium sentiunt D'Annibale, *I,* § 406. *not.* 19; Icard, *n.* 829.

(4) Thesaurus, *De poenis, p. I, cap. XXIII,* § *Dico VI*; Barbosa, *De*

ad aliam dioecesim pertineant ; e. g. plures sacerdotes ad aliam dioecesim pertinentes Parisiis ex licentia sui respective Episcopi indefinite commorantur. Ex declaratione S. C. C. apud Garcias, *De beneficiis, p. XI, cap. X, n.* 239, aliosque, non sufficit subjectio quae oritur ex quasi-domicilio in dioecesi ; nam S. C. decrevit episcopum dioecesis in qua quis habet quasi-domicilium, e. g. gerit officium praetoris, medici, judicis etc., etsi possideat domum et commoretur in civitate vel dioecesi et in eis sacramenta ecclesiastica percipiat, posse quidem absolvere a casibus reservatis juxta alteram decreti partem, sed non posse dispensare in irregularitatibus et suspensionibus.

220. Porro episcopis in citato Tridentino decreto tribuitur potestas dispensandi tantum in irregularitatibus et suspensionibus *ex delicto occulto*.

221. Ex *delicto* : num proprio tantum, an etiam alieno, prouti est e. g. irregularitas ex natalium illegitimitate ? Nonnulli quidem putant illud ex *delicto* in decreto Tridentino comprehendere non solum delictum proprium, sed etiam delictum alienum, cum Tridentinum non distinguat ; ac proinde episcopum ex hoc decreto posse dispensare etiam in irregularitate quae ex delicto alieno procedit, dummodo occulta sit (1). At longe verius et communius est illud ex *delicto* in decreto Tridentino indicare delictum proprium, non alienum, et ideo episcopum vi hujus decreti non posse dispensare in irregularitate utcumque occulta, quae ex delicto alieno originem habet (2). Non putamus primam sententiam gaudere aliqua probabilitate, cum nimis clarum sit irregularitates et suspensiones ex delicto esse ex delicto proprio tantum. At episcopus facultate a Conc. Trid. concessa

officio et pot. ep., Alleg. XXXIX, n. 6 ; Boenninghausen, *p. I, pag.* 47 ; Suarez, *l. c., n.* 12 ; Schmalz., *V, XXXVII, n.* 117 ; Sanchez, *De matr., II, XI, n.* 9.

(1) Diana, *p. I, tract. XV, n.* 21, aliique plures apud S. Alph., *VII, n.* 430 ; Reiff., *I, XVII, n.* 23 *sequ.* ; Engel, *n.* 9 ; et hanc sententiam habent probabilem Salm., *X, IX, n.* 53 ; Layman, *V, V, V, n.* 2.

(2) S. Alph., *l. c.*, qui hanc sententiam dicit veriorem ; Salm., *l. c.* ; Giraldi, *I, sect.* 128 ; De Angelis, *I, XVII, n.* 4 ; Suarez, *disp. L, sect. V, n.* 5, qui contrariam sententiam appellat *sine dubio improbabilem*.

gaudet quoque quoties dubium est utrum irregularitas sit ex delicto, an ex defectu (1).

222. *Occulto* : quandonam delictum dicatur et sit publicum natura sua vel ratione notitiae aliorum, et quandonam occultum vide in cit. nostro *Tractatu, n. 252* (2). Proinde episcopus dispensare poterit, si delictum irregularitatem producens natura sua publicum dici non potest, et notum nunc est in oppido sex personis, in civitate octo, aut ad summum decem in civitate valde populosa. Fagnanus, *l. c., n.* 127 *sequ.*, refert : « Cum dubitatum fuerit an absolutus et dispensatus a proprio episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, esset tutus in conscientia ; respondit (S. C. C.) non esse tutum, quia Concilium utitur termino *occulto*, quod proprie loquendo est illud, quod probari non potest ; at per duos testes probari potest, et verba Concilii debent accipi secundum proprietatem ». At, ni fallimur, doctrina exposita deinde tractu temporis tuta evasit ; cum a gravissimis auctoribus, inter quos primus est Benedictus XIV, tradatur, et quod magis est, S. Poenitentiaria ipsam sequatur, et tandem firmetur ratione ; nam dispensandi potestas datur pro occultis tantum ad evitandum scandalum, atqui hoc scandalum non adest si delictum notum sit tam paucis personis. In praxi hodierna S. Poenitentiariae occultum quod probari non potest, in sensu juris dicitur *omnino occultum*. Quod si illae sex vel octo personae tales sint ut proximum divulgationis periculum adsit, vel delictum notum sit pluribus personis, jam habetur uti publicum, et ideo episcopus in irregularitate aut suspensione dispensare nequit, etsi nemo sciat ex illo delicto irregularitatem vel suspensionem contrahi. Necesse tamen est ut factum dignoscatur etiam sub ratione delicti ; hinc e. g. si occulte excommunicatus publice celebravit, licet episcopo dispensare, quia licet actus celebrationis sit publicus, non tamen publica est illius malitia ; et ita declaravisse S. Poenitentiariam refert Navarrus.

(1) D'Annibale, *I*, § 406.

(2) D'Annibale, *I*, § 316, coll. cum § 242 ; Fagn., in comm. *cap. 4, n.* 106 *sequ., De cohab. cler. et mul.*

cap. XXVII, n. 255, et S. C. C. in responsione mox afferenda. At si e contrario publice excommunicatus occulte celebravit, non licet episcopo dispensare. Nam cum quaesitum fuisset : « An vigore *cap. VI, sess. XXIV, de ref.*, possit episcopus absolvere ab irregularitate proveniente a delicto quod licet publicum sit in se, tamen tamquam causa irregularitatis occultum censeri potest, quia licet actus publicus sit delictum, publice tamen nescitur esse delictum ; die 9 *Sept.* 1582, S. C. censuit, quando delictum ex quo provenit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit, episcopum dispensare non posse, veluti si publice excommunicatus vel notorie simoniacus occulte Missam celebraverit ; quod si delictum occultum est, ut puta excommunicatio vel fornicatio, actus vero Missam celebrandi ex quo irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus episcopum ab omni irregularitate absolvere ex *dict. cap. VI* » (1). Alia plura vide in cit. nostro *Tractatu, l. c.*

223. Conc. Trid., *l. c.*, excipit expresse irregularitatem ac suspensionem ex *homicidio voluntario*, cohaerenter ad decretum quod tulerat in *sess. XIV, cap. VII, de ref.*, vel ex alio delicto *deducto ad forum contentiosum*, etsi tum homicidium tum hoc delictum sint occulta in sensu explicato.

224. *Ex homicidio voluntario* : quandonam vero homicidium dicatur et sit voluntarium per oppositionem homicidii involuntarii sive necessarii sive casualis, exponimus infra agentes de irregularitate ex homicidio. Cum vero mutilatio non sit homicidium, sequitur episcopum posse dispensare in casu mutilationis occultae, prout declaravit etiam S. C. C. apud Suarez, *disp. XLIV, sect. II, n.* 4. S. Alph., *VII, n.* 392, merito rejicit opinionem illorum qui censent episcopum posse dispensare ab irregularitate ex homicidio voluntario adeo occulto, ut nullo modo possit probari in judicio ; nam haec opinio contraria est decreto Tridentino. Unus est casus in quo episcopus non in vim decreti Tridentini, sed potestate ordinaria tacite concessa (*n. 231*) dispen-

(1) Apud Fagn., *l. c., in fine.*

sare potest, nempe « si vergeret periculum animae, aut alia gravissima causa urgeret et non pateret aditus ad Papam » (S. Alph., *VII*, *n.* 391, cum aliis) nec irregularis in his rerum adjunctis se posuerit ex fraude ad obtinendam ab episcopo dispensationem; sed hic casus vix practicus est.

225. Ex alio delicto *deducto ad forum contentiosum.* Inquirunt doctores quandonam delictum *in foro contentioso* versari dicatur. Omissis variis sententiis, nos putamus forum contentiosum heic esse tribunal justitiae criminalis sive ecclesiasticae sive laicalis; et tunc delictum esse deductum ad forum contentiosum, quando est deductum ad hoc tribunal justitiae, seu, ut vulgo dicimus, quando *la justice est saisie*; quod fit, ni fallimur per denuntiationem seu accusationem coram legitimo judice factam (1). Hodie in judiciis criminalibus laicalibus ita procedi solet. Si agitur de *crimine* proprie dicto, notitia criminis commissi defertur vel ex officio vel a parte laesa *au Procureur de* 1re *instance*; hic requirit inquisitionem *du Juge d'instruction*; hic reum remittit *à la Chambre de mise en accusation*; quae tandem ipsum defert *à la Cour d'assises*. Jam vero, salva meliori sententia, putamus tum demum delictum ad forum contentiosum esse deductum, quando *le Procureur de* 1re *instance* requirit inquisitionem a judice instructionis, quia hoc ipso delictum ad ejus tribunal deducit, quod est primum tribunal criminale. Si agitur de simplici *delicto*, hoc defertur *au tribunal correctionnel* per citationem partis laesae aut *publici ministerii*; qua putamus delictum esse deductum ad forum contentiosum. Quod si deinde delinquens ex sententia judicis, etsi forte mediis illicitis extorta, fuit declaratus innocens, aut fuit absolutus ex hactenus deductis, res incidit in eum statum in quo erat antea, et episcopus rursus poterit dispensare, dummodo delictum maneat occultum in sensu explicato; non vero si delinquens libertatem obtinuit, interposita promissione et cautione *de repraesentando*, uti expresse censuit S. C. C. apud Garcias, *op. cit.*, *p. VII*, *cap.*, *XI*, *n.* 47. At potestas dispensandi episcopo non

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 6.

reviviscit, purgata poena a delinquente, cum delictum ex sententia condemnatoria factum sit publicum natura sua (1), nisi forte tractu temporis rursus evaserit occultum (2). Forum autem contentiosum in casu intelligimus forum competens sive civile sive ecclesiasticum, non vero forum incompetens. Hinc Fagnanus, *l. c.*, *n.* 138 *sequ.*, haec habet: «Certum est delictum adhuc manere occultum, si clericus fuerit condemnatus a judice saeculari, licet ex hujusmodi sententia suborta fuerit contra eum fama perpetrati delicti, ex his quae leguntur et notantur in *cap. At si clerici, De judiciis*. Et alias censuit eadem S. C. ; nam presbyter Sarsinatensis in contumaciam a judice laico condemnatus uti particeps cujusdam homicidii, cujus vere ipse innocens erat, obtinuit a S. C. C. declarationem ex hac sententia nullam se infamiae notam aut irregularitatem contraxisse. Sed quoniam Ordinarius sub praetextu quod in sua dioecesi esset publica vox et fama ipsum fuisse complicem dicti delicti, illum non admisit ad celebrandum, petiit declarari se non esse irregularem etiam ex praetensa fama, quae si modo extat, certe duxit originem vel a dicta sententia vel a fratribus eorum qui ob dictum homicidium fuere ad triremes transmissi. Die 25 *Maii* 1613, S. C. censuit oratorem nullam hac de causa irregularitatem contraxisse, ideoque significandum episcopo, ut illum, nisi aliud obstiterit, ad ministrandum admittat in susceptis ordinibus ».

226. Episcopus potest ex Tridentino decreto non solum dispensationem per se concedere, sed etiam potestatem dispensandi aliis committere sive in casibus particularibus sive modo generali, cum sua potestas sit ordinaria, et limitationes in decreto Tridentino : *per seipsos aut per vicarium ad id specialiter deputandum, eis tantum, non eorum vicariis*, respiciant alias ejusdem decreti partes. Hinc si ipsemet episcopus evasit irregularis, potest alium e. g. confessarium deputare qui erga seipsum dispenset (3).

(1) Schmalz., *l. c.*, *n.* 265 ; Reiff., *n.* 235 ; Barbosa, *l. c.*, *n.* 35 ; Fagnanus, *l. c.*, *n.* 140, contra Sanchez.

(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *l. c.*

(3) Suarez, *l. c.*, *n.* 9 ; Garcias, *l. c.*, referens responsionem S. C. C. ; Icard, *n.* 829.

227. Praeterea hanc dispensationem dare potest etiam extra sacramentalem confessionem, etiam absenti e dioecesi (1), licet et ipse episcopus absens sit; nam illa verba: *in dioecesi sua... in foro conscientiae*, afficiunt alteram decreti partem. Hinc haec dispensatio prodest etiam pro foro externo (2); et immerito nonnulli ipsam ad solum forum internum restringunt (3).

228. 2° *Superiores regulares* ordinum religiosorum cum votis solemnibus dispensant suos subditos in omnibus casibus in quibus episcopus ex relato Tridentino decreto potest dispensare suos. Nam S. Pius V, nolens esse deterioris conditionis subditos praelatorum regularium quam subditos episcoporum, per constitutionem diei 21 *Julii* 1571 praelatis ordinis S. Dominici (ideoque ob communicationem privilegiorum praelatis aliorum ordinum), id ipsum concessit respectu eisdem subditorum, quod Conc. Trid., *l. c.*, concesserat episcopis relate ad ipsorum subditos. Proinde de hoc superiorum regularium privilegio ea repetenda sunt, quae de episcoporum potestate superius diximus. Imo superiores regulares possunt quoque dispensare in irregularitate ex bigamia et ex homicidio in nonnullis casibus, de qua re melius infra; et praeterea nonnulli ordines religiosi habent majores quoque facultates.

229. 3° Etiam *confessarii regulares* possunt dispensare poenitentes in omnibus irregularitatibus, in quibus episcopi possunt dispensare suos subditos, ex privilegio Minimis concesso a Sixto IV, confirmato a Julio II, et per communicationem privilegiorum ad confessarios regulares aliorum ordinum extenso (4). Alii autem confessarii in irregularitatibus nihil possunt, ne in jubilaeo quidem, nisi potestas dispensandi data si nominatim (5).

230. *Ordinariam* dispensandi potestatem ex voluntate *tacita* supremi legislatoris habent sequentes.

(1) S. C. C. apud Suarez et Garcias. *ll. cc.*, et Pignatelli, *tom. I, Cons. Can. XX, n.* 9.
(2) Schmalz., *V, XXXVII, n.* 119, cum Sanchez et Palao.
(3) Boenninghausen, *I, pag.* 49.
(4) S. Alph., *VII, n.* 355; Salm., *X, VIII, n.* 72.
(5) D'Annibale, *I*, § 407; Suarez, *l. c., disp. XLI, sect. 1, n.* 1.

1° Episcopus (*n. 218*), et sede vacante capitulum ac deinde vicarius capitularis, non autem vicarius generalis, nisi forte episcopus absit et facile adiri nequeat, possunt dispensare ad cautelam in irregularitate dubia, sive dubio juris, sive dubio facti (1). Data hac dispensatione, si deinde appareret irregularitatem in jure adesse, vel defectum aut delictum irregularitatem inducens reapse existere, alia dispensatione opus non erit nec pro aliis ordinibus recipiendis, nec pro receptis exercendis; bene vero si dispensatio data non fuit (*n. 162*).

231. 2° Episcopus aliique ut supra possunt dispensare etiam in irregularitate ex defectu occulto aut ex homicidio voluntario occulto (*n. 224*), si ex una parte irregularis, cessante fraude, ab ordinum susceptione vel exercitio hic et nunc abstinere nequit sine magno scandalo et incommodo, et ex alia R. P. facile adiri non potest (2). Sed num deinde adest onus recurrendi ad Sanctam Sedem? Respondet D'Annibale, *l. c.*: « Ad ordines suscipiendos (episcopus dispensat in casu) sic et simpliciter; ad exercendos, ut reor, sub ea conditione ut is qui irregularitate laborat, recurrat quamprimum ad Sedem Apostolicam ». Quod si irregularis neque ab episcopo dispensationem petere potest, et simul nequit sine magno scandalo et incommodo recedere ab ordinatione aut abstinere ab ordinum exercitio, vide *n. 168*.

232. 3° Tandem, si quis ordines bona fide suscepit irregularitate detentus, utrum episcopus possit dispensare necne, doctores inter se non conveniunt (3): ideoque ex principio reflexo putamus posse, quia in dubio Ecclesia supplet.

233. *Delegatam* potestatem dispensandi habent illi qui *indultum* a Sede Apostolica obtinuerunt. Quinam hoc in-

(1) Ferraris, *Bibliotheca etc., v. Dispensatio, n.* 29; Reiff., *I, II, n.* 474; S. Alph., *VII, n.* 400, cum Fagn., in *comm. cap. Veniens, n.* 7, *De filiis presbyterorum*. Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 407.

(2) S. Alph., *VII, n.* 391; Salm., *X, VIII, n.* 6; D'Annibale, *I,* § 406; Sayrus, *VI, II, n.* 11; Diana, *Resol.* 110. Vide citatum nostrum *Tractatum*, n. 409.

(3) Negat S. Alph., *VII, n.* 431; Suarez, *op. cit., Disp. L, sect. V, n.* 4; Salm., *X, IX, n.* 54. Affirmant Navarrus, Layman, Henriquez aliique apud Salm., *l. c.*

dultum habeant et quibus limitibus circumscriptum habeant, est res facti et non juris. In cit. nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *vol. II*, *pag.* 476, referimus indultum episcopis Galliarum concessum ad quinquennium a S. C. de Prop. Fide, ubi sub *n.* 8 legitur : « Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea quae ex homicidio voluntario contrahitur ». Unde hoc indultum comprehendit etiam irregularitatem ex delicto occulto licet deducto ad forum contentiosum. Vicariis Apostolicis amplior facultas dari solet ad quindennium sub *n.* 2 : « Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae vel ex bigamia vera vel ex homicidio voluntario proveniunt, et in his etiam duobus casibus, si praecisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur (1) ». Tum episcopus tum Vicarius Apostolicus facultatibus uti debet in proprios subditos, juxta ea quae supra diximus *n. 219*, ac intra fines suae dioecesis seu vicariatus, licet possit eas et aliis idoneis sacerdotibus in sua dioecesi ministerium sacrum exercentibus committere. Indultum dispensandi in irregularitate simpliciter, prout dari solet, comprehendit tum susceptionem ordinum, tum exercitium ordinum susceptorum, tum assecutionem beneficii. Caeterum huic indulto applicanda sunt quae fuse exposuimus in cit. nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n.* 413 *sequ.*, de simili indulto dispensandi in impedimentis matrimonialibus, salvis observationibus factis et faciendis in contrarium.

234. Ii omnes igitur potestatem dispensandi in irregularitatibus a supremo legislatore receptam habent, sive ordinariam ex expresso vel tacito illius consensu, sive delegatam. Sua potestate uti debent ex justa causa; secus dispensatio foret non solum illicita sed etiam invalida : et quoad justitiam causae delegatus attendat praesertim ad stylum curiae (*n. 212*). Insuper sua potestate uti debent gratis et absque ulla mercede. Quod si quis pluribus irregularitatibus detinetur, vide

(1) Collect. Paris., *n.* 41.

et applica quae diximus *n. 213*. Dispensationem autem dare possunt etiam viva voce, e. g. : *Dispenso te a tali irregularitate*, aut : *Dispenso te ab omni irregularitate* ; imo et tacite, e. g. si ille qui habet potestatem dispensandi, irregularitatem dignoscens, irregularem promovet, ei confert beneficium, aut dat litteras dimissorias (1). Schmalz., *l. c.*, *n.* 127, cum Sanchez et Palao, docet episcopum qui scienter dat irregulari dimissorias non dispensare ab irregularitate, sed potius committere ordinatori potestatem dispensandi. Praeferimus doctrinam Suarez, *l. c.*, putantis episcopum in casu dispensare tacite, idque etiamsi concedens dimissorias, irregularitatem ignoraverit, sed modo illam cognoscat et tacens sinat ordinationem peragi. At dispensatio viva voce vel tacite concessa, deinde pro foro externo debet scripto tradi, e. g. adnotari in libro ordinatorum. Quoad vero extensionem seu interpretationem dispensationis vide, *n. 214*.

2° *De irregularitatibus in specie.*

A. *De irregularitatibus ex defectu.*

a) De irregularitate ex defectu natalium (2).

235. Sunt irregulares ex hoc capite omnes et soli filii naturales non legitimi, ita ut haec irregularitas sequatur illegitimitatem eique adhaereat. *Omnes* ; id patet ex *cap.* 1, *cit. tit.* : « Ut filii presbyterorum et caeteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur » ; cui accedunt *cap.* 12 *et* 14, *ejusd. tit.*, et *cap.* 1 *et* 2, *ejusd. tit.*, *in* 6°. Quamquam enim in relato canone soli filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati prohibeantur a solis ordinibus sacris, tamen haec irregularitas extendi debet ad omnes illegitimos (*n. 182*) (3) et ad ordines quoque minores, prouti patet ex *cit. cap.* 1 *et* 2, *cit. tit.*, *in* 6°, imo ad ipsam primam

(1) S. Alph., *VII*, *n.* 353 ; Suarez, *disp. XLI*, *sect. III*, *n.* 4 ; D'Annibale, *I*, § 407 ; Schmalz., *V*, *XXVII*, *n.* 124.

(2) Vide canonistas in titulo *De filiis presbyterorum ordinandis vel non*, *XVII*, *lib. I Decret.*

(3) Suarez, *l. c.*, *disp. L*, *sect. III*, *n.* 1 ; Giraldi, *I*, *sect.* 115 ; Schmalz., *I*, *XVII*, *n.* 1.

tonsuram (*n. 167*) (1). *Soli*; hanc enim irregularitatem non esse extendendam ad filios legitimos parentum illegitimorum, probat Card. Petra, in *comm. const. Greg. XI, Etsi a sacris*, *n.* 53 *sequ.* (*tom. IV, pag.* 325). Hanc irregularitatem esse ex defectu indubium est (*n. 178*).

236. Diximus hanc irregularitatem adhaerere illegitimitati. Proinde si legitimitas est certa juridice (2), irregularitas non intelligitur, etsi indicia contra legitimos natales gravia sint. Hinc in *Syracusana*, 27 *Jun.* 1857, cum S. qui ex libris parochialibus et ex statu civili apparebat ortus ex legitimo conjugio, sed tum ab utroque parente tum a publica fama dicebatur adulterinus, petiisset dispensationem ab hac irregularitate, S. C. C. reposuit *non indigere* (3). Si vero illegitimitas est dubia, e. g. illegitimitas filii expositi (4), etiam irregularitas erit dubia (5), ideoque applicanda doctrina tradita *n. 162 sequ.* Una est exceptio ex *cit. cap.* 1 *et* 14, *cit. tit.*, nempe est certe irregularis filius ex uxore habitus post susceptum ordinem sacrum, vel emissam solemnem professionem religiosam ab una vel utraque parte, servatis servandis, licet ejus illegitimitas quoad effectus civiles dubia sit (6). Card. Petra, in *comm. const. XXII Sixti IV*, *n.* 11, (*vol. V*), cum Suarez, *l. c.*, *disp. L, sect. IV*,

(1) Fagnanus, in *comm. cit. cap.* 1, *n.* 2.

(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 1069.

(3) Pignatelli, *tom. VIII, cons. CXLIV*, ad examen revocat hunc casum: Caius, constante matrimonio genitus ac natus, accepit a sua matre ipsum non esse filium legitimum et naturalem sui patris, sed spurium Pomponii adulteri ; qui credens eum esse suum filium, apud se educavit, cognomen et insignia suae familiae dedit, et in publicis ac privatis scripturis suum filium appellavit : unde fama publica tamquam spurius habitus est. Cumque admissus esset ad minores ordines, instante dicto Pomponio, episcopus cum eo dispensavit super defectu natalium, et Summus Pontifex ad sacros ordines, quos nondum suscepit. Verum re postea mature perpensa et cognita, inspectaque fide sui baptismatis, reperit esse baptizatum uti filium legitimum et naturalem suorum parentum. Ideoque petit ad sacros ordines et ad canonicatum ecclesiae cathedralis promoveri absque ulla dispensatione. Pignatelli. *l. c.*, respondet posse promoveri. Vide etiam Suarez, *l. c.*, *n.* 5.

(4) Vide cit. nostrum *Tractatum. n.* 1071, 1072, 1120, 173.

(5) Suarez, *l. c.*, *n.* 4. At expositus certe non est irregularis, si de legitima ejus origine constiterit ex utriusque parentis testimonio aliisque probationibus et conjecturis.

(6) Vide cit. nostrum *Tractatum, n.* 1070.

n. 3 ; Garcias, *De benef.*, *p. VII*, *cap. II*, *n.* 8, aliisque, putat expositos indigere dispensatione, quia ad ordines recipiendos requiritur probatio legitimitatis, et S. C. C. in *Sulmonensi*, 22 *Febr.* 1710, dispensationem ad cautelam in casu concessit, et in Urbe pro promotione expositorum dispensationes obtinentur. Sed, salva reverentia, eae rationes solidae non sunt ; quia cum quisque admittendus sit ad statum clericalem qui vocatur a Deo et non prohibetur (*n. 109*), potius illegitimitas probanda est ut quis a statu clericali arceatur. Responsio autem S. C. C. in *Sulmonensi* et praxis in Urbe conformes sunt doctrinae expositae *n. 163* de dubia irregularitate. Quod si expositus bona fide sine dispensatione promotus fuit, posse licite ordines exercere, donec illegitimitas probata non fuerit, et ipse Card. Petra admittit cum Congregatione Consultorum S. Officii, *die* 6 *Julii* 1643, quia in dubio melior est conditio possidentis (1).

237. Ceterum nil refert utrum natalium defectus sit occultus, an publicus : sed pro dispensatione irregularitatis, si illegitimitas et ideo irregularitas resultat ex libris parochialibus, habetur uti publica ex natura sua ; et ideo ad S. Poenitentiariam recurri nequit, etsi de facto defectus natalium ignoretur.

238. In veteri Ecclesiae disciplina nemo, qui aliunde dignus fuisset, ab ordinibus arcebatur ex defectu natalium, ut patet ex pluribus canonibus relatis a Gratiano sub *dist.* 56 (2). Et etiam tempore Gratiani haec disciplina vigebat : cum enim Gratianus in *cap.* 1, *cit. dist.* 56, retulisset canonem concilii Claromontani habiti sub Urbano II : « Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus » ; subdit : « Sed hoc intelligendum est de illis qui paternae incontinentiae imitatores fuerint. Verum si morum honestas eos commendabiles fecerit exemplis et auctoritatibus, non solum sacerdotes, sed etiam summi sacerdotes fieri pos-

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 4.

(2) Card. Petra, in *comm. const. VIII Greg. IX*, *Etsi a sacris*, 3 *Idus Nov.* 1347, *tom. IV*, *pag.* 316, *n.* 7 ; Ben. XIV, *De Syn.*, *XIII*, *XXIV*. *n.* 12; Thomassinus, *De vet. et nov. Ecc. disc.*, *p. II*, *lib. I*, *cap. LXXXI*, *LXXXIV* ; Boenninghausen, *III*, *pag. sequ.*

sunt ». Incertum est quo tempore haec irregularitas primum statuta fuerit. Illud videtur posse affirmari, ab initio tantum sacrilegam presbyterorum prolem exclusam fuisse, ad incontinentiam clericorum compescendam, qui filios suos, magno cum Ecclesiae scandalo et detrimento, successores habere curabant in officiis et beneficiis ecclesiasticis. Deinde cum duces, barones et comites « suos passim ex ancillis bastardos violenter intruderent in sacras dignitates, atque ita servili simul et adulterino sanguine foedarent Ecclesiam », ut ait Christianus Lupus, *tom. III, cap. XII, diss.* 1ª *prooemiali*, hinc illa disciplina ad omnes illegitimos extensa fuit (1).

239. Si autem quaeratur curnam Ecclesia hanc tulerit irregularitatem, respondemus rationem non unam fuisse. Primo, quia haec illegitimitas, licet ipsi filio plane inculpabilis, tamen in communi hominum existimatione est revera quaedam macula quae dignitatem clericalem et praesertim sacerdotalem dedecet, ac sacrum ministerium minus utile ac honorabile redderet. Ad rem S. Thomas, in 4, *dist.* 25, *q.* 2, *a.* 2 : « Ordinati in quadam dignitate prae aliis constituuntur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quaedam non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publici poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur, et tanto difficilior est dispensatio, quanto eorum origo est turpior ». Secundo, quia periculum est ne filius incontinentiam paternam imitetur, uti experientia non raro docet. Tertio, « ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo sacris, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur », ut inquit Conc. Trid., *sess. XXV, cap. XV, de ref.* Quarto tandem, ut paterna incontinentia aliquo modo puniatur, atque hac filiorum remotione a ministeriis et beneficiis ecclesiasticis parentes a peccato forte deterreantur.

240. Haec irregularitas cessat :

(1) Vide Inn. III, in *cap.* 20, *De electionibus*, juxta integram lectionem.

1° *Legitimatione*, qua defectus natalium tollitur quoad omnes juridicos effectus ita ut filius illegitimus, jure habeatur legitimus ; et ideo cum irregularitas sit juridicus effectus illegitimitatis, hac juridice sublata, etiam illa evanescat necesse est. Porro filius legitimatur vel per *subsequens matrimonium parentum*, vel *per rescriptum seu decretum legitimationis a legitimo superiore concessum* (1). Nimirum si inter parentes, tempore conceptionis vel gestationis vel nativitatis filii, matrimonium consistere poterat, nullo extante impedimento dirimente, filius legitimatur per subsequens matrimonium celebratum vel revalidatum inter parentes, ex *cap.* 1 *et* 6, *Qui filii sunt legitimi*. Conceptus juridicus hujus legitimationis hic est : nempe matrimonium quod nunc inter parentes celebratur aut revalidatur, retrotrahitur, per fictionem juris, ad tempus conceptionis vel gestationis vel nativitatis prolis, quae proinde censetur in valido matrimonio genita ac ideo legitima. Si vero parentes nullo ex illis temporibus matrimonium inter se contrahere potuissent ob impedimentum ligaminis quo uterque vel alteruter detinebatur, certe filius non legitimatur per subsequens matrimonium parentum ex *cit. cap.* 6, *Qui filii sunt legitimi* (2) ; idemque repetendum si obstabat aliud quodcumque impedimentum dirimens, quidquid nonnulli in contrarium dixerint (3). Sane illa fictiva matrimonii nunc contracti aut revalidati retrotractio in casu est impossibilis. At si parentes in casu matrimonium ineunt ex dispensatione ab impedimento dirimenti, e. g. consanguinitatis, filius legitimatur ex decreto seu rescripto legitimationis quod auctoritate R. P. apponi solet omnibus dispensationibus matrimonialibus per clausulam : *Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando* (4). Uno aliove modo legitimatus filius jam potest, ad instar filii legitimi, ad ordines promoveri, et si forte jam promotus fuit, potest ordines exercere, et beneficia ac dignitates obtinere (5). At nequit sine speciali Sedis Aposto-

(1) Vide citatum nostrum *Tractatum*, *n.* 1123 *sequ.*
(2) Ben. XIV, epist. *Redditae Nobis*, 5 *dec.* 1744.
(3) Thesaurus, *De poenis*, *p. II*, *v. incestus*, § 7.
(4) Vide citatum nostrum *Tractatum*, *n.* 371, 1129.
(5) S. Alph., *VII*, *n.* 423.

licae dispensatione promoveri ad beneficia vel dignitates pro quibus ex jure vel ex fundatione requiritur legitima nativitas ; ita nequit promoveri ad cardinalatum, ex Sixti V const. *Postquam*, 3 *dec.* 1586, nec ad episcopatum, ex *cap.* 7, *De electione* (1). Item legitimatus nequit admitti in seminarium, cum Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVIII*, *de ref.*, alumnos seminarii velit *ex legitimo matrimonio natos*; de qua re vide folium S. C. C. in *Nullius*, 16 *Julii* 1836. Rescriptum vero legitimationis a principe saeculari concessum non tolleret irregularitatem, juxta illud Nicolai Papae in *can.* 1, *dist.* 5, in Decreto : « Imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi ».

241. Heic referre juvat causam *Neocastren. et Cathacen., Dispensationis et Aggregationis,* in S. C. C. discussam *per summaria precum, die* 7 *Aug.* 1847. Antonius, ex incestuoso progenitus concubitu inter Michaelem et Angelam Neocastrensis dioecesis dum ambo erant soluti, sed consanguinei in tertio ac quarto gradu, ad ordines promoveri peroptans, duo a S. C. C. expostulabat, nimirum dispensationem ad cautelam ab irregularitate ex defectu natalium, quia propter subsecutum ex apostolica dispensatione inter ejus progenitores matrimonium se legitimationem fuisse assecutum arbitrabatur, et aggregationem clero Cathacensis dioecesis ubi a teneris annis assidue est commoratus et admissus nuper in clericorum seminario. Episcopus Neocastrensis haec omnia in sua informatione confirmans referebat parentes Antonium coram competenti auctoritate uti legitimum non agnovisse, ita ut in statu civili adhuc sit illegitimus, et illius ordinationem maximo futuram scandalo in sua dioecesi, in qua memoratus natalium defectus neminem latet, non vero in dioecesi Cathacensi. Episcopus autem Cathacensis postquam de certa et constanti oratoris vocatione ad statum ecclesiasticum ac deliberato ejus animo in illa dioecesi perpetuo manendi, nec non de praestantibus illius dotibus quoad scientiam et quoad mores fuisset testatus, preces cum ipso oratore ingeminabat pro ejus tum dispensatione tum

(1) Schmalz., *I*, *VI*, *n.* 99.

aggregatione clero Cathacensis dioecesis in qua reipsa Antonii natales penitus ignorabantur.

Jam vero extensor folii animadvertit duplicem esse sententiam circa quaestionem utrum filius incestuosus per subsequens matrimonium ex dispensatione apostolica a parentibus initum legitimetur necne, juxta ea quae *n. praec.* diximus, et negativam sententiam veriorem et tutiorem affirmat. S. C. reposuit: « Esse consulendum SSmo pro dispensatione ad cautelam et habilitatione oratoris ad ordines suscipiendos usque ad presbyteratum inclusive: quoad aggregationem vero dioecesi Cathacensi pro gratia ». Et SSmus hanc resolutionem approbavit et confirmavit.

Ita quidem si agatur de legitimatione *per subsequens matrimonium* ex dispensatione initum, de qua sola extensor folii disserebat: at si dispensationi matrimoniali addita fuit consueta clausula de legitimanda prole et haec clausula fuit executioni demandata, de legitimatione prolis *per rescriptum* dubitandum minime est.

242. 2° *Dispensatione*, qua filius remanens etiam jure illegitimus eximitur a nonnullis illegitimitatis effectibus qui in dispensatione exprimuntur (1). Haec enim dispensatio, utpote odiosa, est strictae interpretationis, ut expresse docet Bonifacius VIII in *cit. cap.* 1, *cit. tit.*, *in* 6°, juxta ea quae diximus *n. 214* (2). Et est tanto difficilior quanto origo est turpior, ut expresse docet S. Thomas verbis relatis *n. 239*. In folio *Syracusanae*, *Irregularitatis*, 27 *Junii* 1857, affirmatur filio adulterino numquam fuisse concessam dispensationem, saltem quoad Italiam: sed harum etiam dispensationum exempla non desunt concessarum oratoribus qui omnibus qualitatibus praestabant, et transierunt vel transituri erant ad dioecesim ubi notitia turpis originis non habebatur. In genere dispensatio negari debet si promotio scandalo fidelibus foret. Jam vero superiores qui hanc dispensationem concedere valent, sunt:

243. a) *Romanus Pontifex*. Quando Sedes Apostolica

(1) Card. Petra, in *comm. const. VIII Greg. IX, Etsi a sacris*, 3 *Idus Nov.* 1347, *tom. IV, pag.* 314, *n.* 2 *et* 22.

(2) Card. Petra, *l. c.*, *n.* 23 *sequ.*

concedit hanc dispensationem, in rescripto additur clausula: *Dummodo paternae incontinentiae imitator non sit.* Archiepiscopus Avenionensis an. 1653 quaesivit quid executor facere deberet ut hanc clausulam adimpleret. S. C. C. reposuit eamdem quaestionem propositam fuisse ab episcopo Sarzanensi eique redditum fuisse die 23 *Dec.* 1596 hoc responsum : « Clausulae illi : *Dummodo paternae incontinentiae imitator non sit*, in litteris dispensationis appositae, non aliter per episcopum satisfieri, quam inquirendo quod nihil bonis moribus indignum compererit : quod si integro decennio dispensandus probe vixit, debere exequi litteras dispensationis, quamvis prius incontinentiae nomine suspectus esset ; sed in hoc casu debere episcopum accuratius inquirere ad diluendam prioris vitae suspicionem (1) ». Saepius in dispensatione ad ordines additur etiam expresse limitatio : *Usque ad presbyteratum inclusive.* In supplici libello exprimi debet etiam species illegitimitatis, num scilicet orator filius naturalis sit, an adulterinus, vel incestuosus, vel sacrilegus (2) ; sed non sub poena nullitatis dispensationis.

244. b) *Episcopus*, qui ex *cit. cap.* 1, *cit. tit.*, *in* 6°, potest dispensare pro prima tonsura, ordinibus minoribus et beneficio non curato ; quam dispensationem episcopum concedere posse sive expresse sive tacite, e. g. si vitiosam originem dignoscens, tonsuram confert, probat Card. Petra, *l. c.*, *n.* 49, contra Corradum, *Praxis etc.*, *I*, *III*, *n.* 4, aliosque (*n. 234*). Proinde episcopus dispensare nequit nec pro ordinibus sacris, nec pro beneficio curato, nisi forte cura animarum accessorie eidem adnexa sit (3) ; cui aequiparantur dignitates et personatus, ex *cap. ult.*, *cit. tit.*, et nec pro canonicatibus ecclesiae cathedralis cum eisdem ex Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. VII*, *de ref.* adnexus sit ordo sacer (4). Bonifacius VIII, *l. c.*, tradens episcopum posse

(1) Ben. XIV, *De Syn.*, *XIII*, *XXIV*, *n.* 22 ; Card. Petra, *l. c.*, *n.* 38.
(2) Card. Petra, *l. c.*, *n.* 17 *sequ.* ; Corradus, *Praxis etc.*, *III*, *I*, *n.* 3 ; Boenninghausen, *III*, *pag.* 115.
(3) Passerini, *De electione*, *cap. XXV*, *n.* 199 ; Boenninghausen, *III*, *pag.* 96.
(4) S. Alph., *VII*, *n.* 429, plures alios citans ; De Angelis, *I*, *XVII*,

dispensare pro beneficio non curato, addit : « Dummodo beneficium sit tale super quo poterit ab episcopo dispensari ». Nimirum episcopus dispensare nequit super beneficio non curato quod a patre irregularis immediate possidebatur ; aut quod est in ecclesia in qua pater habet vel habuit beneficium ; aut quod ex lege fundationis, vel ex consuetudine vel ex privilegio ordinem sacrum adnexum habet, seu nonnisi legitimo conferri potest (1). Praeter hos casus episcopus dispensare potest super beneficio non curato, ideoque et super canonicatu ecclesiae collegiatae (2). Ceterum Cardinalis Urbis Vicarius illegitimos absque dispensatione apostolica ne ad primam quidem tonsuram admittere solet (3). At episcopum non posse dispensare ab hac irregularitate occulta in vim decreti Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. IV, de ref.*, vix dubium est (*n. 221*), cum haec irregularitas sit ex defectu.

Haec quidem de potestate dispensandi episcopo a jure communi concessa ; nam per indultum a Sede Apostolica obtentum majores potestates episcopum habere posse palam est. Quaesitum fuit : « An in *art. 2* (*formulae II*) virtute facultatis datae dispensandi a quibuscumque irregularitatibus, comprehendatur facultas dispensandi etiam ab irregularitate ex defectu natalium » ; et S. C. de Prop. Fide *die* 21 *Sept.* 1828 reposuit affirmative (4).

245. Quaeritur quinam episcopus hac dispensandi potestate polleat. Certum est hanc potestatem non habere episcopum familiaritatis. Ad rem Card. Petra, *l. c.*, *n.* 45 : « Neque est praetereundum quod episcopus, licet familiarem suum non subditum ordinare valeat, concurrente triennali servitio, ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IX, de ref.*, attamen secum dispensare nequit super illegitimitate, ut docent

n. 4 ; Reiff., *n.* 10. Nonnulli putant episcopum posse dispensare et in canonicatu ecclesiae cathedralis eorumque sententiam S. Alph., *l. c.*, habet probabilem. Id admittimus in casu quo ordo sacer, contra citatum decretum Tridentinum, canonicatui adnexus ab episcopo non fuit.

(1) Glossa, *l. c.*, *v. tale* ; Reiff., *l. c.*, *n.* 12, 13.

(2) Reiff., *l. c.*, *n.* 10 ; S. Alph., *l. c.*, *n.* 428.

(3) Honorante, *cap. I, not. I,* circa finem.

(4) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1176.

doctores plena manu congesti a *Barbosa, ad cit. cap. IX, n.* 16, et olim resolvit S. C. ejusdem Concilii interpres *die 5 Febr.* 1604, ibi : *Illegitimus nequit dispensari ad ordines minores ab episcopo ratione familiaritatis triennalis, lib. posit.* 55, *pag.* 853, ubi Card. Alciatus optime rationem ita assignat, quia familiaritas aufert tantum impedimentum subjectionis quoad ordinationem, non autem defectum natalium ; *Navarr., Cons. XIII, De temp. ordinat.* Neque efficitur quis subditus nisi post beneficium, nec beneficium potest conferri nisi ordinato, et ordinari non potest nisi habilis ». Igitur jus ordinandi non secumfert jus dispensandi, cum pro dispensatione requiratur vera et proprie dicta subjectio jurisdictioni ordinantis (*n. 219*). Proinde in genere dispensare potest tantum episcopus dioecesis ad quam promovendus pertinet.

246. c) *Praelati inferiores cum potestate quasi episcopali,* et, sede vacante, *capitulum* ac deinde *vicarius capitularis*, possunt dispensare in his in quibus episcopus potest. Quamquam enim haec dispensandi potestas in *cit. cap.* 1, *cit. tit.*, *in* 6°, episcopo asseratur, tamen nomine episcopi etiam praedicti intelliguntur : praeterea haec episcopi dispensandi potestas est ordinaria, et ideo in eam, sede vacante, capitulum et vicarius capitularis succedunt (1). Vicarius autem generalis nequit dispensare nisi ex mandato speciali.

247. 3° *Solemni professione religiosa* : quod aperte traditur in *cit. cap.* 1, *De filiis presbyterorum..*: « Ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes : praelationem vero nullatenus habeant ». Proinde irregularitas non cessat per susceptionem habitus religiosi aut per ingressum in religionem.

Recentiores canonistae communiter docent (2) *de jure communi* professionem tantum solemnem tollere hanc irregularitatem ; hinc non professionem simplicem in congrega-

(1) Reiff., *l. c., n.* 15 ; De Angelis, *l. c.* ; Suarez, *disp. L, sect. V, n.* 6 ; Navarrus, *Cons. VII, De filiis presbyterorum.*

(2) De Angelis, *I, XVII, n.* 4.

tionibus religiosis cum votis simplicibus, aut in ordinibus regularibus cum votis solemnibus post novitiatum, juxta hodiernam disciplinam. Diximus *de jure communi*; nam professio simplex in societate Jesu, ex Gregorii XIII const. *Ascendente Domino, edit.* 8 *Kal. Junii* 1854, hunc effectum habet. Obstare videntur citata verba : *Vel in congregatione canonica regulariter viventes,* et quae his similia leguntur in *can.* 1, *dist.* 56, in Decreto, idest filios presbyterorum arcendos a clero, nisi in *coenobiis* aut *canoniis* religiose probati fuerint conversati. Sed responderi potest has congregationes canonicas aut canonias non posse esse instituta religiosa cum votis simplicibus quae tunc temporis non aderant; sed potius esse ordines canonicorum regularium qui habebant vota solemnia. Ceterum professionem simplicem satis non esse ad auferendam hanc irregularitatem, ex eo etiam confirmatur quod tamquam speciale privilegium Societati Jesu id concessum fuerit. Praeterea id aperte tradidit S. C. EE. et RR. die 20 *Jan.* 1860. Nam cum inter alia dubia proposita circa novitios qui ante vota solemnia emiserunt professionem simplicem juxta recentem disciplinam, archiepiscopus Mexicanus proposuisset sequens : « 2° Possuntne provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium ad hoc ut his ordines conferantur? » S. C. reposuit : « Ad 2^{um}: Affirmative pro prima tonsura et ordinibus minoribus, quatenus provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate eaque revocata non fuerit ». Remota autem per professionem religiosam solemnem, haec irregularitas non reviviscit, si professus ordinem dimiserit; qui proinde per se adhuc poterit in saeculo sine dispensatione altiores ordines recipere, receptos exercere et beneficia acceptare (1). E converso illegitimus sine dispensatione ordinatus in saeculo, si deinde religionem solemniter profitetur, eo ipso potest in receptis ordinibus ministrare et alios recipere.

248. Attamen ex relato *cap.* 1, *De filiis presbyterorum,*

(1) Barbosa, in *comm. cit. cap.* 1, *De filiis presbyterorum*, *n.* 2, cum aliis pluribus.

patet, non obstante solemni professione religiosa, illegitimum excludi a praelaturis seu regularibus seu saecularibus. Haec prohibitio, quatenus respicit praelaturas praeter episcopalem consecrationem, non est irregularitas, sed simplex prohibitio. De ea agit tractatus de regularibus. Ceterum plures ordines religiosi habent privilegium dispensandi pro praelaturis.

b) De irregularitate ex vitio corporis (1).

249. Nos ob materiae connexionem heic recensemus omnia vitia corporis quae ab ordinibus arcent. Nonnulla continent veras irregularitates, alia potius impedimenta simpliciter, sive quia temporanea sunt, sive quia arcent jure divino. De mutilatione vero active considerata sermo est infra ubi de irregularitate ex homicidio vel mutilatione.

250. In veteri lege Deus a sacerdotio exclusit illos qui maculam in corpore haberent, ut legitur in *Lev.*, *XXI*, 17 *sequ.*: « *Loquere ad Aaron* : *homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculas, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus* ; *si caecus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto nasu, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus* ». Haec lex, utpote caeremonialis, morte Redemptoris cessavit : sed ex una parte nonnulli defectus corporales ipso jure divino a sacerdotio christiano removent, et ex alia Ecclesia merito constituit alios quoque defectus perpetuo arcere ab omnibus gradibus sacrae hierarchiae ordinis, seu constituit irregularitatem ex defectu corporis.

251. Sacrorum canonum dispositiones hac de re exponentes, recolimus in primis quinque saeculis, praesertim in Ecclesia Graeca, vitium quodcumque corporis, salvis prohibitionibus juris divini, non constituisse impedimentum ad sacerdotium aliosque sacrae hierarchiae gradus (2) ; sed

(1) Vide canonistas in *tit. De corpore vitiatis ordinandis vel non, XX, lib. I Decret.* ; et in *tit. De clerico aegrotante vel debilitato, VI, lib. III Decret.*

(2) Thomassinus, *p. II, lib. I, cap. LXXVIII, n.* 1 *sequ.*

potius viguisse principium : *Non corporum vitia, sed religio et vita contemplantur*, ut legitur in Constitutionibus Apostolicis, *lib. VII, cap. XXIII.* Thomassinus, *l. c.*, putat Hilarium Papam primum prohibuisse, quominus assumerentur illitterati et *carentes aliqua parte membrorum*, vel *aliqua membrorum damna perpessi*. Gelasius Papa id rursus inculcavit in epistola ad episcopos Lucaniae, cujus fragmenta referuntur nonnullis erroribus admixta in *can.* 1, *dist.* 36, et in *can.* 59, *dist.* 50, in Decreto : « Nec fas esse confidat quisque pontificum bigamos aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet poenitentium, vel sine litteris, vel *corpore vitiatos*, vel conditionarios, aut curiae publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis expectatione discussos, divinis servituros applicare mysteriis... Illitteratos quoque et *nonnulla parte corporis imminutos* sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium etc. ». Patet igitur *corpore vitiatos* declaratos fuisse irregulares, ut modo nos dicimus. Deinde alii canones accesserunt, qui referuntur in citatis titulis, et quos nos infra citabimus de singulis defectibus agentes.

252. At vero non omnes corpore vitiati comprehenduntur sub Gelasiana prohibitione : unde rubrica tituli : *De corpore vitiatis ordinandis vel non.* Re bene perpensa, dici vere potest comprehendi tantum illos qui ob defectum corporalem vel non possunt *omnino* Missam celebrare ; vel non possunt celebrare *secure*, idest sine periculo alicujus irreverentiae ; *decenter*, idest sine scandalo et admiratione populi ; *rite*, idest servatis legibus liturgicis (1). Quod comprehendantur qui Missam celebrare nequeunt secure et decenter, patet per se, et eruitur ex *cap.* 7, *De clerico aegrotante*, etc., ubi Eugenius Papa respondet presbyterum cui duo digiti cum medietate palmae abscissi a praedone fuerant, non posse Missam celebrare « quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus ». Et Alexander III in *cap.* 1, *De corpore vitiatis* etc., permittit presbytero Missae cele-

(1) S. Alph., *VII, n.* 404 ; Pirhing, *I, XX, n.* 1 ; Reiff., *V. XXXVII, n.* 80 *sequ.*

brationem « cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare ». Comprehendi etiam illum qui solum nequit sacrae liturgiae leges notabiliter servare in Missae celebratione, doctores indicant quando dicunt induci irregularitatem per vitium corporis prohibens *congruum* exercitium ordinis sacerdotalis (1) ; praeterea id constat tum ex exemplis et auctoritatibus infra afferendis, tum ex ipsamet rei natura ; quia si Titius nequit leges liturgicas adimplere, eo ipso aliqua admiratio et scandalum populi oriatur necesse est, et praeterea manifeste patet non posse promoveri, nisi cum licentia illius qui potest ab his legibus dispensare. Qui vero praeter hos omnes minoribus corporis vitiis laborant, nullatenus comprehenduntur sub Gelasianis decretis.

253. Porro taliter corpore vitiati prohibentur juxta Gelasiana decreta *divinis applicari ministeriis* vel *ad ecclesiasticum venire servitium sub ullo respectu*.

Proinde hac irregularitate laici prohibentur etiam a prima tonsura, quia in confesso est apud omnes illum qui admittitur ad primam tonsuram, divinis applicari ministeriis, ut docet Rota apud Garcias, *XIII*, *XII*, *n.* 28, et ad ecclesiasticum venire servitium sub aliquo respectu ; qui autem clerici jam sunt, prohibentur ab omnibus ordinibus non susceptis. Ratio ultima est quam de irregularitate in genere indicavimus (*n. 167*), quia scilicet cum omnes ordines et ipsa prima tonsura respiciant sacerdotium, exclusus a sacerdotio censetur etiam ab omnibus hierachiae gradibus repulsus (2). Proinde sustineri nequit id quod tradunt plures apud Garcias, *l. c.*, *n.* 23 *sequ.*, quibus accedit d'Annibale, *I*, § 414, male citans Suarez, scilicet irregularitatem quae oritur ex corporis impotentia, ab his tantum ordinibus suscipiendis prohibere, quibus quis congrue defungi non potest.

(1) S. Alph., *l. c.*; Pirhing, *l. c.* ; Salm., *X*, *IX*, *n.* 66 ; Schmalz., *I*, *XX*, *n. I.*

(2) Suarez, *disp LI*, *sect. II*, *n.* 11 ; De Angelis, *I*, *XX*. *n.* 3 ; Navarrus, *XXVII*; *n.* 200 ; Bonacina, *L*, *n.* 58 ; Garcias, *l. c.*, *n.* 3 ; S. Alph., *VII*, *n.* 413, cum *communi*, melius cum communiori.

Praeterea clerici hac irregularitate prohibentur etiam ab usu receptorum ordinum (*n. 153*). Nempe si vitium antecedit ordinationem et corpore vitiatus ad eamdem sine dispensatione accessit mala fide celans vitium, prohibetur ab omnibus actibus male recepti ordinis laico non permissis (1), ne ex sua fraude aliquod commodum reportet; si vero vitium sequitur ordinationem, vel, eo antecedente, ordinatio recepta fuit bona fide, corpore vitiatus prohibetur tantum ab actu ordinis quem nequit ponere secure, decenter et rite, non vero ab aliis; e. g. sacerdos caecus nequit Missam celebrare, sed bene potest absque ulla dispensatione audire confessiones. Hinc in *cit. cap. 7, De clerico aegrotante, etc.*, Eugenius Papa post relata verba (*n. praec.*) addit: « Ipsum autem fungi caeteris sacerdotalibus officiis minime prohibemus ». Imo pro irregularitate ad actum ordinis jam recepti, nominatim ad Missae celebrationem, requiritur major causa quam pro irregularitate ad ordinem suscipiendum, quia ordinatus habet jus ad exercitium ordinis, et gravior ratio exigitur ad jus acquisitum auferendum quam ad jus non conferendum juxta illud: *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.* Hinc fieri optime potest ut periculum, indecentia aut impossibilitas implendi nonnullas rubricas, quae sufficit ad impediendam ordinationem, non sufficiat ad impediendam Missae celebrationem; quod exemplis infra afferendis constabit.

Tandem haec irregularitas impedit etiam beneficii collationem et assecutionem, quod ex dictis supra et *n. 172* facile intelligitur. Scilicet corpore vitiatus laicus qui promotus fuit mala fide, nullum obtinere potest beneficium; clericus qui vitium contraxit post ordinationem, vel si antea contraxit, promotus fuit bona fide, illud tantum beneficium potest obtinere quod non requirit actum ordinis sibi prohibitum.

254. Quando autem aliquis defectus corporalis secumferat irregularitatem sive ad ordines suscipiendos sive etiam ad actum ordinis suscepti, aliquando est aut per se evidens,

(1) De Angelis, *l. c.*, *n.* 5; Suarez, *l. c.*, *n.* 13, ex *cap. 6, De corpore vitiatis*, etc.

aut jure definitum. In aliis autem casibus quoad laicos vel clericos saeculares judicat episcopus, uti doctores colligunt ex *cap.* 2, *De corpore vitiatis* etc. Idest si agitur de exercitio ordinis recepti, episcopus domicilii et fortasse etiam episcopus quasi-domicilii, quorum tamen judicio episcopus loci in quo ordo exercetur, stare non tenetur; si agitur de ordinibus conferendis episcopus proprius qui ordinat, aut dat litteras dimissorias, sed in hoc altero casu episcopus ordinans non tenetur ejus judicium admittere (1). Quoad regulares, disputant doctores utrum judicet superior regularis (2), an episcopus ordinans (3). Putamus judicare superiorem, si agitur de exercitio ordinis recepti, et fortasse etiam si agitur de ordinibus suscipiendis; sed cum episcopus ordinans certe possit in casu illius judicium non admittere, quaestio in praxi nullius momenti est. Idem repetas quoad subditos etiam saeculares abbatis. Episcopus vero, praelatus inferior et superior regularis in hoc ferendo judicio ad errorem evitandum sequantur jurisprudentiam S. C. C.; quae ut prae oculis habeatur, nos infra plures causas referimus.

255. Omnibus perpensis et facto experimento coram magistro caeremoniarum, si certum est vitium corporis non secumferre irregularitatem, dispensatione opus non est; si est dubium, episcopus dispensare poterit (*n. 230*); si est certum, solus R. P. potest hanc dispensationem elargiri juxta ea quae diximus *n. 212* et expresse tradit Gelasius Papa in verbis relatis *n. 251* (4). Praxis Sedis Apostolicae est ut facilius dispensetur cum sacerdote jam promoto quam cum laico aut clerico promovendo praesertim ad sacros ordines, cujus praxis rationem habes *n. 253*. In eodem defectu SS. CC. aliquando concedunt, aliquando denegant dispensationem juxta circumstantias; nam gratiam faciliorem reddunt morum honestas et scientia oratoris, ejus et suorum parentum paupertas, necessitas dioecesis aut parochiae, vo-

(1) Suarez, *De censuris, disp. LI, sect. II, n.* 16; S. Alph., *VII, n.* 414.
(2) Suarez, *l. c.*; S. Alph., *l. c.*; Salm., *X, IX, n.* 78.
(3) Barbosa, *De off. et pot. episc., alleg.* 42, *n. ult.*
(4) S. Alph., *VII, n.* 414, affirmat superiores regulares posse dispensare.

tum episcopi aut populi, causa sancta aut honesta defectus corporalis, etc. Sed semper exigere solent SS. CC. ut, facto prius experimento coram magistro caeremoniarum, Ordinarius referat de natura et gravitate corporalis defectus addito fortasse medici testimonio, et quomodo Missae celebrationem impediat. Proinde ad parcendum tempori expedit ut hoc votum Ordinarii post praedictum experimentum adnectatur instantiae, quae Romam mittitur. Tandem rescripto gratiae, saepe in forma commissaria exarato, adduntur opportunae conditiones pro qualitate vitii corporalis. Frequentiores sunt ut orator celebret cum assistentia alterius sacerdotis aut diaconi, ex *can.* 15, *caus.* 7, *quaest.* 1, in Decreto, et celebret in oratorio privato, vel in ecclesia, sed eo tempore et loco quo pauci adstant, etc.

256. Modo praecipui defectus corporales expendendi sunt.

Caecus qui facultate visiva in utroque oculo caret, est profecto irregularis. Dispensatio in tali casu ad ordines suscipiendos, praesertim laico aut in minoribus ordinibus constituto, numquam conceditur. Ita in *cit. Neapolitana, Irregularitatis*, 13 *Sept.* 1814, haec dispensatio fuit denegata acolytho qui nullam exteriorem deformitatem praeseferebat, sed ita oculis captus erat, ut vix lucem a tenebris discerneret, etsi orator ab undecim episcopis commendaretur, optimis moribus polleret, scientias calleret, valeret recitare memoriter matutinum B. M. V. et horas canonicas, idoneus esset in explendis omnibus Missae caeremoniis et tandem fortunae bonis abundaret ita ut facile posset assistentem sacerdotem sibi comparare. E contrario dispensatio non raro conceditur sacerdoti qui factus est caecus, data simul licentia ut eamdem Missam B. M. V. orator semper celebret. Concessa fuit haec dispensatio in *Florentina*, 23 *Aug.* 1727.

257. Etiam *caecutiens* ita ut nequeat decenter legere in missali, est irregularis, nisi instrumento facultas visiva juvari possit. Ordinato conceditur licentia celebrandi semper Missam B. M. V.: vel celebrandi Missam B. M. V. in diebus festis et duplicibus, in diebus autem ferialibus Missam defunctorum, additis semper clausulis quod non sit omnino

caecus et memoriter non recitet; insuper datur Ordinario commissio licentiam revocandi, si orator omnino caecus evadit. In *cit. Florentina*, 2 *Aug.* 1727, refertur sacerdotem J. caecutientem similem licentiam obtinuisse, qui deinde caecus factus aliam licentiam petiit et habuit a S. C. C.; quae pariter hanc licentiam concessit in *Venetiarum*, 23 *Febr.* 1851. At ad ordines recipiendos dispensatio caecutienti non datur, praesertim si aliquod est dubium de plena caecitate superventura. Ita dispensationem recusavit S. C. in *Vercellen.*, 28 *Jan.* 1860; in *Carcassonnen.*, 27 *Febr.* 1860; in *Colonien.*, 13 *Sept.* 1863, etc. Multo magis hanc dispensationem negavit in *Basileen.*, 4 *Sept.* 1869, in qua orator caecus erat in oculo sinistro et parum videbat in dextero ita ut ex testimonio magistri caeremoniarum debuisset quotidie dicere Missam votivam de B. M. V. aut Missam *de requie*. Tandem qui strabo est, seu qui obliquo intuetur, nullo modo est irregularis.

258. Quid vero si quis uno tantum oculo videt?

Est certe irregularis in duobus sequentibus casibus : 1° Si alter oculus erutus est, ex *can. ult.*, *dist. 55*, in Decreto : « Illi cui erutus est oculus, non possunt secundum canones sacerdotii jura concedi » ; 2° Si alter oculus gravem habet maculam ; quod eruitur ex *cap.* 2, *De corpore vitiatis*, etc. In his duobus casibus irregularitas est ex deformitate, non solum ad ordines recipiendos, sed etiam, defectu superveniente post receptum sacerdotium, si gravior sit, ad Missae celebrationem. Utrum vero irregularitas persistat, si deformitas oculi eruti reparetur per oculum vitreum, collige ex infra dicendis.

Modo videamus utrum adsit necne irregularitas si cui uno tantum oculo videnti alter oculus nec graviter maculatus nec erutus est, aut si erutus, suppletur apparenter oculo vitreo. Adhuc triplex casus fingi potest. 1° Si potentia visiva oculi boni non est sufficiens ad legendum canonem sine indecenti capitis conversione, irregularitas est tum ad ordines suscipiendos (*n. praec.*), tum etiam defectu superveniente, post sacerdotium, ad Missae celebrationem. 2° Si potentia visiva est quidem sufficiens hic et nunc,

sed judicio medici defectura, irregularitas est ad ordines suscipiendos (1). 3° Tandem si potentia visiva est sufficiens et firma, rursus distinguendum est. Si oculus bonus est oculus dexter, et oculus caecus est oculus sinister qui appellari solet *oculus canonis*, communior sententia censet irregularitatem non adesse nec ad ordines suscipiendos, nec ad Missae celebrationem (2); quia ex una parte canon specialis pro hoc casu non adest, et ex alia hic casus non comprehenditur sub principio generali exposito (*n. 252*). Alii putant adesse irregularitatem saltem ad ordines suscipiendos (3), quia aliqua populi admiratio in talis viri promotione semper aderit, et vix fieri potest ut aliqua indecens capitis conversio, procedente praesertim aetate, necessaria non sit pro canone legendo : quae quidem admiratio et indecentia satis non erunt ad interdicendam sacerdoti Missae celebrationem, sed sufficient, juxta Gelasianum decretum, ad prohibendam ordinum collationem. Huic sententiae favet S. C. C. Nam in *Florentina,* 19 *Apr.* 1823, *per summaria precum,* cum expositum fuisset oratorem privatum facultate visiva in oculo sinistro sine ulla deformitate, tanta in oculo dextero virtute videndi pollere, ut libere, expedite et absque indecora faciei conversione canonem legere posset, responsum fuit : « Consulendum SSmo ut per Breve facultas concedatur archiepiscopo dispensandi et habilitandi oratorem ad omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive ». Item in *Hydruntina*, 21 *Febr.* 1824, pariter *per summaria precum*, simili omnino casui similis data fuit responsio : « Pro gratia dispensationis, et habilitationis, facto verbo cum SSmo ». E contrario si oculus bonus est oculus sinister, et oculus caecus est oculus dexter, omnes admittunt ob allatam rationem non esse ir-

(1) Suarez, *disp. LI, sect. II, n.* 13.

(2) Navarrus, *XXVII, n.* 190 ; D'Annibale, *I,* § 414 ; Pirhing, *I, XX, n.* 6 ; Reiff., *V, XXXVII, n.* 83 ; S. Alph., *VII, n.* 404, cum pluribus aliis ; quam sententiam Suarez, *l. c.*, habet practice probabilem pro ordinibus suscipiendis, certissima pro Missae celebratione.

(3) Suarez, *l. c.*, Salm., *X, IX, n.* 66.

regularitatem in praedictis circumstantiis nec ad Missae celebrationem nec ad ordinum susceptionem (1).

259. *Surdaster*, idest difficulter audiens, non est irregularis; item surdus ex una tantum aure. *Surdus* vero ex utraque aure non est irregularis pro Missae celebratione, si defectus superveniat post receptum sacerdotium. Communissima sententia docet esse irregularem pro ordinibus suscipiendis (2). Passim citatur pro hac irregularitate *can. 77 Apostolorum* : « Qui vero mutus, surdusque et caecus est, episcopus non efficitor, non quia ablaeso corpore est, sed ne ecclesiastica impediantur munia ». Sed fatendum est canones Apostolorum vi legis carere. Potius haec irregularitas deducitur ex Gelasiana prohibitione, quia surdus est corpore vitiatus, et cum non possit vocem audire ministri, nequit Missam celebrare sine aliqua indecentia. S. C. C. dispensationem ab hac irregularitate concessit in *Treviren.*, 27 *Jan.* 1855. Cum enim orator ita surditate laboraret, ut si ad sacerdotium promoveretur, non potuisset ministrum Missae respondentem audire, S. C. reposuit : « Pro gratia dispensationis super enuntiato defectu, et habilitationis ad suscipiendam, servatis servandis, primam clericalem tonsuram, necnon minores et sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum SSmo ». E contrario hanc dispensationem denegavit in *Melphictensi*, 25 *Jan.* 1806. Nam quidam diaconus, cum ex venerea lue amisisset auditum et pene vocem, ita ut facto experimento coram episcopo et caeremoniarum magistro, Missas tantum privatas celebrare potuisset nullumque aliud ministerium ecclesiasticum implere, post tres annos, peracta poenitentia, prouti episcopus testabatur, dispensationem petiit a S. C. C. quae, proposito dubio : « An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu », reposuit *negative*. In folio notatur nullo juris loco cautum esse ut qui vitio vo-

(1) S. Alph., *VII*, *n.* 404 ; D'Annibale, *I*, 414, cum communi.

(2) Salm., *X*, *IX*, *n.* 67 ; Suarez, *l. c.*, *n.* 13 ; Bonacina, *II*, *II*, *n.* 7 ; D'Annibale, *l. c.* : S. Alph., *VII*, *n.* 405, cum communissima, contra Henriquez, Gobat, etc. quorum sententiam habet probabilem Navarrus, *Cons. VI et VII, De corpore vitiatis.*

cis et auditus laborat, sit irregularis, sed hanc irregularitatem deduci ex principio generali.

260. Sunt etiam irregulares illi qui *faciem ustulatam* habent (1) aut *valde maculatam* (2) ; quibus abscissa sunt *labia*, aut *nares*, aut *aures*, nisi hic ultimus defectus capillis tegi possit ; *leprosi*, qui ex *cap. 3 et 4, De clerico aegrotante etc.*, prohibentur celebrare *pro scandalo et abominatione populi,* ac proinde videntur posse in loco privato (3). Idem repetas de iis qui habent *labia corrosa*, aut *morbo gallico foris apparente laborant*, etc.

261. *Mutus* qui nullatenus loqui potest, ita a statu clericali arcetur jure divino, ut R. P. nequeat cum ipso dispensare pro ordinibus hierarchicis. Imo nonnulli de ipsa ordinationis validitate dubitant (4), licet immerito, quia mutus si Missam hic et nunc celebrare nequit, id est per accidens. Ceterum dispensatio nec ad primam tonsuram umquam conceditur. Est quoque irregularis qui verba integra proferre nequit, aut eadem pronuntiat modo inintelligibili, aut penitus praecipitanter, vel qui blaesus est ita ut risum moveat ; qui defectus, si magnam secumferunt indecentiam, possunt quoque eum qui jam fuerat sacerdotio initiatus, prohibere a Missae celebratione (5). Haec firmantur ex responsione S. C. C. in *Imolensi*, 14 *Apr.* 1852. Nam B., ceteroquin optimis moribus imbutus, verba omnia sufficienter proferre valebat ita tamen ut qui numquam ipsi familiares fuissent aut ignorassent ea, quae recitaret, nullo fere modo percipere possent quae pronuntiaret, verba, sed vocis tantum sonum audirent. Uno verbo B. erat notabiliter balbutiens, aptus ad unam Missae privatae recitationem, non vero ad alia ecclesiastica ministeria. Magister caeremoniarum, facto experimento, referebat exinde oriri posse aliquam in populo admirationem, sed non notabilem. S. C. C. reposuit non esse consulendum SSmo pro dispensatione.

(1) Layman, *VII, 1* ; D'Annibale, *l. c.*
(2) S. Alph., *l. c.*, *n.* 411 ; D'Annibale, *l. c.*
(3) S. Alph., *l. c.*
(4) Suarez, *De censuris, disp. XL, sect. I, n.* 4.
(5) S. Alph., *l. c.*, *n.* 406 ; D'Annibale, *l. c.* ; Leurenius, *I, XX, n.* 3.

Neque hic silentio praeterire possumus mirandum factum, quod ex antiquis historiae ecclesiasticae monumentis narrat Thomassinus, *p. II, lib I, cap. LXXVIII, n.* 2, de Ammonio sanctissimo monacho : « Omnibus enim virtutum ornamentis locupletissimus vir, humilitate vero praecellens, quae virtutum parens et custos caeterarum est, videns impetum facturos in se qui vim adferrent cogerentque episcopatu initiari, auriculam sibi abscidit alteram, atque ita demum securus, ut sibi videbatur, episcopalis sarcinae, ad turbam quae confluxerat, dixit : *Me deinceps ne volentem quidem lex sacerdotalis ordinari permittit. Nam neminem qui non sit integris membris, sacerdotem institui fas est.* Illi, re infecta, defluxerunt ; at cum interim rescissent, ei legi pondus et vim in Synagoga fuisse, at de ea observanda nihil omnino laborare Ecclesiam, ut quae virtutum, non membrorum, integritatem carissimam et commendatissimam habeat... regressi sunt protinus, ut ei manus injicerent ; et abstinuerunt se tamen a vi inferenda, quod comminaretur linguam se sibi ipsam excisurum, ut ne posset quidem sacerdotio fungi ».

262. Est etiam irregularis tum ad Missae celebrationem tum ad ordines recipiendos, qui neutrum *brachium* aut alterutrum tantum habet, vel habet utrumque, sed tali infirmitate laborat in utroque vel alterutro, ut nequeat Missam secure, decenter et rite celebrare. Pro diminutis aut inhabilibus utroque brachio, frustra peteretur dispensatio.

Alterutro brachio seu dextero seu sinistro carentibus numquam, ni fallimur, concessa fuit dispensatio ad ordines recipiendos. Nec pariter habemus exemplum dispensationis pro Missae celebratione concessae sacerdoti cui amputatum fuisset brachium dexterum. E contrario sacerdoti cui amputatum fuerat brachium sinistrum, dispensatio data fuit per S. C. R. die 8 *Martii* 1884. Nam G. G., missionarius in Vicariatu Apostolico Madraspatanensi, in suis itineribus pro infidelium evangelizatione victum ex venatione quaerebat. Quadam die ignitabulum (*le fusil*) explodens brachium sinistrum ita vulneravit, ut deinde ejus abscissionem pati debuerit. Cum vero petiisset licentiam Missam celebrandi

solo brachio dextero, S. C. reposuit : « SSmus, attentis expositis, preces remittit Rmo Vicario Apostolico Madraspatanensi qui oratori, nomine et auctoritate S. Sedis, expetitam dispensationem ad annum tantummodo concedat, injuncto onere, ut ipsi oratori sacrum litanti alter sacerdos superpelliceo indutus continuo assistat et amoto quovis irreverentiae aut scandali periculo ; verum onerata super iis conscientia ejusdem Rmi Apostolici Vicarii qui, antequam hujusmodi experimenti annus expiret, referat eidem SSmo D. N. utrum in Missa ab oratore cum exposito defectu celebrata, aliquod inconveniens ortum fuerit ». Pariter data fuit dispensatio per S. C. C. in *Panormitana*, 20 *Apr.* 1850. Orator enim brachium amputatum supplere studuerat per brachium fictitium affabre elaboratum. Facto experimento coram magistro caeremoniarum, constabat deformitatem celari per brachium fictitium, oratorem posse omnes caeremonias peragere, et etiam hostiam frangere, si antea per levem incisionem praeparata fuisset. Oratorem archiepiscopus commendabat. S. C. reposuit : « Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum SSmo pro gratia dispensationis et rehabilitationis cum conditione celebrandi in oratorio privato digitalibus aureis vel argenteis quae expleto sacrificio reverenter reponantur, ac praeterea quolibet anno renovandi experimentum coram caeremoniarum magistro ab Emo archiepiscopo vel Ordinario pro tempore deputando, ita ut si orator in aliquo deficiat, reincidat in irregularitatem, et ad S. C. recurrere iterum teneatur, per Breve ». Vide etiam *Burgi S. Sepulchri*, 7 *Jul.* 1787 ; *Gerundin.*, 26 *Apr.* 1788 ; *Bajonen.*, 20 *Mart. et* 15 *Dec.* 1827 ; *Bergomen.*, 27 *Nov.* 1858 ; *Pampilonen.*, 25 *Sept.* 1859 ; *Samogitien. seu Cadurcen.*, 22 *Sept.* 1866, etc. etc., in quibus eadem S. C. sacerdotibus eodem defectu laborantibus aliquando censuit dispensationem dandam esse opportunis limitibus circumscriptam, aliquando esse denegandam.

Habentibus alterutrum brachium non amputatum, sed inhabile ad operandum, dispensationem concedi cum minori difficultate facile intelligitur. Sacerdoti habenti brachium sinistrum inhabile haec dispensatio pro Missae celebratione

data fuit per S. R. C. *die* 31 *Maii* 1883. Nam M. R. sacerdos dioecesis Savannensis exponebat tribus circiter adhinc annis ob apoplexiae morbum sinistri brachii et sinistrae manus usum omnino amisisse. Licentiam petebat celebrandi Missam, Ordinario fidem faciente, praevio experimento, oratorem omnes sacras caeremonias implere posse ipsumque commendante. S. C. reposuit : « SSmus, attentis expositis, ac praesertim commendationis officio Rmi Episcopi Savannensis declarantis oratorem, haud obstante defectu in precibus enuntiato, sacrosanctum Missae sacrificium juxta ecclesiasticas praescriptiones celebrare posse, preces remisit prudenti ipsius arbitrio, ut eidem oratori in aliquo privato oratorio, vel etiam in ecclesia publica, hora minus a fidelibus frequentata, sacrum facere permittat, sub onere tamen ut eidem litanti alius sacerdos superpelliceo indutus continuo assistat, et ipse a celebratione cesset statim ac in ea gravius defecerit aut morbus ingravescat, manente super his onerata conscientia Rmi ejusdem Episcopi. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». Alii sacerdoti habenti brachium dexterum inhabile, dispensatio data fuit per S. C. C. ad ipsos ordines recipiendos in *Pampilonen.*, 31 *Mart.* 1860. Cum enim orator qui statum clericalem amplecti exoptabat, tendonem brachii dexteri ob receptum ictum haberet ita obduratum ut suam frontem manu tangere non posset ad signum crucis faciendum, neque calicem ori admovere, licet omnes alias caeremonias expleret, dispensationem petiit ut posset ad ordines ascendere usque ad sacerdotium sub conditione signum crucis faciendi et sanguinem sumendi ope manus sinistrae, aut utendi calice altiori, quo valeret consummationem peragere ipsa manu dextera. Responsum fuit : « Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta votum episcopi, facto verbo cum SSmo ». Vide etiam *Cosentin.*, 13 *Jul.* 1725 ; *Placentin.*, 1 *Febr.* 1766, *per summaria precum* ; *Ortonen.*, 27 *Jun.* 1863, etc., in quibus orator sacerdos qui manu dextera signum crucis facere et calicem ori admovere non poterat, obtinuit dispensationem pro Missae celebratione. E contrario haec dispensatio dene-

gata fuit in *Abellinen.*, 28 *Jul.* 1770 ; in *Brixien.*, 26 *Jan.* 1867, etc.

263. Eodem modo est irregularis qui utraque vel alterutra caret *manu*, aut qui utramque vel alterutram habet ineptam. Mutilum altera manu non posse ad sacros ordines promoveri, tradit etiam expresse Innocentius III in *cap.* 6, *De corpore vitiatis, etc.* De dispensatione ab hac irregularitate repete quae diximus *n. praec.* Huc spectant sequentes responsiones S. C. C.

Sinistra carens manu orator sacerdos obtinuit dispensationem pro Missae celebratione in *Litomericen.*, 24 *Sept.* 1864. Facto enim experimento, magister caeremoniarum declaraverat oratorem, saltem manus sinistrae fictitiae adjumento, omnia manu dextera rite peragere posse. Episcopus praeterea oratorem commendabat sive propter illius indigentiam, sive propter penuriam sacerdotum. S. C. reposuit : « Dummodo adsit populi necessitas, et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum SSmo ». Vide etiam *Mediolanen.*, 18 *Apr.* 1863 ; *Brixinen.*, 12 *Sept.* 1868 ; *Tortonen.*, 18 *Jul.* 1868, etc., in quibus in eadem facti specie S. C. pro diversis circumstantiis aliquando reposuit pro dispensatione, aliquando contra.

Manu sinistra inhabilis ex apoplectico morbo sacerdos obtinuit dispensationem pro Missae celebratione in *Aesina*, 26 *Nov.* 1864. Peracto enim experimento coram caeremoniarum magistro, ipse non valebat hostiam frangere supra calicem dextera tantum manu, nec eadem manu extergere patenam super calicem, sed haec peragere debebat adjutus ab altero sacerdote. S. C. reposuit : « Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio et prudentia eminentissimi episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum SSmo ». E contrario in *Lauretana*, 2 *Nov.* 1847, haec dispensatio negata fuit sacerdoti qui ex eodem apoplectico morbo habebat manum dexteram inhabilem, et insuper non poterat decenter genuflectere ob cruris impe-

dimentum. Tandem in *Sutrina*, 28 *Febr.* 1807, haec dispensatio data fuit cum solitis clausulis sacerdoti qui paralysi utriusque manus laborabat, ita ut sine assistentia celebrando, versaretur in periculo evertendi calicem aut alias inferendi irreverentias sacramento ; quae tamen pericula cavere poterat per assistentiam alterius sacerdotis qui vinum et aquam in calicem infunderet, eumdem palla cooperiret et detegeret, in oblatione, elevatione et sumptione sustineret, etc.

264. Illum cui duo *digiti* cum medietate palmae abscissi sunt, esse irregularem pro Missae celebratione traditur expresse in *cit. cap.* 2, *De clerico aegrotante, etc.* Est etiam irregularis qui caret pollice aut indice ex toto vel ex parte, aut eos ineptos habet, etsi sacerdos taliter vitiatus probabiliter licite possit in casu necessitatis eucharistiam distribuere (1). Ad ordines recipiendos dispensatio ab hac irregularitate denegata fuit in *Policastren.*, 21 *Mart.* 1863, in qua orator carebat digito medio manus dexterae unaque phalange indicis, atque insuper erat gracilior aliis digitis ; in *Burgen.*, 23 *Jan.* 1864, in qua orator carebat dimidia parte superioris phalangis pollicis et indicis manus dexterae, etc. At licet S. C. C. difficilior sit in concedenda hac dispensatione ad tonsuram et ordines recipiendos, tamen non desunt exempla. Ita in *Maceraten.*, 17 *Dec.* 1853, in qua F., nomen daturus Ordini Capuccinorum, carebat tertia phalange indicis sinistrae manus ; in *Burdigalen.*, 23 *Jan.* 1856, in qua F. carebat duabus primis phalangibus indicis manus dexterae ; in *Utinen.*, 8 *Jul.* 1865, in qua orator pollice sinistrae manus carebat, etc. Sacerdoti vero pro Missae celebratione dispensatio data fuit, e. g. in *Sabarien.*, 6 *Jun.* 1863 in qua, cum orator indicem et pollicem sinistrae manus amisisset, sed per digitos artificiales omne periculum in celebrando et populi admiratio removeretur, S. C. reposuit : « Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia dispensationis et habilitationis, injuncto tamen onere, ut amissis digitis suppleatur duobus digitalibus argenteis inauratis juxta relata

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 244 ; *VII*, *n.* 408.

ab episcopo, et dummodo his digitalibus in nulla alia actione utatur, et ea reverenter custodiat in capsula, facto verbo cum SSmo ». Est quoque irregularis ille qui caret tribus ultimis digitis in quacumque manu : item qui eos ita debiles habet in manu dextera ut ad sumendum calicem deberet sejungere indicem a pollice. In hoc casu S. C. C. in *Meliten.*, 17 *Dec.* 1853 censuit dispensationem concedendam esse sacerdoti pro Missae celebratione « indicta tamen oratori lege ut ante sumptionem digitos super calicem diligenter abstergat » ; sed in *Patavina*, 27 *Apr.* 1867, in eodem casu dispensatio negata fuit clerico promovendo. Tandem non est irregularis neque ille qui habet sex digitos, neque qui caret uno tantum ex ultimis digitis ex *can.* 11, *dist.* 55, in Decreto, neque fortasse qui caret duobus ultimis digitis, praesertim in manu sinistra (1).

265. *Claudus*, qui sine baculo nequit ad altare ire et stare, est irregularis, ex *can.* 57, *dist.* 1, *de consecr.*, in Decreto, tum ad ordines recipiendos, tum ad Missae celebrationem.

Item qui nimium claudicat, etsi forte baculo non indigeat, et nequit Missae caeremonias rite peragere. Sed ut exinde ei qui jam sacerdos est, Missae celebratio interdicatur, indecentia gravior debet esse. S. C. C. in *Comaclen.*, 3 *Dec.* 1863, reposuit pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum SSmo, ad ordines sacros recipiendos, clerico qui genu dexterum flectere non poterat, ideoque genuflexionem facere debebat genu sinistro, et claudicabat aliquantulum, licet baculo non indigeret. E contrario in *Cathacen.*, 17 *Dec.* 1859, dispensatio negata fuit pro Missae celebratione sacerdoti qui cruribus adeo erat praepeditus ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret, perque alios gradus claudicando ascenderet et descenderet, genuflexiones, circulos sacros haud convenienter exequeretur, ita ut deformitas ipsius populo magnae esset admirationi. Sed in *Januen.*, 29 *Nov.* 1862, concessa fuit parocho pauperi qui ita tibiarum debilitate

(1) Tournely, apud S. Alph., *VII, n.* 406 ; Folium S. C. C. in *Malac.*, 6 *Maii* 1775, § 4.

infirmus erat, ut in celebratione Missae non posset ad populum perfecte se vertere, neque profundam genuflexionem peragere, sed eam tantum vix indicare, pedem scilicet retrahendo, et caput humerosque inclinando ; qui insuper scipionibus innixus ad altare pergebat, ibique fulcris dimissis, vestes sacras induebat et Missam celebrabat.

At qui claudicat aliquantisper, sed nec baculo indiget, nec impeditur Missae caeremonias explere, nullo pacto irregularis est, ex *can.* 18, *dist.* 55, in Decreto.

Est etiam irregularis qui pedem habet *varum*, ut medici aiunt, idest inclinatum versus pedem alterum ; qua in specie S. C. C. in *Soanen-Pitilianen.*, 22 *Sept.* 1866, reposuit pro gratia, facto verbo cum SSmo, ad ipsam primam tonsuram recipiendam.

Item qui crura habet adeo distorta ut ne veste quidem talari hic defectus tegi valeat, aut qui cruribus vel etiam toto corpore contremiscit, de quo vide S. C. C. in *Pennen.*, 28 *Jan.* 1832 ; aut tandem qui habet pedem amputatum, licet loco ejus ligneum supposuerit, aut aridum. Adolescenti pedem sinistrum ligneum habenti, ita ut bene incederet, S. C. C. dispensationem negavit ad primam tonsuram in *Bergomen.*, 22 *Sept.* 1822 ; eamdem concessit in *Mathelicen.*, 5 *Maii* 1866, clerico professo Ordinis Fratrum Minorum, qui amputationem pedis dexteri passus crure mechanico deambulabat.

266. Sunt etiam irregulares *monstruosi* ; scilicet *gibbosi*, si habent gibbam enormem, aut quae conjungitur cum nimia deformitate vel debilitate ; prout si nequirent recto capite stare ; *pygmaei* sive *nani*, qui ita breves statura sunt, ut ad risum moveant, praesertim si habent caput ingens, aut brachia extendere non possint, prouti necesse est ad altaris ministerium ; qui habent *nasum deformem*, nempe valde distortum, aut valde dimissum, aut promissum (1) ; tandem *hermaphrodytae*, de quibus scilicet dubitatur utrum masculi sint an foeminae, ex ipso jure divino arcentur, ne clericalis promotio periculo nullitatis exponatur (*n. 126*).

(1) S. Alph., *VII, n.* 410.

c) De irregularitate ex defectu fidei ratione baptismi in aetate adulta recepti, aut dilati usque ad extremum vitae.

267. Heic agitur de *neophyto*, idest recenter baptizato in aetate adulta, et de *clinico*, uti aiebant, nempe de illo qui, licet ex parentibus christianis ortus, ac in fidei veritatibus instructus, tamen baptismum differt, illumque non suscipit nisi in gravi infirmitate constitutus, mortis metu.

268. Ad neophytos quod attinet, ipse S. Paulus, 1ª *ad Tim.*, *III*, 6, prohibet ipsum promoveri ad episcopatum: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*; sed verosimile est S. Paulum nomine episcopi includere et simplices sacerdotes. Concilium Nicaenum I, *can.* 2, vetat eos ordinari in episcopos et sacerdotes; concilium Arelatense II, *can.* 1, in diaconos et sacerdotes; concilium Sardicense, *can.* 13, in episcopos, presbyteros et diaconos. Quamquam vero canones de aliis inferioribus gradibus sermonem non habeant, tamen certum est, saltem in hodierna disciplina, neophytum nec illos recipere posse, cum sint praeparatio et via ad gradus hierarchicos. Ratio hujus irregularitatis est quia neophytus non praesumitur satis firmus et instructus in fide; insuper non decet illum qui nuper Christo natus est per baptismum, ducem aliorum per ordinationem constitui; et tandem ad dignitatem clericalem evectus, praesertim in altioribus gradibus, neophytus facile posset in superbiam efferri.

269. Porro doctores passim tradunt hanc irregularitatem per se cessare quando quis non est amplius neophytus, idest *recenter* baptizatus, aut quando experimento probatus, est firmus et instructus in fide, ac simul humilitate, prudentia aliisque virtutibus necessariis praeditus, licet deinde minime conveniant quandonam quis non sit amplius neophytus, aut quantum temporis neophyti probationi sit praemittendum, nonnullis requirentibus unum annum, alii biennium, alii decennium, aliis tandem putantibus id remitti arbitrio et prudentiae episcopi (1).

(1) Ben. XIV, *De syn., XII, I, n.* 6; Suarez, *De censuris, disp. XLIII. sect. III, n.* 5 *sequ.*

Si haec vera essent, non haberetur in casu vera et proprie dicta irregularitas (*n. 169*), sed simplex temporanea prohibitio. At e contrario probabilius putamus canones supra citatos ita esse intelligendos ut neophytus a statu clericali arceatur pure et simpliciter etiam pro tempore quo non amplius est neophytus seu recenter baptizatus.

Ducimur in primis ex praxi Sedis Apostolicae, quae est ut in aetate adulta baptizati, licet non recenter, ad primam tonsuram et ordines non promoveantur, nec de beneficiis provideantur, nisi obtenta dispensatione a Sede Apostolica. Et quidem haec dispensatio conceditur, teste Honorante, *Praxis, etc., cap. I, not. X*, prius pro tonsura et ordinibus minoribus, deinde pro sacris, et impetratur per organum tribunalis S. U. Inquis., licet obtineri possit quoque per S. C. C.

Haec canonum interpretatio confirmatur ex responsione ejusdem S. C. in *Adrianensi*, 31 *Maii* 1783. Gregorius D. ex parentibus Judaeis natus, in vigesimo secundo aetatis anno constitutus, a quinque annis baptizatus erat, et a duobus annis in seminario Adriensi commorabatur. Cum ecclesiasticae militiae nomen dare cuperet, petiit dispensationem, episcopo optimum de ipsius moribus, pietate, sacramentorum frequentia, religionis fervore, ac diligentia in studiis ferente testimonium. Propositis dubiis : « 1° An constet de irregularitate in casu? Et quatenus affirmative ; 2° An locus sit dispensationi in casu? » S. C. reposuit : « Ad 1^um^ affirmative. Ad 2^um^ affirmative, nempe esse locum dispensationi, arbitrio episcopi ».

Eadem S. C. in *Pragensi*, 12 *Mart.* 1759, rescripsit Franciscum B. e parentibus Judaeis ortum, et secundo aetatis anno baptizatum, non indigere dispensatione ab irregularitate ; item in *Milevitana*, 13 *Aug.* 1713, ubi agebatur de nato e parentibus Turcis et in infantili aetate baptismi aquis regenerato. Sane ii numquam fuerunt neophyti, seu recenter baptizati in *aetate adulta*, et ratio irregularitatis deficit prorsus. Concludendum igitur probabilius baptismum in aetate adulta receptum secumferre proprie dictam perpetuam irregularitatem. Sed ob contrariae sententiae probabilitatem,

haec irregularitas pro tempore quo promovendus non est amplius neophytus, erit dubia, ideoque vide *n. 162 sequ.*

270. De *clinico* concilium Neocaesariense in *can. un., dist.* 57, in Decreto, sancivit: « Si quis, in aegritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit ». Et Cornelius Papa in epist. ad Fabium episcopum Antiochenum, apud Eusebium, *Hist. eccl., lib. VI, cap. XXXII*, referens Novatum fuisse sic baptizatum, et quemdam episcopum maxime desiderasse illum ordinare, subdit id fuisse prohibitum: « Quoniam minime licebat quemdam in lecto propter morbum baptizatum, sicut huic contigerat, in clerum assumi ». Proinde clinicus arcetur non a presbyteratu solum, sed ab omnibus gradibus clericalibus, non ex delicto dilationis baptismi, quod delictum ipso baptismate deletur, sed ex defectu fidei, quia eorum fides jure meritoque habetur suspecta (1), et non decet talem ordinari.

271. In relato canone concilii Neocaesariensis permittitur clinicum ordinari *si forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Sed doctores non conveniunt num etiam in his duobus casibus dispensatio necessaria sit, ut clinicus licite promoveatur, aliis putantibus nullam dispensationem proprie dictam requiri, ne illam canonis clausulam inutilem dicamus, aliis requirentibus dispensationem episcopi, aliis tandem dispensationem R. P. (2). Sed cum in citata epistola Cornelii Papae de nulla exceptione mentio fiat, putamus, sicuti pro promotione neophyti probatae fidei et virtutis, et a longo jam tempore baptizati (*n. 269*), ita pro promotione clinici dispensationem R. P. esse in omni casu necessariam. Huic sententiae favere videtur Benedictus XIV, *De syn., XII, VI, n.* 7, ubi ait clinicos numquam ad sacram ordinationem esse admittendos. Si deinde clinicus appareat firmae fidei et virtutis, praesertim si rari sint viri qui velint statum clericalem amplecti, eae erunt rationes pro hac dispensatione obtinenda.

(1) Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. I, n.* 5.
(2) Suarez, *l. c., n.* 6.

272. Dubitari autem potest num sit irregularis et ille qui baptismum recepit, non quidem in lecto decumbens propter gravem infirmitatem, sed constitutus in alia necessitate, e. g. ad grave damnum temporale evitandum. Plerique affirmant (1), quia in casu non videtur argumentum a simili, sed ex identitate rationis ; quia lex non fundatur in speciali ratione aegritudinis, sed formaliter in ratione necessitatis, quae eadem vel major est in consensu per vim et metum gravem extorto ; et ipsa experientia docet non expedire ordinare homines sic baptizatos, quia maxime inconstantes in fide inveniuntur. Sed his non obstantibus, putamus veram irregularitatem in casu non adesse, quia fatendum est hunc casum non esse in jure expressum. Equidem in ipso ratio legis pro alio casu latae verificatur, sed id non sufficit ad irregularitatem adstruendam. Caeterum, ipso fatente Suarez, sententia pro irregularitate est tantum probabilis : unde irregularitas est dubia. Sed prudentia suadet taliter baptizatos ex necessitate non esse promovendos nisi cum magna cautela.

d) De irregularitate ex daemonis possessione.

273. Illum qui in *actuali* daemonis possessione est, non posse ad tonsuram et ordines promoveri, nimis clarum est ; sed id potius ex jure divino quam ex jure canonico est repetendum. Item nec in susceptis ordinibus ministrare potest ; prout praescribit Gelasius I R. P. in *can.* 5, *dist.* 33, in Decreto, qui desumptus est ex epistola ad universos episcopos per Lucaniam constitutos a laudato Pontifice missa. « Usque adeo sane comperimus, ait Gelasius, illicita quaeque prorumpere, ut daemoniacis, similibusque passionibus irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis fidelium de sua salute confidat, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari ? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis.

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 7 ; Majolus, *cap. X* ; Boenninghausen, *l. pag.* 103.

etc. ». Idem etiam traditur in *can.* 3, *cit. dist.* 33, qui tribuitur Pio Papae, sed revera est concilii Toletani XI (a. 675), atque ita legendus est : « Ut nulli de his qui aut in terram arrepti a daemonibus eliduntur, aut quovis modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis, exceptis illis qui corporum incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus, in terram approbantur elisi, qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu daemonum alieni ». Videamus nunc de illis qui olim fuerunt a daemone possessi, sed modo liberati sunt.

274. In primis circa quaestionem utrum ii sine dispensatione promoveri valeant necne, non omnes conveniunt : et variae opiniones cum suis auctoribus referuntur in *Mediolanensi*, 10 *Jun.* 1724. Nonnulli, sine ullo jure, censent eos promoveri posse ad primam tonsuram et minores ordines, non vero ad majores. Alii putant posse promoveri ad omnem gradum, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiae nota et offensionis, innixi *can.* 78 *Apostolorum*, ibi : « Si quis daemonem habet, clericus non efficitor, sed nec cum fidelibus preces fundito. Mundatus vero recipitor, et si fuerit dignus, efficitor scilicet clericus ». Tandem alii opinantur non posse umquam promoveri ad ullum gradum, addentes canonem apostolicum eo tempore editum fuisse quo ex una parte pauci inveniebantur qui clerici esse vellent, et ex alia non rari erant energumeni. Proinde in hac sententia ex praeterita daemonis possessione oritur proprie dicta irregularitas, ideo inducta quia revera promotio illius qui fuit energumenus, dedecet status clericalis dignitatem et sanctitatem, ejusque ministerium foret profecto minus honorabile ac minus utile, nec est impossibile aut improbabile ipsum a daemone aliquando rursus vexatum iri.

275. Haec ultima sententia communior (1) et vera est. Citari pro ea solent *can.* 3 *et* 5, *dist.* 33, in Decreto ; sed ex

(1) Suarez, *De censuris, disp. LI, sect. I, n.* 7 ; S. Alph., *VII, n.* 399 ; Sayrus, *De censuris, VI, IX, n.* 14 ; Bonacina, *tom. I, disp. VII, punct. II, prop.* I, *n.* 24 ; Majolus, *II, n.* 17, etc.

dictis patet hos canones rem non evincere. E contrario haec doctrina traditur in *can.* 2, *ejusd. dist.* 33, ubi prohibetur ordinari illum qui *afflictione diaboli vexatus est;* et in *can.* 4, *ejusd. dist.*, ibi : « Clerici qui in adolescentia a daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt ». Equidem relatus *can.* 2 qui tribuitur S. Gregorio M., non est genuinus ; sed relatus *can.* 4, qui adscribitur Nicolao I. R. P., authenticus est, et insuper ambo canones referunt receptam disciplinam, prouti patet ex duobus sequentibus responsionibus S. C. C. Prima habetur in *Panormitana, Dispensationis,* 10 *Apr.* 1685. Nam Frater Mansuetus de Panormo, clericus Ord. Min. Obs. Ref. S. Francisci ejusdem provinciae, exponens S. Poenitentiariae se per aliquod tempus a daemone obsessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi ordines sacros. At S. Poenitentiaria, audito procuratore generali qui ita retulit : « L'esposto dell' oratore è vero, come appare da una fede autentica sottoscritta da religiosi degni di fede e confermata da quel suo superiore provinciale : onde si potrà graziare, se tanto parerà a sua Beatitudine » (1), instantiam remisit ad hanc S. C., cui proinde supplicatur declarare, an petita dispensatio oratori sit concedenda. S. C. respondit : « Pro nunc negative ». Altera habetur in cit. *Mediolanensi,* 10 *Febr. et* 2 *Dec.* 1724. Nam cum H. qui fuerat energumenus, sed a duobus annis nullam passus erat vexationem, peteret dispensationem ab irregularitate ad primam tonsuram et ordines recipiendos, propositis dubiis : « 1° An orator sit de jure irregularis quoad ordines suscipiendos in casu ? Et quatenus affirmative ; 2° An ei sit dispensatio concedenda in casu ? » ; S. C. tandem reposuit die 2 *Dec.* 1724 : « Ad 1^um^ affirmative ; Ad 2^um^ pro nunc negative ».

276. At si quis passus est daemonis incursum post re-

(1) *Latine* : Exposita a superiore sunt vera : prout apparet ex testimonio authentico subscripto a religiosis fide dignis et confirmato ab illo superiore provinciali : quapropter poterit gratia ei concedi si ita videbitur Suae Beatitudini.

ceptos ordines, potest ex permissione episcopi aut sui superioris regularis Missam celebrare aut in aliis ordinibus solemniter ministrare, postquam constiterit liber evasisse. Id omnes admittunt, citantes *can.* 3, *dist.* 33, in Decreto. Sed Gratianus male refert hunc canonem concilii Toletani XI, qui legendus est modo quo eum nos retulimus *n. 273*; et significat illos qui ex infirmitatibus corporalibus in terram approbantur elisi, posse in susceptis ordinibus ministrare, si unius anni spatio constiterit judicio episcopi non esse energumenos. Ceterum ipse Suarez, *l. c.*, *n.* 7, animadvertit tempus probationis remitti prudenti superiorum arbitrio.

e) Irregularitas ex nonnulis morbis physico-moralibus.

277. Praeter vitia corporis ac daemonis possessionem de quibus supra, sunt etiam nonnulli morbi physico-morales qui irregularitatem inducunt.

278. In primis *epilepticos*, dum morbo vexantur, non posse ad ordines promoveri, omnes admittunt; et licet non sit canon qui id directe tradat, tamen non immerito id deducitur ex illis canonibus qui epilepticis prohibent ordinum receptorum exercitium quosque nos infra citamus. Imo doctores communiter docent epilepticum ad ordines suscipiendos esse irregularem, etsi convaluerit, quia vix perfecte convaluisse censetur (1). Haec doctrina quamquam nullo jure cauta sit, tamen vera est et retinenda, quia est conformis praxi S. C. C., saltem quando agitur de caduco morbo post pubertatem contracto. Revera in *Reatina et Sutrina*, 14 *Maii* 1831, ad instantiam clerici epileptici qui tamen in comitialem morbum per sexdecim menses vix incidisse videbatur, quique judicio medici convulsionibus agitabatur potius ex indigestione quam ex vera epilepsi, reposuit : « Pro gratia dispensationis ab irregularitate, dummodo ante promotionem ad subdiaconatum in morbum non inciderit, et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum ordinum citra dispensationem ab interstitiis, arbitrio et concien-

(1) S. Alph., *VII, n.* 399 ; Suarez, *disp. LI, sect. I, n.* 4-8, cum Croix, Bonacina, Roncaglia aliisque passim.

tiae episcopi Reatini, facto verbo cum SSmo ». Vide etiam *Treviren.*, 27 *Jan.* 1866, 26 *Jan.* 1867, 11 *Jun.* 1868; et *Fulginaten.*, 25 *Jan.* 1806.

Diximus *saltem quando agitur de caduco morbo post pubertatem contracto*; nam si epilepsis apparuit ante pubertatem et deinde per plures annos cessavit, ita ut moralis certitudo sit judicio medicorum de ejusdem totali ac perfecta cessatione, putamus probabilem esse sententiam Cabassutii et Tournely, apud S. Alph., *l. c.*, nempe etiam prohibitionem recipiendi ordines in casu cessavisse: certe dispensatio facile obtineretur.

Ex his apparet hunc terribilem morbum veram irregularitatem secumferre, saltem si post pubertatem supervenerit; quia revera ratio reverentiae ac dignitatis status clericalis exigit, ut ii infelices viri ab ordinibus removeantur.

279. Quid vero de ordinum exercitio, si quis post ordines receptos caduco morbo corripiatur? In *can.* 1, *caus.* 7, *qu.* 2, in Decreto, quem Gratianus corrupte refert, Alexander II ita circa propositam quaestionem statuit, emendatis Gratianeae lectionis erroribus: « Consulimus itaque ut si frequenter hoc morbo (caduco) tangitur (presbyter), ab oblatione omnimodis et Missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est et periculosissimum ut hoc ei accidat, quatenus in consecratione eucharistiae morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare jam non interdicimus ». Id confirmat etiam Gelasius Papa in *can.* 2, *ejusd. caus. et qu.* Igitur si Dei misericordia *convaluit*, potest in susceptis ordinibus ministrare; si *frequenter* cadit, non potest. Exinde doctores deducunt posse quoque, si *raro* morbo corripitur, idest juxta S. Alph., *l. c.*, semel in mense, saltem si infirmus cadens non edat confusas voces, nec despumet ore, de quo casu agit Gelasius Papa, *l. c.*

280. Haec doctrina laxior videtur, nec adamussim cohaeret praxi S. C. C., ut patebit ex exemplis quae subjicimus.

Nam in *Aturen.*, 24 *Sept.* 1832, J. parochus comitiali morbo corripiebatur non certis aliquibus temporibus, sed

sex, octo vel decem circiter vicibus per annum, ordinarie de adventu morbi praemonebatur, ita ut si in altari esset, posset in sacrarium tempestive redire, et post horae quadrantem sensus recuperabat. Fidelibus qui parochum singulari prosequebantur veneratione, nullum scandalum erat, et vicarius eidem celebranti assistebat. Episcopo petenti dispensationem S. C. reposuit : « Consulendum SSmo pro concedenda dispensatione ».

In *Nanneten.*, 21 *Jun.* 1831, episcopus declaraverat irregularem parochum qui a duobus annis morbo comitiali laborabat. Parochus, adhibitis remediis, ita convaluerat ut a pluribus mensibus in morbum non incidisset. Episcopus deinde petiit dispensationem, affirmans parochum, qui praesentiebat morbi aggressionem, in actu Missae numquam cecidisse, sed duabus vicibus ante Missam et semel post Missam in sacrario : insuper medicum declarasse morbum illum non esse comitialem morbum saltem gravis indolis, sed potius defectionem cordis et nervorum ; tandem ab anno jam parochum relapsum non esse. S. C. reposuit : « Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, arbitrio, conscientiae et juxta votum episcopi, facto verbo cum SSmo ». Cum vero morbus deinde rursus apparuisset, et quidem cum magna frequentia, parochus a re sacra rursus abstinere debuit. Et cum episcopus pro eo licentiam petiisset praedicandi, catechizandi et confessiones audiendi, asserens parochum numquam a morbo improviso opprimi, sopore et capitis gravedine moneri ante crisim, ita ut tunc a sacris ministeriis tempestive posset abstinere, S. C. reposuit *die* 3 *Aug.* 1833 : « Juxta exposita non indigere ». Demum parochus, cum adhibitis nonnullis remediis, fere pristinam recuperasset sanitatem, ita ut a quindecim mensibus tres tantum easque leves passus esset nervorum agitationes, et ideo petiisset rursus rehabilitationem ad Missae celebrationem, S. C. *die* 19 *Apr.* 1845 reposuit : « Pro gratia dispensationis, et rehabilitationis ad sacrosanctum Missae sacrificium cum assistentia alterius sacerdotis, et cum reincidentia si in morbum relabatur, arbitrio episcopi, facto verbo cum SSmo ».

Putamus igitur sacerdotem epilepticum tunc tantum posse ex permissione episcopi vel superioris regularis, si ipse est regularis, sacra peragere, quando judicio medicorum morbum evanuisse constiterit.

281. Quae diximus de epileptico morbo immerito applicares aliis morbis qui cum epilepsi habent aliquam similitudinem, sed non sunt vera epilepsis judicio medicorum; nam canones de epilepsi loquuntur, quae est inter omnes morbos gravissimus et omnibus ferme humanis remediis resistit, licet, ut supra innuimus, in pubertate aliquando curetur; ac proinde irregularitas pro eodem statuta contra regulas juris ad alios morbos similes deduceretur.

282. At quae de epilepticis explicavimus, repetenda sunt de *mentecaptis* sive amentibus sive dementibus (1). Proinde mentecaptus promoveri nequit non solum dum morbo laborat etiam in lucido intervallo, quod sane patet, sed etiam si postea convaluerit. Auctores passim citant *can.* 2, *dist.* 33, in Decreto : « Clericum non ordinandum..... qui in furiam aliquando versus insanivit ». Hic canon vim certam legis habere non potest, cum sit incerti auctoris, sed de re non est controversia. Haec autem irregularitas non oritur nisi ex vera amentia quae non provenerit ex accidenti, puta vi febris, vulneris, irae aut alterius passionis transeuntis, sed ex causa permanenti et habituali. Si autem amentia supervenit post ordines receptos et nominatim post receptum sacerdotium, tunc tantum licet Missam celebrare ex permissione episcopi aut superioris regularis, cum morbus evanuerit judicio medicorum.

283. Tandem promoveri profecto nequit *fatuus* seu *stupidus*, ita ut scientiam pro presbyteratu necessariam numquam assequi possit. Item qui *febri* continua laborat (non autem periodica ac levi) vel *dolore capitis* gravi, ita ut Missam celebrare nequeat sine periculo deficiendi aut graviter errandi. Item qui sic laborat *tussi* ut in suscipienda eucharistia sit periculum eam rejiciendi ex ore. Demum *abste-*

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 779 ; Suarez, *De censuris*, *disp. LI*, *sect. I*, *n.* 3.

mius qui vinum sumere nequit sine periculo evomendi (1). Ii omnes ab ordinibus recipiendis aut exercendis impediuntur jure divino ; et non amplius impediuntur, si convaluerint ; ideoque haec infirmitates aut defectus constituunt totidem, non irregularitates, sed simplicia impedimenta : quae tamen heic nos posuimus ob connexionem materiarum.

f) De irregularitate ex infamia.

284. Infamia, a praepositione *in*, quae privationem importat, et a verbo *fama*, est diminutio famae, seu famae damnum, ut dicitur *l.* 8, *C.*, *Ex quibus causis infamia irrogatur*. Atqui fama absolute dicta in bonam partem accipitur pro existimatione bona. Ergo infamia est bonae famae seu bonae existimationis diminutio. Atqui existimatio in *l.* 5, *ff.*, *De var. et extraord. cognit.*, optime definitur a Calistrato : *Illaesae dignitatis status legibus et moribus confirmatus*, ubi dignitas (humana) significat qualitatem qua quis inter probos et honestos censeri meretur, munerum et honorum habetur capax in societate, injuria et obtrectatione indignus. Igitur infamia est diminutio status hujus dignitatis vel qualitatis, qui prius erat intactus lege et moribus seu opinione gravium et proborum, modo non est amplius intactus.

285. Infamia cujus notionem dedimus, dividi communiter solet a canonistis in infamiam *juris*, quae dicitur etiam *legalis*, et infamiam *facti*, quae etiam *popularis* vel *vulgaris* appellatur. Haec divisio reprehenditur a nonnullis peritis in jure civili Romano (2), quod revera nomen infamiae reservat tantum infamibus infamia juris. Sed hoc non obstante, divisio cohaeret notioni datae, et retinenda est ad confusionem idearum in hac materia haud obvia evitandam. Nam si status dignitatis qui fuerat illaesus, jam non firmatur lege, licet adhuc integer sit in opinione gravium et proborum, habes profecto infamiam, idest diminutionem bonae existimationis seu bonae famae ; quae infamia non imme-

(1) S. Alph., *VII*, *n*. 409.
(2) Donellus, *vol. V, lib. XVIII, cap. VI, n*. 5 ; D'Annibale, *I*, § 121.

rito appellatur *juris tantum*. Si e contrario status dignitatis jam laesus est in opinione proborum, licet adhuc lege firmus sit, rursus habes infamiam, idest diminutionem bonae existimationis seu bonae famae ; quae infamia rite vocatur *facti tantum*. Tandem si status dignitatis jam non subsistit neque lege neque opinione proborum, habes infamiam totalem, seu non tam diminutionem, quam totalem privationem bonae existimationis seu bonae famae ; quae infamia totalis recte dici potest *juris et facti* (1).

Nos singillatim agemus in primis de infamia juris, scilicet canonici quod ad nos attinet, deinde de infamia facti.

286. 1° Infamia juris canonici, ut satis patet ex dictis, est quando irrogatur lege Ecclesiae ; quae per hoc declarat hominem non esse habendum probum et honestum, ejus bonam existimationem non amplius protegit, ipsumque impedit a nonnullis actibus legitimis et honoribus in Ecclesia, de quibus infra. Duplici autem modo infamia, sicuti censura, irrogari potest. Vel ita ut ad infamiam contrahendam satis sit ipsa criminis perpetratio ; proinde infamia est *latae sententiae*. Vel ita ut non sufficiat ad eam contrahendam perpetratum crimen, sed requiratur sententia judicis ; et ideo infamia est *ferendae sententiae*, ante quam sententiam aderit infamia facti ex crimine publico orta, non vero infamia juris. Et quidem ad infamiam incurrendam in casu putamus non sufficere sententiam judicis de crimine commisso, sed requiri insuper sententiam judicis irrogatoriam infamiae, sicuti in censuris ferendae sententiae ; licet auctores passim tradant sufficere sententiam de crimine commisso quae transiit in rem judicatam (2). Si autem quaeras

(1) D'Annibale, *l. c.*, post Bartolum infamiam juris definit : *Laesae dignitatis status legibus ac moribus reprobatus*. Sed haec est infamia juris et facti : et dari potest infamia partialis vel juris tantum, vel facti tantum. In folio S. C. C. in *Lucensi, Dispensationis*, 19 *Dec.* 1789, dicitur infamiam *juris* oriri ex sententia condemnatoria, et infamiam facti ex vulgata opinione delicti : et ita etiam saepe in folio aliorum causarum. Sed haec definitio infamiae juris et facti non est accurata, et ex simplici sententia condemnatoria de patrato crimine non oritur infamiajuris, sed facti.

(2) Suarez, *disp. XLVIII, sect. II, n.* 3 : « Post condemnationem au-

quomodonam infamia latae sententiae ab infamia ferendae sententiae distinguatur, respondemus ad id inservire posse ea quae auctores tradunt de censuris. Tandem infamiae latae sententiae accedit infamia *adnexa poenae*, quae proinde dicitur *infamans* ; nam haec poena propter delictum a judice inflicta, ipso jure secumfert infamiam rei.

287. Plures censent nec ipsam infamiam juris canonici latae sententiae contrahi ante sententiam saltem declaratoriam criminis (1) ; proinde e. g. duellantes eorumque patrinos non esse infames coram Ecclesia, antequam sententia saltem declaratoria de crimine duelli prodierit. Alii putant (2) ad hanc infamiam juris canonici latae sententiae contrahendam non esse necessariam, nisi aliud constet, sententiam judicis, sed requiri et satis esse quod delictum sit publicum sive publicitate juris ex sententia judicis vel confessione a reo in judicio emissa, sive publicitate facti si delictum pluribus personis (*n. 222*) notum sit (3) cum certitudine ita ut non sufficiat simplex opinio, suspicio vel rumor de delicto commisso : quod tamen non omnibus arridet. Innituntur *can.* 33, *dist.* 50, in Decreto, *cap. 4 et ult., De temporibus ordinationum*, et tandem rationi, quia infamia essentialiter consistit in diminutione bonae famae apud graves et ho-

tem judicis de tali crimine, manet persona irregularis quia manet infamis » ; Reiff., *V, XXXVII, n.* 58 ; Schmalz., *n.* 167, plures alios citans.

(1) D'Annibale, *I.* § 122; Jason apud Thesaurum, *De poenis, I, XXXIII.* Jure civili certe necessaria erat ad infamiam latae sententiae contrahendam sententia judicis de patrato crimine, ex *l.* 1, *ff., De iis qui notantur infamia* ; et si condamnatus appellabat, pendente appellatione, famosus non habebatur, ex *l.* 6, *ff.ejusd. tit.* Sane jus civile ignorat poenas positivas contrahendas a culpabili ipsa criminis perpetratione ante quamlibet sententiam. Utrum vero idem valeat pro infamia juris canonici quaestio est.

(2) Layman, *lib. I, tract. V, par. V, cap. IV, n.* 9 ; Navarrus, *cap. XXVII. n.* 248 ; Covarruvias, 3 *resol., cap.* 3, *n.* 2 ; Reiff., *V, XXXVII, n.* 57 ; Schmalz., *n.* 166.

(3) Aiunt delictum esse publicum si notum est *majori parti* communitatis in qua delinquens vivit, ut puta monasterii, collegii, parochiae, civitatis, dummodo communitas constet saltem decem membris. Quid si non est notum majori parti communitatis, e.g. civitatis Parisiensis, nec majori parti parochiae quae Parisiis solet esse vastissima et populosissima ? Profecto posset esse publicum juxta doctrinam S. Poenitentiariae de qua *n.* 222. Haec si admittas hanc alteram sententiam.

nestos, quae ne concipi quidem potest ex crimine occulto. Tandem alii opinantur (1) etiam ex delicto occulto hanc infamiam juris canonici latae sententiae contrahi vel plene vel tantum quoad legalia impedimenta : ita Suarez, *l. c.*, *n.* 16, docet, stante delicto occulto, non licere aliis delinquentem infamare, publicando delictum, sed tamen delinquentem affici impedimentis legalibus infamiae et ideo, e. g., non posse ordines recipere et exercere, nisi excusetur a periculo sese prodendi.

288. In hac controversia nos mentem nostram libere pandemus.

In primis pro certo habemus sententiam judicis, etiam declaratoriam tantum de patrato crimine, non esse necessariam pro contrahenda hac infamia, si ab infamia ex haeresi, de qua infra, modo praescindamus. Nam in jure canonico haec est vis poenarum latae sententiae, ut scilicet contrahantur ipso facto ante sententiam etiam declaratoriam, nisi aliud demonstretur, ut patet exemplo censurarum : atqui aliud pro casu nostro non demonstratur. Confirmatur ex responsione S. C. C. diei 9 *Aug.* 1890 (*n. 303*) quae probat studentes in Universitatibus Germaniae duellum committentes aut patrinorum munus praestantes, esse irregulares ex infamia juris, a qua irregularitate debent dispensari desiderantes ad ordines promoveri ; proinde infamiam juris contraxerant, licet sententia de patrato duelli crimine numquam in eos proferatur. Proinde si delictum ab Ecclesia notatum infamia latae sententiae est publicum, non dubitamus hac infamia deliquentem affici ipso facto ante quamcumque sententiam. Sed insuper cum Suarez censemus, etiam ex tali delicto occulto alios quidem qui delictum forte noscunt, non posse licite delinquentem infamare, nec eumdem a juribus sibi quaesitis exturbare ; sed delinquentem statim contrahere omnia legalia impedimenta infamiae

(1) Barbosa, *De off. et pot. episc.*, *alleg.* 43, *n.* 18 ; S. Antoninus, *p. III, tit.*, *XXVIII*, *cap. VI*, § 7 ; Schmier, *lib. I*, *tract. IV*, *cap. VI*, *sect. V*, § 2, *n.* 507 ; Garcias, *VII*, *VIII*, *n.* 19, habet hanc sententiam in rigore veriorem, quamvis de aequitate canonica possit procedere altera, aut saltem non habeatur in consideratione talis infamia ex delicto occulto ex *cap. 4 et ult., De temp. ord.*

adnexa, e. g. duellantes esse ipso facto irregulares ex infamia juris, etsi eorum delictum occultum sit. Nam rursus in jure canonico poenae latae sententiae urgent ipso facto etiam occulto, nisi aliud probetur ; et non probatur legalia infamiae impedimenta non contrahi ex delicto occulto. In primis enim *can.* 33, *dist.* 50, in Decreto, et *cap. 4 et ult.*, *De temp. ordin.*, non agunt de criminibus infamia juris canonici latae sententiae notatis ; et si generaliter sumantur, sequeretur irregularitatem ex delicto occulto, praeter homicidium, numquam oriri (*n. 191*). Deinde ad rationem quae additur, infamia facti ex delicto occulto concipi non potest, sed concipi potest infamia juris. Si infamia juris, ut producat legalia impedimenta, indigeret actuali diffamatione apud graves et honestos, sequeretur haec impedimenta non induci ex crimine publico propter sententiam januis clausis latam, nec ex crimine quod in regione, attentis moribus, non gravat existimationem, licet sit notatum infamia latae sententiae ; e. g. sequeretur studentes in Universitatibus Germaniae duellum committentes eorumque patrinos non esse irregulares ex infamia juris ; quod est contra citatam responsionem S. C. C. At stante controversia, irregularitas haberi poterit ut dubia. Ceterum etiam patroni alterius sententiae admittunt petendam esse dispensationem, si periculum est quod delictum occultum divulgetur (1) ; et lata sententia, infamiam retrotrahi ad tempus commissi criminis ex *l.* 6, *ff.*, *De iis qui notantur infamia* (2).

289. Ex dictis sequitur infamiam juris canonici esse veram poenam et quidem gravissimam quae nos privat bonis maximi momenti ; et quoniam haec bona sunt spiritualia et temporalia, ideo infamiae poena erit mixta. Hinc infamiae poena supponit delictum, et quidem gravissimum, ut sit proportio inter delictum et poenam. Aliquando lex infamiam irrogat filiis vel etiam nepotibus propter delictum parentum (*n. 294*). In hoc casu infamia juris habet solam rationem impedimenti respectu filiorum vel nepotum, quatenus ii lege

(1) Schmalz., *l. c.* ; Layman, *l. c.*
(2) D'Annibale, *I*, § 122, *not.* 29.

arcentur a dignitatibus, honoribus, etc.; sed habet rationem poenae respectu parentum criminosorum qui etiam in filiis vel nepotibus puniuntur.

290. Modo videamus quinam sint infames infamia juris canonici. In primis omnes canonistae statuunt hanc regulam : *Omnes infames infamia juris civilis sunt infames infamia juris canonici*; quae regula expressis verbis traditur in *can.* 2, *c.* 6, *q.* 1, in Decreto, qui tribuitur Hadriano Papae, et *can.* 17, *c.* 6, *q.* 1, qui adscribitur Stephano Papae. At vero uterque hic canon est falsa pseudo Isidori merx, prouti ostendit Berardi in opere, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti* etc., *p. I, cap. XLV, p. II, cap. XXI*, et hodie nemo eruditorum dubitat. Unde posita regula caret fundamento. Putamus igitur infames infamia juris civilis esse quoque infames infamia juris canonici, si haec infamia specialiter a sacris canonibus statuta est; secus in jure canonico esse infames infamia facti, nisi infamia juris civilis a jure canonico correcta sit; e. g. jure Romano est infamis tutor qui pupillam ducit, ex *l.* 66, *ff.*, *De ritu nuptiarum*, et vidua quae nubit dum virum luget, ex *l.* 1, *C.*, *De secundis nuptiis*; quae personae jure canonico non sunt infames neque infamia juris neque infamia facti. In praxi nil interest utrum infames infamia juris civilis laborent etiam in jure canonico infamia juris juxta communem doctrinam, an sola infamia facti juxta nostram sententiam.

291. At jus canonicum infamia, delicto vel poenae adnexa, notavit sequentes :

a) Duellantes eorumque patrinos, ex Conc. Trid., *sess. XXV, cap. XIX, de ref.*: « Qui vero pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac *perpetuae infamiae poenam incurrant*» ; dummodo de duello proprie dicto agatur. Illud autem *infamiae poenam incurrant* importare infamiam latae sententiae, communiter auctores tradunt (1), et confirmatur ex responsione S. C. C. relata *n. 303*. Vide etiam S. C. C. in *Veronen.* 19 *Jan.* 1805. Hinc si,

(1) Suarez, *disp. III, sect. III, n.* 2; S. Alph., *VII, n.* 8.

duellans adversarium occiderit aut mutilaverit, duplicem contrahit irregularitatem : aliam ex delicto homicidii vel mutilationis, aliam ex infamia. Praeter duellantes et patrinos, alii duello participantes, de quibus Conc. Trid., *l.c.*, in fine, et const. *Apostolicae Sedis*, *art.* 3, *inter excommunicationes R. P. reservatas*, contrahunt quidem hanc censuram, insuper contrahent fortasse irregularitatem ex homicidio vel mutilatione juxta ea quae alias dicimus ; sed certe non contrahunt infamiam juris, cum in eos statuta non sit.

292. *b*) Raptor mulieris ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, ex Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. VI*, *de ref.* : « Et nihilominus (idest licet raptor mulierem in loco tuto et libero constitutam ac consentientem duxerit) raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, *sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames*, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant... ». De raptu qui has poenas secumfert una cum impedimento matrimonium inter raptorem et raptam dirimente, nos fuse locuti sumus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 537 sequ.*

293. *c*) Qui duas simul habet uxores, ex *cap. 4*, *De bigamis* : « Unde illum comitatur infamia qui duas simul habet uxores ». *Comitatur infamia* indicat infamiam latae sententiae. Etiam jure Romano polygamus simultaneus erat ipso facto infamis, ex *l. 13 ff.*, *De his qui notantur infamia*. Ut vero polygamia simultanea habeatur infamiam secumferens, necesse est ex parte primi matrimonii, ut fuerit validum et adhuc subsistat ; ex parte secundi, ut scienter fuerit attentatum animo maritali. Nil autem interest utrum sive primum sive alterum matrimonium sit consummatum an ratum tantum. Cum vero matrimonium, ut aiunt, civile, sit matrimonium attentatum, non dubitamus infamem esse jure canonico ideoque irregularem virum qui constante primo matrimonio valido, aliam mulierem civiliter ducere ausus est, e. g. post obtentum a prima civile divortium.

294. *d*) Qui S. R. E. Cardinalem hostiliter insecutus est vel percussit aut cepit, vel his criminibus physice vel moraliter cooperatus est, ejusque filius vel nepos in linea recta,

ex *cap.* 5, *De poenis*, *in* 6° : « Si quis S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percusserit aut ceperit, vel socius fuerit facientis aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea receptaverit vel defensaverit scienter eumdem, sicut reus criminis laesae majestatis perpetuo sit infamis..... ». Hanc infamiam esse pariter latae sententiae minime dubitamus, licet doctores concordes non sint (1). Deinde Bonifacius VIII infamia notat etiam horum omnium filium vel filios, nepotem vel nepotes per lineam rectam descendentes, aliasque etiam gravissimas poenas statuit in reos tanti facinoris. Etiam jure Romano, in *l.* 5, *C.*, *Ad legem Juliam majestatis*, perduelles et proditores qui commiserunt crimen laesae majestatis morte plectuntur ; eorum vero filii masculi infamia notantur, praeter alias poenas. At filii ac nepotes ad legalia infamiae impedimenta contrahenda necesse est ut nati sint post delictum parentum (2). Ceterum hoc est jus speciale ; in genere enim infamia qua quis sordescit, ejusdem filios, fratres vel alias personas vinculo consanguinitatis conjunctas haud tangit; quod non semel S. C. C. declaravit, e. g. in *Sulmonen.*, *Dispensat.*, 30 *Jul.* 1735, *Amerina* seu *Interamnen.*, *Ordinat.*, 11 *Aug.* 1759 ; *Carthaginen.*, *Ordinat.*, 10 *Maii* 1755.

295. *e*) Damnati ad triremes qui de facto navigaverunt. Urbanus VIII, die 4 *Jan.* 1635, tulit hoc decretum : « In posterum tam presbyteri saeculares quam cujuscumque ordinis regulares damnati ad triremes perpetuo vel ad tempus et qui cum effectu fuerint in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictae poenae, numquam habilitentur ad exercitium suorum ordinum ». Jam vero opinio recepta est quod ex simplici damnatione aut transmissione ad triremes quis non efficitur infamis nec irregularis, nisi vel actu remigaverit, vel fuerit transmissus propter delictum quod de jure habeat adnexam infamiam, uti pluribus citatis docet folium S. C. C. in *Lavellana* seu *Romana*, die 8 *Julii* 1726. Porro

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 4 ; S. Alph. *l. c.*
(2) S. Alph., *VII*, *n.* 363 ; Salm., *X*, *VIII*, *n.* 83, cum aliis.

damnatio ad triremes hodie in usu amplius non est ; et regulae juris vetant infamiam juris cum adnexa irregularitate transferre ad similes poenas nostris legislationibus receptas, e. g. *aux travaux forcés* ; quamquam ex hac et similibus poenis infamia facti quae pariter irregularitatem secumfert, oritur sive ratione delicti sive ratione poenae.

296. *f*) Simoniam realem committentes. In *can.* 15, *c.* 1, *q.* 1, in Decreto, Innocentius II in synodo Romana vult ut *infamiae nota percellantur* rei simoniae realis in pluribus casibus, ita ut haec poena afficere videatur omne delictum simoniae realis. Porro illa verba per se viderentur indicare sententiam ferendam (1). Sed deinde in *extrav.* 1, *De simonia, inter comm.*, contra simoniacos in ingressu in religionem vel in receptione alicujus in monachum aut monialem statutum est : « Ceterum personis illis utriusque sexus quae jam labe hujusmodi sunt foedatae, earum providentes saluti, de benignitatis gratia eas liberantes, concedimus quod per suos locorum dioecesanos hac vice dumtaxat a crimine hujusmodi et *nota infamiae inde contracta* auctoritate apostolica absolvantur ». Proinde patet hos simoniacos infamiam contraxisse absque ulla sententia ; et quoniam de infamia simoniacorum agit tantum *cit. can.* 15, hinc sequi videtur infamiam inibi statutam contra crimen simoniae in genere esse latae sententiae, aut talem ex consuetudine evasisse.

297. *g*) Tandem haeretici eorumque complices, de quibus tamen ex professo agemus infra.

298. Apud auctores passim plures alii, e. g. sodomitae, lenocinium exercentes, qui promissionem juramento firmatam culpabiliter non servant, damnati de crimine publico, exauthorati a militia, remoti ab ordine, interdicti ab honoribus, deportati, fustibus caesi, etc. traduntur infames infamia juris canonici, utpote infames infamia juris Romani ob regulam *n.* *290* indicatam. Proinde, hac regula corruente, ii omnes in jure canonico erunt infames infamia facti de qua infra, non autem infames infamia juris. Dubium

(1) Suarez, *De virtute et statu religionis, lib. IV, cap. LVI, n.* 21.

esse potest de publico aleatore et usurario manifesto, ex *cap.* 11, *De excessibus praelatorum*. Cum enim P. canonicus Pictaviensis succentoriam illius ecclesiae obtinuisset, cumque constitisset ipsum esse publicum aleatorem ac usurarium manifestum, Innocentius, III, *l. c.*, statuit : « Quod circa eumdem P. de succentoria factum esse dignoscitur, propter indignitatem et vilitatem ipsius duximus irritandum, cum personis vilibus et indignis portae dignitatis patere non debeant juxta legitimas sanctiones ». Sed his verbis videtur agi potius de infamia facti, quam de infamia juris.

299. Porro infamia juris canonici sequentia producit impedimenta :

a) Claudit infami portas dignitatum, ex *reg.* 87 juris, in 6° : *Infamibus portae non pateant dignitatum*. Et nomine *dignitatum* intelliguntur etiam honores in societate ecclesiastica et beneficia quaecumque, ex *cap.* 11, *De excessibus praelatorum*, ita ut collatio beneficii facta infami sit ipso jure nulla, saltem pro foro conscientiae. Citata regula juris desumpta est ex *l.* 2, *C.*, *De dignitatibus* : « Neque famosis et notatis et quos scelus aut vitae turpitudo inquinat et quos infamia ab honestorum caetu segregat, dignitatis portae patebunt ».

300. *b*) Arcet infamem ab actibus legitimis et publicis muneribus, ut sunt officia judicis, assessoris, advocati, tabellionis, accusatoris, adeo ut neque ad testimonium dicendum infamis sit admittendus, ex *cap.* 54, *De testibus*.

301. *c*) Tandem infamem removet ab ordinibus recipiendis et exercendis seu inducit irregularitatem ; de qua praesertim ad nos attinet. Haec irregularitas traditur aperte in celebri *can.* 17, *caus.* 6, *q.* 1, in Decreto ; sed hic canon, ut supra diximus, nullius auctoritatis est, utpote apocryphus, a pseudo-Isidoro confictus. Habetur etiam haec irregularitas in *can.* 5, *dist.* 51, qui tamen est concilii Toletani IV ; et etiam ex *can.* 39, *c.* 2, *q.* 7 et ex *cit. reg.* 87 *juris*, in 6°, rite deducitur ; de qua irregularitate ceteroquin nemo dubitat. Cum enim infamis promotio scandalum pareret, ejusque ministerium non foret profecto neque honorabile neque utile, hinc Ecclesia jure merito infames a statu clericali removit. Haec

igitur irregularitas adnexa est infamiae, eamque sequitur, ut umbra corpus. Hinc omnes infames infamia juris canonici quos supra enumeravimus, sunt irregulares irregularitate proprie dicta, si infamia est perpetua, prouti esse solet.

302. Irregularitas qua detinentur filii ac nepotes delinquentium (*n. 294*) est evidenter ex defectu, cum nullum delictum ipsi perpetraverint (*n. 178*). Sed idem dicendum est de irregularitate quae afficit ipsos delinquentes ; quamquam enim infamia sit ex delicto, tamen irregularitas proxime est ex infamia, non ex delicto, ita ut suppressa per hypothesim lege quae infamiam irrogat, irregularitas, patrato delicto, non contraheretur (*n. 190*). Etiam in sententia Suarez et nostra, quae admittit infamiam juris canonici, ideoque et irregularitatem, contrahi ex delicto occulto, haec irregularitas est ex defectu *legali* bonae famae. Exinde sequitur illum qui plura delicta commisit notata infamia juris canonici, una tantum irregularitate irretiri, quia defectus bonae famae qui est irregularitatis causa, unus est (*n. 197*).

303. Circa irregularitatem duellantium eorumque patrinorum referenda est responsio S. C. C. in *Wratislaviensi, Irregularitatis,* diei 9 *Aug.* 1890.

Scilicet in Germania est singulare duellorum genus inter scholarum et praesertim Universitatum alumnos. Nonnumquam enim duella eodem modo ac in ceteris regionibus locum habent ; sed plerumque duella scholariorum in eo consistunt, ut duellantes armis specialibus, idest parvo quodam cultro utentes, et ceteris partibus corporis bene tectis, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferant, cujus tamen vestigia plerumque brevi tempore oblitescunt. Nullatenus igitur mors vel mutilatio intenditur, atque rarissime et nonnisi per accidens ex imprudentia aut ex alia causa duello extrinseca haec tristia fata accidunt. Nec semper proprie ex vindicta vel ob honorem reparandum duella haec committuntur, sed potissimum ludi, crudelis profecto, vel exercitationis gratia. Sub specie hujus ludi vel exercitationis praestandi ac fovendi, adsunt inter Universitatis discipulos societates, in quibus pro obtinendo altiore gradu certus duellorum instituendorum numerus prae-

scribitur, et, quodam tempore sine duellis transacto, praesides societatum pro praetextibus suscitandis ad duella instituenda conveniunt. Catholici generatim ab iis facinoribus sese abstinent, non tamen semper; et aliquando ii qui his certaminibus operam dederunt, petunt prima tonsura et ordinibus initiari, sed dubitatur num et quanam irregularitate detineantur.

Episcopus Wratislaviensis hoc dubium Sedi Apostolicae submisit: « Exponitur humillime Sanctitati Vestrae ex parte devotorum illius oratorum Henrici Bienau, Edmundi Holthoff, Francisci Forsche, Josephi Golenia, Bernardi Joppich, Antonii Bugiel, dioecesis Wratislaviensis sub ditione Borussica, in seminario meo clericali degentium, quod ipsi sacra tonsura et ordinibus summopere cupiunt initiari. Sed quoniam dicti oratores, in Universitate litterarum Wratislaviensi quondam studiosi, duellorum complices extiterunt, nempe Henricus Bienau semel duellum perpetrando, et centies quinquagies vel cooperando vel spectando; deinde tamquam spectatores Josephus Golenia semel, Franciscus Forsche bis, Edmundus Holthoff et Bernardus Joppich pluries, Antonius Bugiel denique quater vel quinquies ad monomachiam provocando vel provocationem acceptando, omnes irregularitate irretiti videntur. Attamen quaestio exorta est utrum ex defectu famae secundum S. Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. XIX, de ref.*, an ex defectu lenitatis irregulares sint. In tali enim casu huc usque, secundum communem opinionem et usum in civitate ac dioecesi Wratislaviensi vigentem, defectum lenitatis adesse statuebatur; cum duellum, ut fere his temporibus inter Universitatis studiosos committitur, ludus potius temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti existimetur, et spectatores mera curiositate, non consensu, plerumque adducti sint. A defectu lenitatis absolvendi Sanctitas Vestra, ut praedecessoribus meis, sic mihi quoque facultatem, die 23 *Junii a. p.*, benignissime impertita est. Sed ut in hac re in posterum quodvis dubium tollatur, Sanctitati Vestrae humiliter supplico ut ipsa gratissime velit declarare a quanam irregularitate in tali casu dispensandum sit ».

Proposito itaque dubio: « An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur quae his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu? » S. C. C. die 9 *Aug.* 1890 reposuit: « Affirmative a duellantibus eorumque patrinis ex infamia juris (1) ».

304. Tandem de cessatione infamiae juris canonici cum adnexa irregularitate. Si infamia ad certum tempus reo imposita fuit, hujusce temporis spatio elapso, finem habet, ut patet; quo in casu importat simplex impedimentum ad ordines, non autem veram et proprie dictam irregularitatem. Sed in genere infamia est poena perpetua, quae imponitur absque temporis limitatione; proinde adnexa delicto, non cessat poenitentia aut emendatione; adnexa poenae, non cessat, expleto tempore poenae. Haec omnia repetere debes de irregularitate quae eidem cohaeret. At infamia juris condonari potest ex toto vel ex parte; eaque remissa totaliter, eo ipso finem habet irregularitas, licet possit remanere infamia facti quae pariter arcet ab ordinibus, ut mox dicemus. Per se loquendo posset dispensari irregularitas ex infamia, remanente infamia quoad alios effectus; sed id numquam expediens erit, et ideo si R. P. permittit infamem ad ordines promoveri, putamus tacite infamiam totaliter abrogare, quia supponi nequit ipsum velle infamem ordinari. Solus autem R. P. potest ab infamia juris canonici et consequente irregularitate dispensare tum quoad ordines suscipiendos tum quoad susceptorum ordinum exercitium. Et cum irregularitas in casu sit ex defectu, huc non spectat Conc. Trid., *sess. XXIV, cap. VI, de ref.* (*n. 217*) si occultum est delictum cui adnexa est infamia. At quia irregularitas in casu

(1) In folio S. C. rite admonadvertitur irregularitatem ex defectu lenitatis ne intelligi quidem posse in casu, licet possit verificari irregularitas ex delicto homicidii vel mutilationis. Nam « irregularitas ex defectu lenitatis, ait, ab iis dumtaxat contrahitur qui ad judicium sanguinis, idest ad hominis occisionem vel (ut olim contingebat) ad mutilationem sponte sua et publica auctoritate juste concurrunt, aut ab iis qui in justo bello offensivo hostem occidunt vel mutilant; insuper etiam in his casibus nonnisi mortis aut mutilationis effectu sequuto, irregularitas contrahitur ». Scilicet haec ostendunt quaenam idearum confusio in materia irregularitatum sit quoque apud prudentes.

est dubia, hac ratione episcopus poterit in eadem dispensare (*n. 230*). Demum plures auctores docent irregularitatem propter crimen parentum tolli per ingressum in religionem ; et superiores regulares ex privilegiis concessis a Pio IV et Pio V posse suos subditos dispensare ab irregularitate contracta ex quacumque infamia sive juris sive facti, sive contracta ante ingressum in religionem, sive postea (1). Huc usque de infamia juris canonici eidemque adnexa irregularitate.

305. 2° Infamia *facti tantum* est quando quis famae damnum patitur in opinione gravium et honestorum, quin tamen lege infamia irrogata sit, vel si est irrogata ferendae sententiae, haec sententia nondum prolata est. Proinde non est vera poena lege inflicta propter delictum, sed potius est consequentia naturalis alicujus delicti vel poenae (2). Necesse autem est quod causa hujus infamiae sit publica, quia actualis diffamatio apud graves et honestos ex causa occulta ne intelligi quidem potest. Hinc in *cap.* 21, *De accusationibus*, legitur : « Propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet (judex) cujus apud bonos et graves laesa opinio non existit ». Ex *cap. ult., De temp. ordinat.*, delictum deberet esse ordine judiciario comprobatum vel alias notorium ; sed etiam opinionem delicti vulgatam apud prudentes et honestos, gravibusque indiciis innixam onerare existimationem, ex dicendis constabit (3).

306. Nimirum fundamentum hujus infamiae est peccatum publicum quod, attenta qualitate et statu personae et communitatis intra quam vivit, eam reddit apud graves et honestos abjectae et vilis existimationis (4). In *can.* 3 *et* 17, *c.* 6, *q.* 1, in Decreto, agitur de infamibus in genere sive infamia juris sive infamia facti ; et praeterea ii canones sunt apocryphi. Hanc infamiae notam contrahit et ille qui accusatus de gravi crimine dimissus a judice fuit cum clau-

(1) S. Alph., *VII, n.* 364 ; Salm., *X, VIII, n.* 87, cum aliis.
(2) Thesaurus, *De poenis I, XXXIII*, ab initio ; Suarez, *De virtute et statu religionis, lib. IV, cap. LVI, n.* 21.
(3) Layman, *l. c., n.* 4.
(4) Salm., *X, VIII, n.* 78 ; Layman, *l. c., n.* 3.

sula : *Novis supervenientibus indiciis*, aut : *Ex hactenus deductis*, aut : *Non repertus culpabilis* etc., prout deducitur ex responsione S. C. C. in *Vigilien.*, 23 *Sept.* 1613 ; *Nullius Montis Virginis*, 16 *Febr.* 1788 ; *Beneventana*, 16 *Aug.* 1763 ; *Feretrana*, 15 *Mart.* 1794 ; non vero si a judice declaratus fuit innocens, ut edixit eadem S. C. C. in *Bisacciarum*, 11 *Apr.* 1742, et in *Taurinen.*, 24 *Mart.* 1764 (1). Multo magis accusatus, pendente judicio, promoveri non debet, ut statuit Gregorius IX in *cap.* 56, *De testibus*. Item eamdem infamiam contrahit ille de quo *l. Ea*, *C.*, *Ex quibus causis irrogetur infamia* : « Ea quae pater testamento suo filios increpans scripsit, infames quidem filios jure non faciunt, sed apud bonos et graves opinionem ejus qui patri displicuit, onerant ». Item qui aliquibus poenis juste inflictis mulctatus est etiam a tribunali incompetenti, e. g. clericus qui a tribunali laico judicatus et damnatus est, hac infamia laborat non solum ratione delicti, sed etiam ratione earumdem poenarum. Talis est e. g. poena relegationis, damnationis ad triremes, licet damnatus de facto non remigaverit (*n. 295*), damnationis *aux travaux forcés*, fustigationis, ipsaque poena carceris in nostris moribus. Equidem in *l.* 1, *C.*, *cit. tit.*, legitur : « Infamiae detrimentum minime tibi affertur ob id solum quod in carcerem conjectus es, vel vincula tibi jussu legitimi judicis injecta sunt ». Sed inibi agitur de infamia juris. Hinc in *Lavellana* seu *Romana*, die 6 *Julii* 1726, cum sacerdos damnatus ad triremes ob crimen sodomiae, qui tamen de facto non remigaverat, recursum habuisset ad R. P. pro facultate celebrandi Missam, S. C. C. responsum dedit negativum, licet plures circumstantiae in ejus favorem concurrerent. E contrario eadem S. C. similes preces admisit in *Comensi*, *Dispensationis*, die 14 *Martii* 1671. Item omnes infames infamia juris civilis, sive delicto sive poenae adnexa, sunt infames in jure canonico infamia facti, si a sacris canonibus infamia juris specialiter notati non sunt (*n. 290*). Alias diximus etiam illos qui in veteri Ecclesiae disciplina publicam agebant poenitentiam, aliqua infamia facti laboravisse (*n. 186*).

(1) Pignatelli; *tom. VII, cons. XIX, n.* 7.

307. E contrario infames infamia proprie dicta non sunt abjectam artem exercentes quae nec peccatum, nec peccati ullam praesumptionem involvit, e. g. aurigae, cursores, citharoedi, lyristae, macellarii, satellites (*gendarmes*), cloacas emundantes, pelles expurgantes, etc. (1). Nam apud graves et honestos solum peccatum gravat existimationem, cum, ut Aristoteles dicit, 1° *Ethic.*, *cap. IX*, et S. Thomas, 2, 2, *q.* 63, *a.* 3, soli virtuti honor debeatur. Patet autem hos omnes, dum artem retinent et exercent, promoveri non posse ex ipsomet jure naturae, arte impeditos licet non infamanti. Exercitium artis histrionis, si peccatum secumfert, e. g. quia repraesentationes turpes sunt, aut peccati praesumptionem, inducit infamiam facti, secus non inducit (2). Tandem illegitimi, daemoniaci, laborantes morbis physico-moralibus de quibus supra, carnifex ejusque familia, etc., non laborant infamia nisi latissimo sensu, quia per se non sunt improbi.

308. Ex dictis intelligitur hanc infamiam facti admittere varios gradus, seu diminutionem bonae famae apud graves et honestos posse esse gravem vel levem. Quae gravitas vel levitas considerari debet non solum absolute sed etiam relative ad gradum in quo persona reperitur, aut ad quem persona aspirat. Nam nonnulla delicta bonam existimationem apud prudentes et honestos graviter laedunt pure et simpliciter ; e. g. homo cujuscumque conditionis qui furtum magni momenti commisit absque circumstantiis attenuantibus, in publica opinione est infamis in ordine ad om-

(1) Suarez, *disp. XLVIII, sect. III, n.* 1 ; Salm., *X, VIII, n.* 84 ; S Alph., *VII, n.* 363, cum aliis contra Ferraris, *Bibliotheca, etc., v. Irregularitas, n.* 12, qui citat *Clem.* 1, *De vita et honest. cleric.*, ubi hujusmodi artes clericis prohibentur ; sed quid inde ? In *Carthagin.*, 10 *Maii* 1755, vicarius generalis dimissorias homini probo et ex legitimo matrimonio nato denegavit ex eo quod filius et nepos esset obstetricum, quarum ministerium pro tam vili et abjecto haberi dicebat ut de opprobrio et aversione reliquorum clericorum timendum esset. S. C. C. censuit dimissorias esse concedendas. Vide etiam *n° 475.*

(2) S. Alph., *l. c.* Jure Romano infamia juris notatur ille qui quaestus causa histriones ac ludos agunt, vel in privatum certamen descendunt, ex *l.* 3, *ff., De iis qui notantur infamia*, vel operam suam locant ad pugnandum cum bestiis, ex *l.* 1 *ff., De postul.*

nes effectus. E contrario nonnulla delicta graviter minuunt bonam famam hominis constituti in aliquo gradu qui potiorem sanctitatem requirit, non vero alterius. Ita e. g. fornicatio aut ebrietas a sacerdote commissa reddit ipsum vilis et abjectae existimationis, ab altitudine sui gradus veluti decisum ; commissa a laico ipsum reddit indignum statu clericali, non vero infamem ut laicum (1). Pariter nobilis qui adit postribula, episcopi qui assuetus est mendaciis vel irae, opinio apud prudentes gravatur ; non item hominis de plebe in suo statu remanentis. In concreto prudens vir, et si agitur de ordinatione, episcopus, videbit utrum bona existimatio graviter, an leviter laesa sit.

309. Porro infamia facti eadem impedimenta ex jure canonico producit ac infamia juris. Nimirum arcet a dignitatibus, ex *cit. reg.* 87 *juris*, *in 6°*, quae etiam infames infamia facti comprehendit, sicut *cit. l.* 2, *C.*, *De dignitatibus*, ita tamen ut collatio beneficii facta infami in sola opinione proborum juxta plures sit valida, etsi illicita et irritanda ; quod confirmari videtur ex *cap.* 11, *De excessibus praelatorum*. Item removet ab actibus legitimis et publicis muneribus. Tandem prohibet ab ordinibus suscipiendis et susceptorum exercitio : ut ex juribus supra citatis probatur. Nonne ipse S. Paulus, in 1ª *ad Tim.*, *V*, praecipit : *Oportet autem illum* (ordinandum) *et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli* ? Quamquam vero hoc in loco *qui foris sunt* sint infideles (2), tamen non immerito S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 9, *in* 1 *ad Tim.*, subdit : « Quod si ab hostibus habere testimonium convenit, multo magis ab amicis ipsis », idest a fidelibus. Multi autem auctores jure censent infamiam facti per se non prohibere exercitium ordinum susceptorum, e. g. presbyterum notarie fornicarium, obtenta peccati remissione per absolutionem sacerdotalem, posse, saltem remoto scandalo, Missam celebrare, nisi cen-

(1) Layman, *l. c.*, *n.* 3 ; D'Annibale, *I*, § 121, *not.* 20.

(2) Sensus est : ordinandum debere esse intemeratae famae apud infideles ne in opprobrium incidat apud ipsos, et ita ipsis sit laqueum diaboli.

sura aliqua impediatur (1). Ex his jam patet in casu non esse veram et proprie dictam irregularitatem (*n. 171*).

310. Infamia facti ideoque et consequens impedimentum ad ordines plerumque cessat per eam vitae emendationem quae maculas prioris non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum detergit, ita ut sinistrae famae successerit bona existimatio apud graves et honestos. Proinde necesse est ad tollendam infamiae notam ut poenitentia peragatur in loco commissi delicti, prout tradit folium S. C. C. in *Terulen.*, *Beneficii*, 3 *Julii* 1662, et in *Ferrarien.*, *Praesentationis et admissionis in collegium*, 25 *Jan.* 1851. Nonnulli docent hanc poenitentiam durare debere biennio vel triennio, ex *cap.* 2, *De clerico non ordinato ministrante*, quod nihil probat. Igitur prudentiae episcopi remittitur judicare quandonam nova vita infamiam reipsa deleverit. Diximus *plerumque* infamiam facti vitae emendatione cessare ; nam infamia quae oritur ex nonnullis gravioribus delictis et poenis raro admodum in publica opinione ita deletur ex contraria vita ut vir ad ordines promoveri valeat sine admiratione et scandalo, e. g. vir qui ob grave facinus damnatus fuit aux *travaux forcés*. In *cap.* 4, *De judiciis*, legitur : « De adulteriis vero et aliis criminibus quae sunt minora, potest episcopus cum clericis post peractam poenitentiam dispensare ». Sed his verbis Alexander III vult tantum significare episcopum posse a puniendis his criminibus abstinere, peracta poenitentia. Qui laborat infamia juris civilis juste inflicta, dum haec poena perdurat, numquam erit aptus ad ordines suscipiendos (2) ; condonata autem poena, fieri potest ut infamia facti remaneat. Tandem infamiam facti, cum non sit poena positiva (*n. 305*), non posse a superiore remitti, evidens est ; et nec semper ipsa baptismatis susceptione cessat (*n. 188*).

311. Ex dictis solvi potest quaestio, num illicita Missae

(1) Bonacina, *disp. VII. q. III. punct. I, n.* 4, cum Azor, 2 *p.*, *l.* 6, *c.* 7, *q.* 3 ; quos non reprehendunt Salm., *X. VIII*, *n.* 76, et S. Alph., *VII*, *n.* 362 ; Reiff., *V, XXXVII*, *n.* 76.

(2) Schmalz., *V, XXXVII*, *n.* 175.

iteratio irregularitatem inducat ; de qua in nonnullis statutis dioecesanis.

312. In primis certum est contra Majolum, *lib. III, cap. XI*, § *Propterea*, binationem illicitam per se, idest praescindendo ab infamia, irregularitatem non parere, cum id nullibi inveniatur in jure expressum (1).

313. Videamus igitur utrum hoc delictum infamiam ideoque irregularitatem secumferat. Et quidem si delictum est publicum, non est dubium sacerdotem contrahere infamiam facti. Proinde quaestio est tantum de infamia juris.

314. Nonnulli putant hoc delictum semper notari etiam infamia juris, quia quodlibet delictum *publicum*, in quo nempe quilibet ad accusandum admittitur, hac infamia notatur ex *l.* 1, § *Qui in judicio, ff., De his qui notantur infamia*, et *can.* 2, § *Porro, c.* 3, *q.* 7, in Decreto (2) ; atqui quaelibet injuria gravis contra religionem et quodlibet crimen dolum continens est publicum (3). Sed haec argumentatio innititur principio, quod infamis infamia juris civilis sit etiam infamis infamia juris canonici ; quod principium fundamento caret, ut supra diximus.

315. Alii censent esse infamem infamia juris canonici sacerdotem qui bis una die celebravit ob lucrum seu duplicem eleemosynam acquirendam, ut communiter contingit, quia est reus criminis simoniae. Haec doctrina cohaeret his quae diximus *n. 296*. Tantum dubitari potest utrum haec infamia sit latae an ferendae sententiae ; sed ex his quae, *l. c.*, diximus, nos putamus esse latae sententiae. Huc spectant sequentes duae responsiones S. C. C.

316. Prima habetur in *Senensi, Irregularitatis*, quam per extensum refert Pignatelli, *l. c.*, his verbis :

« Super libello per SSmum D. N. ad hanc S. C. remisso, quo N. N. parochus ecclesiae S. Eugeniae supplicavit redintegrari ad facultatem celebrandi Missam a qua fuit suspen-

(1) Thesaurus, *De poenis, v. Missa, cap. V.*

(2) Hic canon refert dispositiones juris civilis Romani ; et cit. paragraphus *Porro* ad rem non facit.

(3) Thesaurus, *l. c.* ; Pignatelli, *tom. VII, cons. XLIII.*

sus ex eo quod duas Missas eodem die pluries celebravit, archiepiscopus auditus ita refert :

» N. N., curatus ecclesiae parochialis S. Eugeniae, accusatus quod pluries Missas eodem die celebraverit avaritiae causa, convictus et confessus, prout ex processu apparet, condemnatus fuit a Vicario Generali in poenam carceris ad biennium et suspensus a celebratione Missarum. Pluribus transactis mensibus, cum infirmitatibus angeretur, commutatus fuit carcer formalis et assignata domus privata pro carcere. Sed cum mala valetudine laboret, aeris et coeli variatione indigere asseritur : idque illi indultum fuisset, mutato carcere in exilium extra dioecesim. Hoc tamen ad effectum perduci non potest, cum non habeat unde se alat, oeconomo apposito ad regendam curam animarum, cujus annui fructus scuta triginta monetae non excedunt ; ipsique alimenta praestantur a consanguineo paupere cum maximo sui incommodo, non habens pro alimoniis sui ipsius et propriae familiae. Ob idque ut in exilium missus ipse sibi ex victu provideat, instat restitui ad celebrationem Missarum ; quod nonnisi a Sede Apostolica obtinere posse dignoscitur, ex quo sit irregularis effectus ob infamiam, prout affirmat novissime Pignatellus, *tom. IV, cons. can. I*, ac super ea dispensatione indigeat. Quam eidem indulgeri posse censetur, cum jam plura poenitentis animi signa dederit ita ut novus lapsus probabiliter non sit pertimescendus. In dioecesi tamen celebrare pro nunc non permittendum ex eo quod tale facinus, a populo existimatum gravissimum, maximum induceret in rudibus scandalum, cum factum sit notorium et delinquens publice diffamatus ; quae circumstantiae non militant in longinquis regionibus.

» His in postrema Coge per summarium relatis orta fuit quaestio an orator dici possit irregularis et propterea injunctum efformari dubium cui Emi Patres respondere dignabuntur, nempe :

» Primo, an orator praefata ex causa in irregularitatem inciderit : Et quatenus affirmative ;

» Secundo, an cum eo sit dispensandum.

» Die 16 *Nov.* 1686, S. C. .... censuit cum oratore esse

dispensandum infra tempus archiepiscopo benevisum ».

317. Altera est in *Placentina, Irregularitatis*, quae ex archivio S. C. desumpta ita se habet :

« Humillimas porrexit preces... Fabius Agosti, sacerdos loci Curtis-Majoris hujus dioecesis, exorans pro absolutionis beneficio ab irregularitate incursa ex eo quod ex motivo lucri duplicem stipem recipiendi, duas Missas per duas vices eadem die celebraverit tum Placentiae tum Cremonae. Episcopus Placentinus desuper informans, preces confirmando, refert oratorem, praemissa de causa, pendente processu, vim justitiae evasurum, demigrasse ab ea dioecesi, et Cremonam se recepisse ; inibique ex extrajudiciali notitia sibi constare, inquit Relator, in aliud simile facinus, unica die bis celebrandi reincidisse ; qua de re carceratum in illo foro episcopali, postmodum, concordato Fisco, fuisse relaxatum ; censet nihilominus, attenta ejusdem oratoris natalium honestate et inopia, precibus indulgendum.

» Pariter episcopus Cremonensis informare jussus refert, antedictum oratorem carceribus fuisse mancipatum a sua curia episcopali ex eo quod sine litteris testimonialibus sui sacerdotii per plures dies sacrum peregerit sub ementito nomine Francisci Alusii, nullisque aliis contra eum resultantibus indiciis, relaxatum fuisse, poena pecuniaria imposita piis locis eroganda, et praecepto eidem facto de discedendo, recto tramite, ab ea dioecesi ; nec de duplici celebratione unica die per eum habita aliquid sibi innotuisse, fatetur Informans. Quocirca orator ipse advertens ex errore curialis in Urbe qui preces efformat, narratum fuisse geminam Missae celebrationem eadem die Cremonae, quemadmodum Placentiae contigit, preces obtulit pro gratia. Quibus recitatis, sub die 17 *Aug.* 1707 rescriptum fuit ut poneretur in folio, easque renovat orator, ob ejus maximam paupertatem informare vetitus. Hinc proponuntur EE. VV. bina dubia decidenda :

» Primo, an orator incurrerit in irregularitatem ?

» Secundo, an sit absolvendus in casu ?

» Die 9 *junii* 1708, Sacra etc. censuit expectandum esse

exitum causae et injungendum... episcopo Placentino quatenus procedat ad illius terminationem.

» Vigore hujus rescripti Vicarius Generalis Placentinus sententiam definitivam in contumaciam oratoris protulit sub die 9 *Febr.* 1709 in hunc tenorem : *Sententiamus etc. ipsum R. Fabium de Augustis processatum, citatum et contumacem, attenta ejus contumacia etc., respectu delicti celebrationis duarum Missarum eadem die Nativitis B. M. V,* 8 *Sept.* 1706, *condemnandum etc., prout condemnamus in poenam carceris per biennium....., et ulterius ex causa ejusdem delicti declaramus eumdem R. Fabium incidisse in irregularitatem.....* Repetit igitur modo easdem preces orator, impotens informare ob ejus paupertatem, pro resolutione dubiorum alias propositorum :

» Primo, an orator incurrerit in irregularitatem : Et quatenus affirmative ;

» Secundo, an sit dispensandus in casu.

» *Die* 11 *Jan.* 1718, Sacra etc. ad 1^um^ respondit affirmative in casu de quo agitur. Ad 2^um^ censuit supplicandum esse post expletam poenam.

» Cum orator subinde preces repetierit pro dispensatione sub motivo quod satisfecerit jam sententiae praedictae, requisita fuit nova episcopi informatio haec referentis : *Cum enim orator, ceteroquin ex honestis et civilibus parentibus progenitus, summa laboret paupertate, cujus intuitu memoratas poenas carceris et pecuniarum ad tenuem eleemosynam cuidam loco pio erogandam, et ad exercitia spiritualia per dies decem in quodam regularium coenobio peragenda, reduxerim, ut de facto jam solvit et respective peregit, et abinde citra castigate se gesserit, sanctissima poenitentiae et eucharistiae sacramenta frequentando, et pueros doctrinam christianam docendo, post lapsum quatuor annorum et quinque fere mensium, in gratiam imminentis festi Natalitii D. N. J. C. veniam mereri*, etc. Hinc orator ipse..... rogat EE. VV. ut..... dignentur gratiam elargiri sub dubio :

» An sit dispensandus in casu, etc.

» Die 14 *Mart.* 1711, Sacra etc. respondit affirmative ; proindeque, attenta relatione episcopi Placentini, censuit, si SSmo D. N. placuerit, per suas litteras apostolicas in forma Brevis eidem episcopo committi posse ut, veris extantibus narratis, et peractis per oratorem exercitiis spiritualibus per alios viginti dies, eumdem pro suo arbitrio et conscientia gratis absolvat, ac cum eo super irregularitate praefata dispenset ».

318. Tandem alii opinantur irregularitate irretiri et sacerdotem qui binans alteram Missam celebravit non jejunus (1). Ratio hujus opinionis non potest esse nisi supra (*n. 314*) indicata ex Thesauro, scilicet quia hoc delictum est contra religionem, ideoque publicum : unde in hac opinione logice foret admittenda duplex irregularitas, altera ex ipsa illicita binatione, altera ex non servato jejunio in Missae celebratione. Sed jam diximus illam rationem solidam non esse. S. C. C. in *Toletana, Irregularitatis*, 25 *Jan.* 1772, in qua praecise sacerdos, illicite binans, alteram Missam celebraverat non jejunus, propositis dubiis : « 1° An constet de irregularitate in casu ; 2° An sit locus dispensationi in casu » ; reposuit : « Ad 1^{um} et 2^{um} esse locum dispensationi arbitrio Ordinarii ad cautelam ».

319. Ex his omnibus concludimus statuta dioecesana infamiam adnexamque irregularitatem decernere non posse in sacerdotes illicite binantes, nisi ad summum pro casu illicitae binationis ob lucrum (2).

B. *De irregularitatibus ex delicto.*

a) De irregularitate ex iteratione baptismatis (3).

320. Ex hoc capite sunt irregulares :

1° Qui rebaptizatur. Doctores passim id probant ex *can.* 65, *dist.* 50, in Decreto : « Neque umquam permittendum ut

(1) Ludovicus de Ameno, *De delictis et poenis, tom. III, tit. VIII, § III, n.* 31 *sequ.*

(2) Boudinhon, *Canoniste Contemporain, Mars* 1892.

(3) Vide canonistas in titulo *De apostatis et reiterantibus baptisma, IX, lib. V Decret.*

rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur ». Hic canon est concilii Carthaginensis V. Praeterea plures sunt canones qui arcent a statu clericali baptizatos aut rebaptizatos ab haereticis (*n. 461, 476*). Quamquam vero in his canonibus sermo sit de rebaptizatis ab haereticis, tamen lex est generaliter intelligenda ; « ita enim et ab omnibus intellecta est et communi usu recepta » ; Suarez, *De sacram. baptismi, q. LXXI, art. IV, n.* 18.

321. 2° Qui ministrat rebaptizanti, ex *cap.* 2, *De apostatis*. Nam Titius infirmus aegritudine longa confectus de consilio quarumdam mulierum, ut citius sanari posset, se fecit iterum baptizari. Quidam vero acolythus, frater infirmi, ministerium praebuit presbytero baptizanti. Quaesitum hinc fuit quomodo puniendus foret clericus iste qui minoris erat aetatis et, ut ejus frater salvari posset, hoc fecerat. Respondet Alexander III « quod ad superiores ordines promoveri (si publicum est quod proponitur), non valebit ; nisi ad religionem transire voluerit ut, favore religionis ipsius, circa eum valeat dispensari. Si vero occultum est, promoveri poterit, et excessum suum dignis poenitentiae fructibus expiare ». Quod vero de acolytho statutum est, hoc ad omnes ministrantes rebaptizanti applicandum esse, nemo dubitat. Nonnulli sub hoc capite comprehendunt et patrinum in altero baptismate, quem proinde dicunt irregularem (1), quia et ipse cooperatur injuriae sacramenti. At plerique censent patrinum ab irregularitate immunem esse, quia irregularitas statuta in ministrantem baptizanti, contra regulas juris ad patrinum extenderetur (2). Saltem patrini irregularitas est dubia ideoque applicari debent quae diximus *n. 162 sequ.*

322. 3° Qui rebaptizat. Id quidem nullibi habetur in jure expressum ; sed traditur a communi sententia omnium DD., nemine dempto (3), ex *cit. cap.* 2, *De apostatis* ; et non immerito, quia officium ministrantis continetur eminenter in

(1) Phillips, *I*, § 55 ; Majolus, *XIV*, *n.* 5.

(2) Barbosa, *Collect. Doct. in lib. V Decret., tit. IX*, *n.* 8 ; Boenninghausen, *I*, *pag.* 96, cum Bonacina, Capono, Sayro, Seitz.

(3) S. Alph., *VII*, *n.* 356 ; Salm., *X*, *VIII*, *n.* 59 ; D'Annibale, *I*, § 410.

officio rebaptizantis, sicuti accessorium in principali (*n. 182*). Ceterum communis sententia confirmatur etiam ex responsione S. C. C., quam *n. 331* referimus.

323. Porro haec irregularitas ex magno crimine rebaptismi statuta est contra errorem rebaptizantium (1) : et profecto maxime dedecet ut qui publice hoc crimine se coinquinavit, ad statum clericalem promoveatur. Attamen haec irregularitas proprie est ex rebaptismo, non autem ex haeresi rebaptizantis, licet ex hac possit alia irregularitas contrahi juxta ea quae infra dicemus de irregularitate ex haeresi. Ut vero hujusmodi irregularitas ex rebaptismate contrahatur, ea strictim verificari debent quae in citatis juribus, hanc irregularitatem continentibus, habentur. Proinde sequentia notanda sunt.

324. 1° Certe ministrans hanc irregularitatem non contrahit, si baptismi iteratio fuit occulta ; ita enim expresse traditur in *cit. cap.* 2, *De apostatis*, etc. Scavini, *III*, *n.* 631, citans alios, putat baptismum solemnem, idest collatum cum caeremoniis Ritualis, etsi occultum, parere ministranti irregularitatem ; quod non admittimus, quia baptismus in *cit. cap.* 2, *De apostatis*, etc., videtur fuisse solemnis (*n. sequ.*), et tamen Alexander III respondet clericum posse promoveri, si delictum fuerat occultum. Probabilius nec rebaptizans irregularitatem contrahit ex rebaptismate occulto : nam sub acolytho ministrante communis interpretatio intelligit etiam rebaptizantem (2). Ad rem Suarez, *De sacram. bapt.*, *l. c.* : « Haec irregularitas non est alibi in jure expressa nisi in illo textu (*cit. cap.* 2), neque in illo distincte traditur de rebaptizante, sed solum de acolytho ministrante, et sub illo intelligimus etiam personam rebaptizantem : ergo sub eadem distinctione et limitatione exponenda est, quia nullum est

(1) Suarez, *De sacram. baptismi, disp. XXXI, sect. VI, n.* 17 ; *De censuris, disp. XLII, sect. IV, n.* 18 ; Vecchiotti, *III*, § 41.

(2) Salm., *X, VIII, n.* 60 ; Suarez, *De sacram. bapt., disp. XXXI, sect. VI, n.* 9 ; Pirhing, *V, IX, n.* 13 ; D'Annibale, *I*, § 410 ; Gibalinus, Seitz, etc. contra Barbosa, *Collect. Doctorum, lib. V Decret., tit. IX, cap. II, n.* 2 ; Thesaurum, *II, I, n.* 1 ; Gavantum, *Manual. Episc.*, *v. Irregularitas* ; Boenninghausen, *I, pag.* 95 ; Pignatellum, Corradum etc., cum aliis.

in jure fundamentum ad aliam extensionem in una persona potius quam in alia faciendam ». Haec ratio solidissima est, ideoque haec doctrina videtur revera probabilissima tum intrinsece tum extrinsece, quam proinde episcopus sequi tuto potest. Quid tandem de rebaptizato ? Ipse contrahit necne irregularitatem ex rebaptismate occulto ? Communis sententia affirmat. At cum D'Annibale, *l. c.*, et Salmanticenses, *l. c.*, doceant in genere occultam baptismatis iterationem non parere irregularitatem, ac revera ministrans, rebaptizans et rebaptizatus aequali jure aestimandi videantur, et tandem haec irregularitas in jure expressa non sit, fortasse quis non immerito irregularitatem in casu habere poterit uti dubiam. Patet vero baptismi *iterationem* occultam esse, si vel uterque vel alteruter baptismus fuit occultus ; et ideo ad irregularitatem ministrantis et rebaptizantis et fortasse etiam rebaptizati requiritur ut uterque baptismus fuerit publicus (1). Quandonam vero publicus dicatur et sit baptismus, collige ex dictis *n. 222*.

325. 2° Cum baptismus, in *cit. cap.* 2, *De apostatis*, fuerit *solemnis*, idest collatus cum omnibus caeremoniis ritualis, (quod ex eo colligitur, quia collatus fuit a presbytero cum ministerio acolythi), nonnulli putaverunt irregularitatem non oriri, nisi alter saltem baptismus fuerit solemnis (2). Valde dubitamus de hujus sententiae probabilitate, nam haec irregularitas inflicta est ob injuriam publicam primo baptismo factam in odium haereticorum rebaptizantium ; atqui haec injuria fit ex ipso rebaptismate, non vero ex ejusdem caeremoniis, et non est probabile haereticos rebaptizantes caeremonias Ecclesiae solitos esse observare.

326. 3° Alterius baptismi collatio debet esse graviter culpabilis, ut irregularitas contrahatur (*n. 191*) ; secus qui graviter culpabilis non est, irregularitatem effugiet, licet alii graviter culpabiles eamdem contrahant. Hinc si infans baptizatus rebaptizatur ante usum rationis, ministrans et

(1) D'Annibale, *l. c.* ; Salm., *l. c.*, *n.* 64, et apud ipsos plures alii.
(2) D'Annibale, *l. c.*, citans Croix. *VII*, 483 ; et Salm., *l. c.*, *n.* 60, qui tamen nomine rebaptismi sine solemnitate intelligunt rebaptismum occultum ; Lehmkuhl, II, *n.* 1006.

rebaptizans sunt irregulares, non vero infans, etsi deinde factus adultus rebaptizationem culpabiliter ratam habeat. Quod si Felix III, in *can.* 10, *c.* 1, *q.* 7, in Decreto (*n. 476*), statuit esse irregularem qui in *qualibet aetate* alibi quam in Ecclesia Catholica baptizati aut rebaptizati sunt, id intelligendum est de qualibet aetate doli capace, uti explicat Glossa, *l. c.*, *v. qualibet aetate*. Idem dicatur de adulto qui ignoranter, vel dum non est sui compos iterum baptizatur. Obstare videtur *can.* 117, *De consecr.*, *dist.* 4, in Decreto, ubi legitur : « Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo poenitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat ». Glossa, *l. c.*, *v. ordinari*, varias refert explicationes ; sed responsio clarior est, hunc canonem ex poenitentiali Theodori desumptum vim legis non habere. Item pro nemine est irregularitas, si Titius revera erat baptizatus, sed parochus, volens supplere caeremonias, distractus rursus materiam adhibuit et formam pronuntiavit. Pariter si post diligentem inquisitionem habetur moralis certitudo, licet falsa, baptismum non fuisse collatum, aut baptismum collatum non fuisse validum, et ideo parochus absolute baptizet, non est irregularitas. Quid vero si aderat probabilis dubitandi ratio, et baptismus collatus fuit non sub conditione, sed absolute ? Certe parochus graviter per se peccavit ; sed non putamus contraxisse irregularitatem, quia ejus peccatum est potius ob omissam conditionem, quam ob iteratum baptisma, et non est certum ipsum rebaptizavisse. Quod si nulla aut futilis erat dubitandi ratio, irregularitatem contrahit (1). Hoc ad minus probat responsio S. C. C. in *Firmana*, *Dispensationis ab irregularitate*. Nam parochus puerum, a medico rite baptizatum, rursus baptizavit sub conditione : insuper pluries infantes ab obstetrice baptizatos rebaptizavit absolute, et quidem licet de collati baptismatis validitate dubitari serio non posset. Cum vero dispensationem ab irregularitate peteret, proposito dubio : « An locus sit dispensationi ab irregularitate » ; S. C. reposuit die 28 *Apr.* 1781 : « Affirmative, facto verbo cum SSmo ».

(1) Suarez, *De sacram. bapt.*, *disp.*, *XXXI*, *sect. VI*, *n.* 13 *sequ.*

327. 4° Si utrique vel alterutri baptismo aliquid essentiale desit sive ex parte materiae, sive ex parte formae, sive ex parte intentionis ministri, non habetur proprie dicta *rebaptizatio* in sensu stricto, qualis requiritur ad irregularitatem contrahendam, et ideo hanc nemo contrahit. Ita e. g. si alteruter baptismus collatus fuit vino, aut forma substantialiter corrupta, aut a ministro non habente intentionem baptizandi, licet in hoc casu irregularitas sit pro foro externo. Imo si prior baptismus fuit modo praedicto nullus, irregularitas evitatur, etsi in altero baptismate baptizans, ministrans, baptizatus illum putaverint validum (*n. 191*). Hic vero accuratius examinandum est num irregularitas exurgat ex rebaptismate sub conditione.

328. Si parochus, post diligentem inquisitionem, habens probabilem dubitandi rationem de collatione baptismatis, vel de collati baptismatis validitate, e. g. quia obstetrix quae baptizavit, saepe formam graviter corrumpit et modo. omnibus perpensis, non constat utrum in illo casu recte verba protulerit necne, si, inquam, in his circumstantiis baptismum iterum solemniter confert sub conditione, profecto non solum irregularitatem effugit, sed plane suo officio satisfacit.

329. Si parochus non habet probabilem dubitandi rationem, e. g. si obstetrix quae baptizavit, est prudens et edocta, sed tamen parochus rursus baptismum confert sub conditione eo quod de baptismo ab obstetrice dato semper dubitari potest (1), nemo parochum a peccato mortali excusat ; sed quoad irregularitatem gravis est doctorum controversia. Si parochus conditionem apposuit, non interne eidem consensum alligans, sed externe tantum in fraudem legis, certum est in irregularitatem incidere (2). Si vero etiam interne, sententia pro irregularitate est extrinsece probabilior propter auctoritatem tum Benedicti XIV in *Inst. Ecc. VIII*, *n.* 6, et *LXXXIV*, *n.* 9 *sequ.*, in *Casibus conscientiae* citatis, et in

(1) Vide *casus conscientiae de mandato olim Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Prosperi Lambertini Bononiae Archiepiscopi, deinde Sanctissimi D. N. Papae Ben. XIV propositos*, *t. I*, *an.* 1737, *men. Martii*, *cas.* 3.

(2) D'Annibale, *I*, § 410, *not.* 17.

opere *De Syn. dioec.*, *VII*, *VI*, *n.* 2 *et* 3; tum Catechismi Concilii Tridentini, *p. II*, *cap. II*, *q.* 56; tum S. Caroli Borromaei, apud Benedictum XIV, *De syn.*, *l. c.*, *n.* 3, et plurium aliorum auctorum (1). Insuper haec doctrina graviter confirmatur ex relata responsione S. C. C. in *Firmana*, si admittamus, prouti admittendum esse videtur, parochum baptismata iterasse sub conditione. His non obstantibus, sententia contra irregularitatem videtur esse probabilis tum extrinsece propter auctoritatem gravium auctorum qui eam sustinent, tum intrinsece, sive quia per conditionem excluditur error rebaptizantium in quem haec irregularitas lata est (*n. 323*), et peccatum minuitur; sive quia si prior baptismus subsistit, alteri deficit elementum essentiale, nempe intentio ministri, et ideo non habetur formalis *rebaptizatio*. S. C. C. in una *Electen.*, 16 *Dec.* 1679, proposito dubio: « An Petrus rector ecclesiae parochialis qui puerum baptizavit sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, incurrerit irregularitatem seu aliam poenam, et an absolutio et rehabilitatio eidem concedenda foret »; reposuit: « Dispensandum ad cautelam cum poenitentiis arbitrio Ordinarii ». Haec responsio cohaeret his quae diximus *n. 163*. At cum irregularitas in casu dubia sit dubio juris, non dubitamus clericum qui rebaptizavit, posse tuta conscientia se habere uti non irregularem, donec dispensatio obtineatur, quam expedit petere (*cit. n. 163*) (2).

330. Utrum vis physica aut moralis excuset ab hac irregularitate, etsi rebaptizans metum patiens habeat intentionem baptizandi, vide *n. 208*.

331. Non pauci censent hanc irregularitatem ex iteratione baptismi impedire quidem promotionem ad superiores

(1) Giraldi, *I*, *sect.* 614; Ferraris, *Prompta Bibliotheca etc.*, *v. Irregularitas*, *art. I*, *n.* 11; Thesaurus, *De poenis*, *v. Baptisma reiterantes*, *cap. I*, *n.* 1; Majolus, *III*, *XIII*, *n.* 5; Scavini, *III*, *n.* 631; Boenninghausen, *I*, *pag.* 86 *sequ.* Vide folium S. C. C. in *cit. Firmana*, *Dispensationis ab irregularitate*.

(2) Suarez, *De censuris*, *disp. XLI*, *sect. I*, *n.* 1; S. Alph., *VII*, *n.* 356, *probabiliter*; Schmalz., *V*, *IX*, *n.* 36; Reiff., *n.* 37; Pirhing., *n.* 13; Salm., *X*, *VIII*, *n.* 61, *probabilius*; D'Annibale, *l. c.*; Lehmkuhl, *II*, *n.* 1006.

ordines, non vero susceptorum ordinum exercitium, ex *cit. cap.* 2, *De apostatis*.., quod de illa tantum meminit (1). Hanc doctrinam falsam esse, et utrumque hanc irregularitatem prohibere deducitur aperte ex responsione S. C. C. in *Murana*, *Irregularitatis*, 14 *Nov.* 1716. Nam Sacerdos Vitus Malanca in oppido Bellae, absente parocho, baptizavit puellam eadem die natam propter imminens periculum vitae absque debitis caeremoniis. Deinde de licentia parochi in ecclesia parochiali non solum caeremonias supplevit, sed eamdem puellam iterum baptizavit. Episcopus ipsum declaravit irregularem ; sed ipse praetendebat irregularitatem, ex *cit. cap.* 2, *De apostatis*..., esse partialem et impeditivam ascensus ad ordines, non autem privare usu et exercitio ordinum receptorum. Propositis dubiis : « 1° An orator incurrerit irregularitatem ex iteratione baptismi. 2° An sit locus dispensationi in casu » ; S. C. reposuit : « Ad 1^{um} affirmative. Ad 2^{um} affirmative, peractis exercitiis spiritualibus ». Neque aliquid in contrarium probat *cit. cap.* 2, *De apostatis*... ; nam notum est (*n. 165*) irregularitatem directe prohibere ordinum collationem et receptionem ; sed exinde optimo jure deducitur prohibere quoque ordinum receptorum exercitium (2).

332. Haec concludimus triplici animadversione. Prima est hanc irregularitatem toties contrahi, quoties baptismus iteratur in diverso subjecto, non autem in eodem (*n. 197*). Altera est irregularitatem non oriri ex reiteratione confirmationis et ordinis, cum id non inveniatur in jure expressum (3). Phillips, *I*, § 55, post Navarrum et S. Antoninum, gratuito affirmat consuetudinem introduxisse hanc irregularitatem ; nam de hac consuetudine auctores communiter tacent, et revera facile non intelligitur quomodonam ex casu

(1) D'Annibale, *I*, § 410 ; Salm., *X, VIII, n.* 61 ; Lehmkuhl, *II, n.* 1006. probabiliter.

(2) Ben. XIV, *Inst. Ecc. LXXXIV, n.* 13, cum Catechismo Concilii Tridentini, S. Carolo Borromaeo, et Altovito Secretario S. C. C. ; Majolus, *De irreg., lib. III, cap. XIV, n.* 3 ; Ferraris, *l. c., n.* 11.

(3) D'Annibale, *l. c., not.* 22 ; Boenninghausen, *I, pag.* 96 ; Pirhing, *V, IX, n.* 17 ; Schmalz., *n.* 39 ; Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. III, n.* 6 ; Vecchiotti, *III*, § 41.

quam rarissimo consuetudo vim legis habens introduci potuerit. Tandem tertia est ab hac irregularitate unum R. P. dispensare ; sed si admittas ex rebaptismate occulto oriri irregularitatem rebaptizato et rebaptizanti, tunc locus erit decreto Tridentino (*n. 217 sequ*).

b) De irregularitate ex ministerio solemni in ordine non recepto (1).

333. Haec irregularitas aperte traditur in *cap.* 1, *cit. tit.*, ibi : « Si quis baptizaverit aut *aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus*, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, et numquam ordinetur ». Illud *abjiciatur de Ecclesia* videtur indicare excommunicationem ferendae sententiae (2) ; sed illud *numquam ordinetur* manifeste indicat irregularitatem. Accedit *cap.* 2 *ejusd. tit.*, ubi cum diaconus qui manum impositionem non receperat seu non fuerat ordinatus presbyter (3), Missarum celebrationem usurpare praesumpsisset, Urbanus III respondet : « Quod ad sacerdotis officium non poterit promoveri, a diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus ; de beneficio autem misericorditer agatur cum eo, ne sustentatione privatus ad saeculi negotia revertatur ». Haec irregularitas statuta est in exteriorem usurpationem ministerii solemnis ordinis non recepti (4), quia dedecet illum promoveri ad ordinem, qui ordinem usurpare praesumpsit.

334. In primis quaeri solet num hanc irregularitatem contrahat laicus ordines sacros exercens. Nonnulli negant, quia haec irregularitas pro laico non est in jure expressa : quamquam enim in *cit. cap.* 1 dicatur generaliter : *Si quis*, quod etiam laicos comprehendit, tamen cum rubrica tituli sit : *De clerico* etc., et valeat argumentum a *rubro* ad *nigrum*, illa verba videntur ad clericos restringenda (5). Alii

(1) Vide canonistas in titulo *De clerico non ordinato ministrante, XXVII, lib. V Decret.*

(2) Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. IV, n.* 2.

(3) Suarez, *l. c., n.* 13.

(4) Suarez, *l. c., n.* 18.

(5) Lehmkuhl, *II, n.* 1008 ; D'Annibale, *I*, § 411, *not.* 23 ; S. Alph.,

affirmant, quia restrictio nigri ex rubro parum solida est, eo vel magis quod in nonnullis editionibus legitur : *De non ordinato ministrante*, prout notatur in margine editionis corporis juris, qua utimur in scholis (1). Stante autem hac controversia, irregularitas pro laicis dubia est dubio juris. Unde e. g. si laicus solemniter baptizat, Missam celebrat, absolvit a peccatis etc., peccat quidem graviter, sed utrum sit irregularis necne, dubium est ; et ideo applica quae diximus *n. 162 sequ.*

335. Ut vero clericus hanc irregularitatem contrahat, sequentia verificari debent :

1° Ut ministret *solemniter* seu *veluti ex officio* in ordine non recepto ; idest non habens ordinem, ponat actum ordinis reservatum clericis in eo ordine constitutis (*n. 150*). Id clare deducitur ex *cit. cap. 1, cit. tit.*, ibi : « Aliquod *divinum officium exercuerit* non ordinatus » ; officium autem divinum est ministerium potestatis ordinis clericis reservatum (*n. 148*). Hinc si clericus non ordinatus ministret in ordine eo modo quo etiam non ordinati ministrare valent, non fit irregularis ; e. g. si clericus non subdiaconus cantet epistolam sine manipulo, aut si clericus non diaconus evangelium sine stola.

336. 2° Ut hunc actum ordinis ponat ex *temeraria praesumptione*, cum in citatis juribus legatur *propter temeritatem usurpare praesumpsit* ; scilicet ut sciat se illo ordine carere, actum esse proprium illius ordinis, seque illum ponere non posse sub poena irregularitatis, ita ut ab irregularitate excuset quaelibet in his omnibus ignorantia tum invincibilis tum vincibilis, etiam crassa ac supina, et etiam affectata (*n. 204*). Hinc e. g., si quis putat se habere ordinem superiorem quem reapse non habet ex vitio substantiali in ejus collatione, illum exercens non fit irregularis.

VII, *n.* 359 *probabilius* ; Pirhing, *V*, *XXVII* *n.* 4 ; Reiff., *n.* 10 *sequ.* ; Layman, *lib. I, tr. V, part. V, cap. III, n.* 3 ; Schmalz., *V, XXVIII, n. sequ.* cum Schmier, Sayro, Tamburino, Mayr, Maschat, Wiestner, Pichler, Barbosa, Bonacina, Gibalino, etc.

(1) Engel, *V, XXVIII, n.* 1 ; Suarez, *disp. XLII, sect. IV, n.* 2 *et* 10 ; Giraldi, *I, sect.*, 805 ; Navarrus, *XXVII, n.* 242 ; Boenninghausen, *I, pag.* 192.

Multo minus si quis actum ordinis quem non habet, licite ponit ex legitimo privilegio aut consuetudine.

337. 3° Ut illum ordinis actum ponat serio ; si enim agit per jocum aut per modum scenicae artis, non censetur in ordine ministrare aut ordinem exercere, sed potius ordinis ministerium repraesentare, quod est quidem peccatum, sed irregularitatem non producit. Quid si agit simulate ? In his quae ex intentione agentis statum non capiunt, certum est non effugere irregularitatem ; e. g. si clericus non subdiaconus cantat epistolam cum manipulo, vel clericus non diaconus cantat evangelium cum stola, sed non vult id facere tamquam subdiaconus vel diaconus (1) ; item si clericus non sacerdos audit peccata in confessionali, sed non vult ea audire ut confessarius ; aut si quis ponit caeremonias baptismi, ordinationis, confirmationis etc., sine intentione easdem ponendi. In his vero quae ex intentione agentis valorem juridicum sumunt, prouti est e. g., absolutio ipsa sacramentalis, ipsa confirmatio, ordinatio, etc., D'Annibale, *I*, § 111, *not.* 29, censet irregularitatem effugere, male citans S. Alph., *VII*, 336 ; sed contradicit Suarez, *l. c.*, et verius, quia lex in casu solum intendit afficere exteriorem usurpationem ministerii ordinis, (*n. 323*), ad quam sufficit voluntas faciendi exterius ministerium, etiamsi fiat sine intentione necessaria ad sacramentum. Unde rite advertit Suarez, *l. c.*, *n.* 18 : « In quo est magna differentia inter hanc legem et eam quae punit rebaptizantem vel haereticum ; nam hae directe intendunt punire haeresim vel explodere errorem, et ideo requirunt animum seu intentionem veritati contrariam ; haec vero lex solum intendit punire sacrilegium quod committitur in usurpatione ministerii alicujus ordinis ; ad quam usurpationem sufficit voluntas faciendi exterius ministerium, licet fiat sine intentione conficiendi sacramentum, quae moraliter impossibilis est sine errore ». Stante autem hac controversia, irregularitas dubia erit dubio juris, ideoque vide *n. 162 sequ.* Ceterum casus practicus numquam

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 17 *sequ.*, contra Navarrum, cujus opinio videtur prorsus improbabilis.

verificabitur, quia numquam ministratur sacramentum ex officio, quin caeremoniae fiant quae certe specialem agentis intentionem, ut supra dictum est, non exigunt ad irregularitatem producendam.

338. 4° Tandem ut ille actus ordinis non sit parvi momenti ita ut peccatum sit leve ex parvitate materiae (*n. 191*).

339. His positis ad aliquas applicationes practicas descendentes et a baptismo incipientes dicimus neminem esse irregularem, qui baptismum privatim sine caeremoniis Ritualis confert (*n. 335*); item nec laicum qui baptismum confert solemniter (*n. 334*). Quid vero si hoc faciat clericus? Ex una parte certum est sacerdotem numquam contrahere irregularitatem, etsi peccet graviter, si nec est parochus aut Ordinarius, nec licentiam obtinuit a parocho aut Ordinario; ex alia autem parte certum pariter est subdiaconum aliosque inferiores clericos semper esse irregulares et peccare graviter, nisi licentiam habuerint a R. P., qui solus ipsis eam dare potest. Quaestio igitur est de diacono; qui in sua ordinatione recipit potestatem baptizandi solemniter, sed pro ejus exercitio indiget licentia parochi aut Ordinarii; de qua re in *cap. VI*. Jam vero si diaconus solemniter baptizat cum legitima licentia, certe non contrahit irregularitatem, nec ullatenus peccat: secus, praeter peccatum mortale quod committit juxta omnes, contrahit in sententia communi irregularitatem; quod sententia minus communis sed verissima negat. Nam cum diaconus in sua ordinatione receperit potestatem solemniter baptizandi, solemniter baptizans exercet potestatem ordinis quem habet, etsi peccet defectu jurisdictionis. Ad rem D'Annibale, *I*, *l. c.*, *not.* 23: « Nihilominus sententia communis putat heic diaconum fieri irregularem, quippe qui ordinatur ad baptizandum, sed ex commissione episcopi vel sacerdotis. Ita porro: verum commissio jurisdictionem dumtaxat confert, neque conferre aliud potest; numquid presbyteri non ordinantur ad absolvendum ex approbatione et commissione Ordinarii »? Igitur *cit. cap.* 1, *cit. tit.*, intelligendum est de clericis solemniter baptizantibus, ut notat Glossa, *l. c.*, *v. Si*

quis baptizaverit, et quidem de clericis infra diaconatum (1).

340. Clericum non sacerdotem qui confert sacramentum confirmationis, irregularem esse nemo dubitare potest. Sed idem dicendum de sacerdote in Ecclesia Latina, qui hoc privilegium a R. P. non obtinuit. Nam si quis ordinatione sacerdotali haberet potestatem administrandi hoc sacramentum, et deinde R. P. per privilegium permitteret illius exercitium, sequeretur plane sacerdotem confirmantem sine obtento privilegio non evadere irregularem. Sed non ita esse, ex eo apparet, quod confirmatio taliter collata est certe nulla : unde dicendum sacerdotem sua ordinatione non assequi nisi capacitatem seu habilitatem ad hoc privilegium a R. P. recipiendum et ideo confirmantem sine hoc privilegio exercere potestatem ordinis episcopalis quem non habet, et ita irregularitatem contrahere (2).

341. Clericum non sacerdotem qui Missam celebrat, esse irregularem, tradit expresse *cit. cap.* 2, *cit. tit.* (3) Sacerdos vero ministrans eucharistiam numquam est irregularis, etsi nec parochus aut Ordinarius sit, nec ipsorum licentiam habeat, nec necessitas urgeat, ideoque a peccato non excusetur. Item nec diaconus aliique inferiores clerici in casu extremae necessitatis ministrantes eucharistiam etiam absque commissione parochi aut Ordinarii, quia licite agunt. Item ob eamdem rationem nec diaconus ministrans eucharistiam in casu gravis necessitatis ex commissione parochi aut Ordinarii. Quid vero si diaconus extra casum extremae necessitatis ministrat sine commissione parochi aut Ordinarii : vel extra casum gravis necessitatis ministrat etiam cum commissione parochi aut Ordinarii, sine commissione R. P. ? Certe peccat mortaliter ; et communis sententia est fieri irregularem (4) ; quod tamen merito negatur ob rationem

(1) Boudinhon, in ephemeride *Canoniste contemporain*, mense Decembri 1890.

(2) Suarez, *De censuris*, *disp. XLII*, *sect. IV*, *n.* 7 ; Pirhing, *V*, *IX*, *n.* 3 ; Schmalz., *n.* 19 ; Lehmkuhl, *II*, *n.* 1008.

(3) Vide S. C. C. in *Foroliviensi*, *Dispensationis ab irregularitate*, 17 *Febr.* 1816, in qua subdiaconus Missam celebravit.

(4) S. Alph., *VI*, *n.* 234, plures alios citans.

allatam in casu baptismatis. Ad rem Suarez, *De censuris, disp. XI, sect. III, n. 24* : « Nam defectus qui ibi intervenit magis pertinet ad defectum jurisdictionis quam ordinis : diaconus enim ex vi suae ordinationis recipit potestatem ministrandi hoc sacramentum a presbytero confectum, ac proinde cum subordinatione ad ipsum, apud quem est propria potestas in corpus Christi verum et mysticum. Haec autem subordinatio ad quemdam modum jurisdictionis pertinere videtur ; nam quod est ordinis ex vi characteris habetur. Et ideo diaconus, dispensans eucharistiam sine facultate presbyteri, exercet proprie actum sui ordinis, neque id est separabile a tali actu, etiamsi absque competenti jurisdictione fiat ». Alii autem clerici infra diaconum, ministrantes eucharistiam extra casum extremae necessitatis, semper contrahunt irregularitatem. Haec clariora erunt ex dicendis in *cap. VI* de potestate ordinis diaconorum.

342. Sacerdos qui sine approbatione Ordinarii dat absolutionem sacramentalem, certe non est irregularis, quia exercet ordinem quem habet, etsi illicite ac invalide propter defectum jurisdictionis (1). At clericus non sacerdos audiens confessionem et concedens absolutionem, foret certe irregularis. Quid vero si audit tantum confessionem in tribunali poenitentiae, sed deinde absolutionem recusat, aut simulat? Plures censent irregularitatem non effugere, quia audiens confessionem in confessionali, eo ipso exercet functionem reservatam ordini sacerdotali quem non habet (2). Dubitari autem potest num ipse contrahat irregularitatem, si, quin audiat confessionem in confessionali, absolutionem simulat. Si formam absolutionis sacramentalis pronuntiat cum animo non absolvendi, putamus irregularitatem contrahere (*n. 337*) ; si formam absolutionis non profert, sed absolutionem simulat per signa, non contrahit irregularitatem, quia reipsa non ponit actum ordinis sacerdotalis.

343. Diaconus et alii clerici inferiores irregularitatem

(1) S. Alph., *VII, n.* 359 ; D'Annibale, *I*, § 441, *not.* 23 ; Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. IV, n.* 14.

(2) Suarez, *l. c., n.* 19 ; Pontas, *v. Irregularitas* ; Mayr, Boenninghausen, aliique.

contrahunt, si sacramentum extremae unctionis administrant : sacerdos vero qui cum non sit parochus nec Ordinarius, infirmum inungit sine licentia parochi aut Ordinarii, per se peccat quidem mortaliter, sed irregularitatem effugit, ut patet.

344. Est pariter absque dubio irregularis clericus non episcopus qui sine privilegio R. P. ordines confert etiam minores et primam quoque tonsuram. Imo putamus esse irregulares etiam abbates et presbyteros qui privilegio jam extincto utuntur, vel extra ejusdem limites, quia revera juxta meliorem sententiam ipsi exercent ordinem episcopalem quem non habent ; de qua re fusius in *cap. V*. Sed fortasse ob contrariae sententiae probabilitatem eorum irregularitas erit dubia.

345. Assistentia matrimonio, cum non sit actus ordinis, nequit ullo in casu irregularitatem inducere ; num vero ex nuptiali benedictione clericus non sacerdos irregularis fiat, collige ex dicendis *n. 350*.

346. Haec de administratione sacramentorum. Modo ad aliud exercitium ordinum transeuntes, dicimus tonsuratum qui ministrat in ordinibus minoribus vel cantat epistolam sine manipulo, evangelium sine stola, non esse irregularem ; quia in praesenti disciplina actus minorum ordinum in genere non reservantur constitutis in ipsis ordinibus, sed etiam a laicis poni possunt, sicuti cantare epistolam sine manipulo non reservatur subdiacono, et cantare evangelium sine stola non reservatur diacono. At irregularitas contraheretur, si actus ordinis minoris est reservatus constitutis in eo ordine, et clericus non constitutus in eo ordine illum ponit (1). Hypodiaconum vero agere cum manipulo, diaconum cum stola, secumfert irregularitatem illi qui non est subdiaconus aut diaconus (2). Vide *n. 150*.

347. Clericus non diaconus, hebdomadarius in choro, qui canit orationem cum *Dominus vobiscum*, peccat, quia usur-

(1) Schmalz., *V, XXVII, n.* 16 ; Reiff., *n.* 9 ; Pirhing, *n.* 9 ; Navarrus, *XXVII, n.* 242, *dist.* 7 ; Suarez, *De censuris, disp. XLII, sect. IV, n.* 15.

(2) S. Alph., *VII, n.* 359 ; Salm., *X, VIII, n.* 68 ; D'Annibale, *I*, § 411.

pat functionem diaconi, sed peccatum est leve, et ideo irregularitatem effugit (*n. 174*) (1) : multo magis si id dicit dum officium privatim recitat.

348. Si ordinatio fuit certe nulla ex vitio substantiali, clericus, exercens ordinem, est per se irregularis. Contrarium dici debet si ordinatio fuit certe valida, omisso ritu non substantiali : attamen in hoc casu, si ritus omissus talis est ut suppleri debeat, exercens ordinem ante peractum supplementum, graviter peccat, de qua re alias. Tandem si ordinatio est dubia, etiam irregularitas dubia est ; sed in hoc dubio grave esset ordinem exercere, praesertim si agatur de celebratione Missae et administratione sacramentorum. Quandonam vero ordinatio dicenda sit certe valida, vel certe irrita, vel dubia, desumere debes ex *cap. V* ; insuper quoad episcopatum, vide *n.* 22 *sequ.* Suarez, *l. c.*, *n.* 11 *sequ.*, et post ipsum Schmalz., *l. c.*, *n.* 14, aliique, censent sacerdotem qui post traditionem instrumentorum in sua ordinatione non recepit ultimam manuum impositionem, esse irregularem, si absolvit a peccatis, quia potestatem absolvendi non habet ; sed probabilius non esse irregularem, si Missam celebrat, quia potestatem sacrificandi habet. Hoc alterum admittimus ; sed in primo casu putamus irregularitatem habendam esse uti dubiam ; quia non est certum, uti auctores citati supponunt, hunc sacerdotem carere potestate absolvendi, cum potius probabilius sit ipsum utramque potestatem sacrificandi et absolvendi recepisse in prima manuum impositione. Sed de hoc fusius suo loco.

349. Quid vero si clericus ordinem per saltum recepit ? Si ministrat in ordine recepto, peccat quidem, sed certe non contrahit irregularitatem, quia ministrat in ordine quem habet. Attamen si, praetermisso presbyteratu, consecratus fuit episcopus, et deinde in ordine episcopali ministrat, cum consecratio episcopalis sit dubia (*n. 22 sequ.*), repetenda sunt quae diximus *n. praec.* Si ministrat in ordine praetermisso, e. g. si ordinatus in presbyterum, omnibus aliis ordinibus praetermissis, celebrat Missam ideoque legit episto-

(1) D'Annibale, *I*, § 409, *not.* 5 cum Diana, Avila aliisque.

lam cum manipulo, evangelium cum stola, aut in Missa solemni agit diaconum cum stola, communis sententia est esse irregularem, quia exercet ordinem quem formaliter non habet (1). Nos nolumus ab hac sententia recedere ; sed liceat animadvertere hanc pati difficultatem, quia hic clericus ordinem quem exercet, non habet quidem formaliter, sed habet eminenter.

350. Si clericus non sacerdos dat benedictionem propriam sacerdotis, nonnulli putant esse irregularem (2) ; sed uti notat Giraldi, *I, sect.* 865, res non ita certa visa est S. C. C. Nam in *Cremon., Absolutionis*, 2 *Dec.* 1679, rescripsit ad cautelam esse dispensandum cum diacono qui, cum esset parochus, praeter baptismum solemniter collatum, benedixit etiam panem et aquam, dum celebrabatur Missa parochialis. Igitur irregularitas in casu dubia est. At foret certe irregularis clericus non episcopus, qui attentat sacra olea, altaria vel vasa sacra consecrare, etc. (3).

351. Demum non est irregularis clericus qui absque potestate absolvit a censuris, confert beneficia, dispensat in lege ecclesiastica etc., quia non ordinem, sed jurisdictionem exercet quam non habet ; item clericus etiam non diaconus qui sine permissione concionatur.

352. Irregularitas quam huc usque declaravimus, certo prohibet collationem et receptionem ordinum : utrum vero prohibeat exercitium ordinum susceptorum necne, non una est DD. sententia. Sed si citata jura, idest *cap.* 1 *et* 2, *De clerico non ordinato ministrante*, perpendantur, res non obscura esse videtur. Nam clericus exercens ordinem quem non habet, in primis contrahit excommunicationem ferendae sententiae, ex *cit. cap.* 1 (*n. 333*). Deinde plectitur suspensione per biennium vel triennium ab ultimo ordine recepto, quae pariter suspensio erat ferendae sententiae ex *cit. cap.* 2, ibi : *A diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus*. Ceterum haec sus-

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XLII, sect. IV, n.* 5 ; D'Annibale, *I*, § 411, *not.* 23 ; Schmalz., *V, XXIX, n.* 5.
(2) Thesaurus, *De poenis, p. II, cap. XXXII* ; Scavini, *III, n.* 631.
(3) Lehmkuhl, *II, n.* 1008.

pensio non legitur in const. *Apostolicae Sedis*, et ideo suppressa foret, licet jure communi fuisset latae sententiae. Sed statuens temporaneam suspensionem ferendae sententiae ab ultimo ordine recepto, Urbanus III satis indicare videtur irregularitatem non afficere ordines receptos : quae est sententia communis (1).

c) De irregularitate ex celebratione divinorom officiorum vetita per censuram aut homonymam poenam (2).

353. Ecclesia irregularem declaravit non solum clericum qui solemniter ministrat in ordine non recepto, de quo supra, sed etiam clericum qui habens potestatem ordinis, impeditur ab ejus exercitio per censuram aut homonymam poenam, et nihilominus audet celebrare divina officia, violans censuram aut homonymam poenam. Sane profecto non decet quod ad gradus clericales promoveatur qui Ecclesiae poenas adeo flocci facit. Haec irregularitas clare legitur in VI Decretalium ; et licet ibidem dicatur antea hanc irregularitatem extitisse, tamen in Decretalibus Gregorii IX et in canonibus Decreti Gratiani contra clericos violantes censuram homonymasque poenas per exercitium ordinis legitur suspensio et depositio ferendae sententiae et privatio beneficiorum, non vero irregularitas, aut saltem irregularitas ibidem clare non continetur ; proinde haec irregularitas fuerat fortasse ex consuetudine introducta.

354. In primis quod attinet ad *majorem excommunicationem*, hanc irregularitatem colligunt auctores ex *can.* 6 *et* 7, *c.* 11, *q.* 3, in Decreto, sed uterque canon videtur potius intelligendus de suspensione perpetua et depositione ferendae sententiae, quam de irregularitate, quidquid dicat Suarez, *De censuris*, *disp. XI*, *sect. III*, *n.* 1. Potius haec irregularitas insinuatur in *cap. ult.*, *De clerico excomm.*, etc., ubi dicitur sacerdotem minori excommunicatione ligatum non fieri irregularem celebrando ; et proinde supponi-

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 4 ; Reiff., *V*, *XXVIII*, *n.* 2 ; Schmalz., *n.* 4 ; Engel, *n.* 1.

(2) Vide canonistas in titulo *De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, XXVII, lib. V Decret.*

tur secus esse, si fuerit majori excommunicatione irretitus, et ita omnes doctores ibi intelligunt. Et quamvis textus loquatur de sola celebratione quae proprie significat Missae sacrificium, nihilominus doctores intelligunt idem esse de omni celebratione divinorum officiorum juxta modum loquendi aliorum textuum in eodem titulo. Tandem irregularitas in *cap.* 1, *De sent. et re jud.*, et *cap.* 1 *et* 20, *De sent. excom.*, aperte statuitur in clericum qui suspensione detentus se ingesserit divinis, seu divina officia exequatur, sicuti prius ; de qua re infra. Exinde omnes doctores argumentum desumunt idem dicendum esse de excommunicato ; nam licet suspensio sit censura distincta ab excommunicatione, tamen quoad effectum suspendendi a potestate ordinum, habet eamdem efficaciam ac illa. « Denique communi omnium doctorum interpretatione ita intellectum est hoc jus, et communi usu Ecclesiae ita est receptum, et ideo dubitandum non est de hujusmodi irregularitate » ; Suarez, *De censuris*, *disp. XI, sect. III, n.* 3.

355. Quod attinet ad *interdictum*, est *cap.* 18, *De sent. excomm.*, *in* 6° : « Is vero qui scienter in loco celebrat supposito interdicto (nisi super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit concessum eidem), irregularitatem incurrit ; a qua nequit per alium quam per R. P. liberari ». Insuper est etiam *cap.* 20, *ejusd.tit.*, *in* 6° : « Is cui est ecclesiae interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius ». Tandem haec irregularitas pro violatione interdicti non immerito deduci etiam posset ex irregularitate ex violatione suspensionis, sicuti de excommunicatione supra diximus. In *cap.* 10, *De sent. excomm.*, *in* 6°, traditur irregularem non esse clericum qui celebrat in ecclesia polluta, aut coram excommunicato vitando : et, juxta communem sententiam, nec est irregularis clericus qui officia divina, e. g. Missam, celebrat in ecclesia quae *cessatione a divinis* percussa est (1).

(1) Pirhing, *V, XXXIX, n.* 262 ; Schmalz., *n.* 403 ; Engel, *n.* 101 ; Thesaurus, *cap. I, v. Cessatio.*

356. Ex *rel. cap.* 18, quod pertinet ad *interdictum locale*, apparet irregularitatem contrahi a clerico non interdicto qui usus potestate ordinis quam habet, celebrat divina officia in loco interdicto seu specialiter, quod evidens est, seu generaliter, quod omnes admittunt (1), licet post extrav. *Ad evitanda* Martini V, ad contrahendam hanc irregularitatem, necessarium sit quod locus nominatim sit interdictus. Quamquam enim ut supra monuimus, illud verbum *celebrat* absolute prolatum videatur de sacrificio Missae quasi per antonomasiam dici, tamen proprie et in rigore comprehendit cujuscumque divini officii celebrationem ; et ita sumitur in praesenti textu juxta omnium expositionem (2). Haec autem irregularitas contrahitur sive in loco interdicto celebretur officium divinum prohibitum, sive celebretur officium divinum permissum, sed cum prohibitis solemnitatibus (3). Ex *cit. cap.* 20, quod refertur ad *interdictum personale*, non est dubium hac irregularitate irretiri clericum specialiter interdictum qui divinis officiis se ingerit sicut prius ; et licet Bonifacius VIII inibi agat de interdicto ab ingressu ecclesiae, multo magis irregularitas intelligenda est de alio interdicto simpliciter personali-speciali (4). Suarez, *l. c.*, *n.* 22, putat hanc irregularitatem contrahere et clericum generaliter interdictum ; sed immerito, ut putamus, quia *cit. cap.* 20, si obvio sensu sumatur, est de interdicto personali-speciali, et cum versemur in odiosis, est stricte intelligendum (5). Saltem haec irregularitas dubia est dubio juris, ideoque applicanda doctrina tradita *n. 162 sequ.* At certe non est irregularis clericus non interdictus qui in loco non interdicto ministrat officia

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXXIV, sect. IV, n.* 14.

(2) Suarez, *l. c., n.* 15.

(3) Covarruvias, in *cap. Alma* (23, *De sent. excomm. in* 6°), p. II, § V ; Stremler, *Des peines ecc., p. I, sect. VII, cap. V* ; D'Annibale, *I*, § 371, *not.* 9.

(4) D'Annibale, *I*, § 371, *not.* 9, contra Suarez aliosque, putat hanc irregularitatem non contrahere episcopum, praesertim post const. *Apostolicae Sedis*, quae de eo mentionem non facit. Nimirum disputari potest utrum episcopus sit interdictus necne ; sed episcopus interdictus certissime hac irregularitate irretitur.

(5) Covarruvias, *l. c.* ; D'Annibale, *l. c.*, § 372, *not.* 18.

divina interdicto (1), quia id nullibi in jure expressum est. Ex dictis autem plane consequitur duplicem unico actu contrahere irregularitatem clericum personaliter-specialiter interdictum qui in loco interdicto seu generaliter seu specialiter se ingerit divinis.

357. Tandem quod attinet ad *suspensionem*, irregularitas expresse traditur in *cap.* 1, *De sent. et re jud.*, *in* 6°. Innocentius IV, *l. c.*, in judicem ecclesiasticum male judicantem statuit suspensionem ab executione officii per annum, subdens : « Sciturus quod si, suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, secundum canonicas sanctiones, a qua nonnisi per Summum Pontificem poterit liberari ». Accedit *cap.* 1, *De sent. excom.*, *in* 6°, ubi idem Innocentius IV, praescribens modum ferendae excommunicationis, judicem suae constitutionis violatorem declarat suspensum per mensem ab ingressu ecclesiae et divinis officiis, et addit : « Caveant autem ecclesiarum praelati et judices universi ne praedictam poenam suspensionis incurrant ; quoniam si contingeret eos sic suspensos divina officia exequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas sanctiones, super qua nonnisi per Summum Pontificem poterit dispensari ».

358. Quaeritur num haec irregularitas sit non solum ex violatione suspensionis-censurae, de qua nullum dubium, sed etiam ex violatione suspensionis-poenae ? Nonnulli negant, quia irregularitas legitur in jure statuta tantum pro violatione censurae (2). Alii affirmant ex citatis juribus (3). Tandem alii cum S. Alph., *VII*, *n.* 314, distinguunt : nempe affirmant, si suspensio infligitur per modum statuti aut praecepti ob crimen futurum, uti in citatis juribus, vel etiam praeteritum, sed habens tractum successivum ; negant, si

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XXXIII*, *sect. III*, *n.* 7 ; D'Annibale, *l. c.*, § 371, *n.* 9, cum communi.

(2) D'Annibale, in *comm. const. Apostolicae Sedis*, *n.* 12, et in *Summula*, *I*, § 357, 386, nisi suspensio lata sit a R. P. hac expressa lege ut is qui illam violat, irregularitati obnoxius fiat ; qui citat Gabriel, Avila, Villalob., et probabile putant Salm., *X*, *V*, *n.* 13.

(3) Suarez, *De censuris*, *disp. XXVI*, *sect. II*, *n.* 4, qui putat hanc doctrinam esse certam ; Bonacina, *III*, *IV*, *n.* 6.

suspensio fertur ab homine per sententiam ob meram punitionem criminis omnino praeteriti. Alteram sententiam putamus unice veram esse. Nam in primis qui violat suspensionem in ipsum latam ab episcopo *ex informata conscientia* ob crimen praeteritum, irregularem evadere, non obstante appellatione, tradit S. C. C. in *Sagonen.*, 21 *Jun.* 1625, quam Benedictus XIV, *De syn.*, *XII*, *VIII*, *n.* 5, refert: « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto Concilii, *cap. I, sess. XIV*, ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curae, sed ille appellavit et, praecepto episcopi contempto, celebravit et curam exercuit. Quaeritur an a dicta suspensione detur appellatio ita ut parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curae effectus fuerit irregularis. S. C. C. censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et parochum *qui sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem contraxisse* (1) ». Deinde qui committit delictum prohibitum sub poena suspensionis ad tempus determinatum, fieri irregularem ex violatione suspensionis aperte traditur in citatis juribus; et tamen suspensio ad tempus definitum habet rationem poenae. Non dubitamus idem dicendum esse de violatione suspensionis in perpetuum latae, quae pariter est mera poena. Imo in *cit. cap.* 1, *De sent. excomm. in 6°*, notanda sunt verba *poenam suspensionis*. Exinde absque ulla cunctatione deducimus fieri irregularem clericum *depositum* aut *degradatum* qui nihilominus sacros ordines exercere praesumit (2). Atque haec omnia adeo clara esse videntur ut non leviter dubitemus de aliarum opinionum probabilitate (3).

359. E contrario non putamus irregularitatem contrahi ex violatione suspensionis quae sit simplex *prohibitio*, absque praevia culpa. Nam irregularitas in casu non legitur in jure expressa et contra regulas juris ex violatione suspensionis-censurae-poenae haec irregularitas deduceretur ad

(1) Errat igitur D'Annibale, *I*, § 386.

(2) Contra sentit Thesaurus, *p. I, cap. XXVII, Nota secundo*; Sayrus, *VII*, *IX*, *n.* 20; Boenninghausen, *I*, *pag.* 152.

(3) Suarez, *l. c.*

violationam suspensionis-prohibitionis (1). Pariter nec est per se irregularis clericus *suspensus a Deo*, uti vocant, idest qui reperitur in statu peccati mortalis, et in hoc statu audet in ordinibus ministrare et vel ipsam Missam celebrare. Item nec ille qui contra vetitum episcopi alteriusve legitimi superioris sacrum ministerium exercet : nam vetitum est suspensio-prohibitio ab homine lata.

360. Huc usque probavimus hanc irregularitatem ex violatione censurae aut homonymae poenae per celebrationem divinorum officiorum in jure statutam esse. Modo eam melius declaramus ; et attentis juribus relatis, dicimus eam non contrahi, nisi sequentia verificentur :

361. 1° Ut quis *officium divinum* exercuerit, nempe actum potestatis ordinis clericis reservatum ; nam in relatis textibus haec irregularitas infligitur in eum qui *celebrat*, *se ingerit divinis*, *officia divina exequitur sicut prius*, spreta censura aut homonyma poena. Hinc ex actu ordinis minoris nemo, utcumque impeditus censura aut poena, irregularitatem contrahere solet ; quia in praesenti Ecclesiae disciplina functiones ordinum minorum etiam a laicis, ut plurimum, praestari possunt, et ideo non constituunt divinum officium (*n. 150*). Quod si actus minoris ordinis foret saltem ratione solemnitatis reservatus constitutis in eo ordine, clericus ipsum ponens contra prohibitionem censurae aut poenae, irregularitatem non effugeret. Hinc Sixtus V, in const. *Sanctum*, *non. Jan.* 1588, declarat aperte minorum ordinum clericos ab exercitio ordinum susceptorum suspensos, si in his ministrare solemniter praesumpserint, irregulares effici. Et Benedictus XIV, in const. *Inter praeteritos*, 3 *Dec.* 1749, vult poenitentiarios et confessarios pro anno sancto in Urbe designatos, quibus data fuerat facultas dispensandi cum ordinatis in sacris super occulta irregularitate ob violationem censurarum contracta, eadem facultate pollere cum clericis in minoribus ordinibus constitutis. Et signatura S. Poeni-

(1) Suarez, *De censuris*, *disp. XXVIII*, *sect. IV*, *n.* 5, citans Abbatem, Innocentium, Dominicum, Covarruviam, Salzedo ; d'Annibale, in *comm. const. Apostolicae Sédis*, *n.* 12 : « Et de hoc, ut videtur, nemo dubitat » ; De Lugo, *De justitia et jure*, *disp. XL*, *n.* 38.

tentiariae, die 20 *Dec.* 1650, apud Fagn., in *comm. cap.* 2, *De clerico excomm. etc., n.* 17, censuit clericos minorum ordinum excommunicatos, suspensos vel interdictos, qui tamquam clerici ex officio suo exercent actum seu ministerium alicui ex dictis ordinibus deputatum, irregularitatem incurrere. Pariter nec est irregularis qui baptismum privatim confert, aspergit e. g. cadaver aqua benedicta more laicorum, assistit matrimonio, sed non dat nuptialem benedictionem, absolvit a censuris, omissa solemnitate stolae ac precum, aut censuras infligit, confert beneficium, dispensat in votis vel impedimentis, concionatur, assistit Missae in loco interdicto a presbytero censurato celebratae, cadaver in loco sacro sepelit, omisso divino officio, suspensus a beneficio percipit fructus beneficii, etc. (1).

362. Ex dictis apparet laicum aut clericum qui, non obstante censura aut poena qua detinetur, audet primam tonsuram aut superiorem ordinem recipere etiam ab episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto, non esse irregularem, licet graviter peccet, et ab ordine recepto suspensus sit, de qua re alias ; quia officium divinum ipse non exercet seu exequitur, sed potius recipit. Ad rem Benedictus XIV, *De syn., XII, III, n.* 7 : « Apud omnes canonistas principii loco est irregularitatem a solo jure et non ab homine induci posse ; a jure autem irregularitate quidem afficiuntur, qui contempta, qua ligantur, censura, in suscepto ordine solemniter ministrant ; numquam vero irregulares pronuntiantur qui cum ejusdem censurae vinculo ad superiorem ordinem ascendere praesumunt. Scimus enimvero non defuisse doctores, quibus visum cum fuerit ascensum ad altiorem ordinem quoddam esse exercitium inferioris ordinis jam suscepti, idcirco docuere irregularitatem a jure in primo casu irrogatam etiam secundum complecti..... Sed simul non ignoramus veriorem et communiorem esse sententiam oppositam quae, quamquam sacrilegii reum fateatur, qui sciens se censurae vinculo obstrictum, superioris ordinis

(1) Pirhing, *V, XXVII, n.* 36 ; Reiff., *n.* 6 ; Suarez, *De censuris, disp. XXIV, sect. II, n.* 6 ; Fagnanus, in *comm.* 2 *part. cap.* 14, *De temp. ord., n.* 23.

gradum audacter conscendit, cum tamen ab irregularitate absolvit; quam quidem sententiam amplexata est S. C. C. in *Carinolen.* seu *Neapolitan.*, *Ordinationis*, *die* 31 *Jan.* 1688; siquidem recipiens altiorem ordinem nonnisi improprie dicitur solemniter ministrare in inferiori ordine, a cujus exercitio est suspensus; in hac autem materia odiosa et poenali non censetur cadere sub legis censuram, quod nonnisi improprie legis verba comprehendunt ». At si deinde ordinatus clericus in ordine illicite suscepto solemniter ministrat contra censuram seu poenam, jam fiet irregularis. Ob eamdem rationem non est irregularis qui, utcumque censuris aut poenis impeditus, recipit alia divina officia a ministro utcumque excommunicato, suspenso, etc. (1).

363. Quaeritur num sit irregularis impeditus censura vel poena, si ipse quidem non celebrat divina officia, sed cogit alium divina officia, e. g. Missam, coram se celebrare. Veteres communiter affirmant, tum ex *cap.* 5, *cit. tit.*, tum quia ipse cogens videtur celebrare per alium. Vera sententia negat, quia irregularitas statuta est in *celebrantem*, et, cum odiosa sit, est stricte intelligenda (2). In *cit. cap.* 5, Innocentius III non declarat irregularem episcopum qui post excommunicationem contractam divina sibi fecit celebrari; et quando addit se ex misericordia nolle infligere poenam quam canon infligit his qui post excommunicationem divina praesumpserint officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint divinorum, alludit ad poenam depositionis, de qua in *cap.* 4, *ejusd. tit.*, et in *can.* 6 *et* 7, *c.* 11, *q.* 3, in Decreto. Ceterum etiam nonnulli patroni communis sententiae fatentur hanc irregularitatem non habere fundamentum in jure, sed niti communi doctorum opinioni et consuetudini (3). At communis opinio non sufficit ad irregularitatem inducendam,

(1) Petra, in *comm. const. VII Pii II*, *n.* 19 (*tom. V*, *pag.* 150); Pirhing, *I*, *XI*, *n.* 95; Suarez, *De censuris*, *disp. XXXI*, *sect. I*, *n.* 71; S. Alph., *VI*, *n.* 799; Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *IV*, *n.* 24; Boenninghausen, *I*, *pag.* 149 *sequ.*; Lehmkuhl, *II*, 1009, *probabiliter*.

(2) D'Annibale, *I*, § 411, *not.* 26; Diana, *p. IV*, *tract. II*, *n.* 57; Gonzalez, in *comm. cit. cap.* 5; Suarez, *De censuris*, *disp. XXXIV*, *sect. IV*, *n.* 7.

(3) Thesaurus, *II*, *XI*, *v. Censura*.

praesertim cum graves doctores contradicant ; consuetudo autem gratuito asseritur.

364. Pariter dubitatur num irregularitas contrahatur, si actus ordinis fuit nullus. Si actus fuit nullus, non ex defectu intentionis in ministro, sed ex alio capite, irregularitas manet, sive minister excommunicatus, interdictus, suspensus, dignoscat, sive ignoret nullitatem, quia quantum est in se, celebrat officia divina contra censuram. Hinc e. g. sacerdos vitandus (ideoque carens jurisdictione) absolvens a peccatis est irregularis (1) ; secus sequeretur absurdum, nempe toleratum absolventem a peccatis fieri irregularem, vitandum non fieri. Hinc etiam erit irregularis episcopus excommunicatus, interdictus, suspensus, qui ordinat hominem reluctantem, aut foeminam ; sacerdos qui absolvit poenitentem, carentem dolore necessario, aut rebaptizat baptizatum ; in quo ultimo casu proinde duplex erit irregularitas. Si actus fuit nullus ex defectu intentionis in ministro, sed illum actum comitatur accessorius actus solemnis potestatis ordinis qui ab intentione agentis statum non capit, irregularitas manet, si non ex principali actu nullo, saltem ex actu accessorio. Hinc e. g., sacerdos excommunicatus solemniter baptizans, aut Missam celebrans sine intentione necessaria, est irregularis saltem ratione caeremoniarum. Tandem quaestio est num irregularitas contrahatur praecise ex ipsomet actu nullo ob deficientem intentionem ministri excommunicati, interdicti, suspensi, qui simulate egit ; de qua quaestione vide *n. 370.*

365. 2° Ut illud officium divinum exercuerit habens *relativam potestatem ordinis* sive ordinatione sive privilegio seu commissione receptam ; nam in citatis juribus haec irregularitas statuitur in clericum qui sua potestate ordinis in celebratione divinorum officiorum utitur sicuti prius, non obstante censura seu poena. Proinde laicus hanc irregularitatem numquam contrahit officium divinum celebrans ; qui insuper exinde probabiliter nec contrahit irregularita-

(1) Schmalz., *V, XXVII, n.* 21 *sequ.* ; Suarez, *De censuris, disp. XI, sect. III, n.* 15 ; Reiff., *V, XXVII, n.* 7.

tem ex ministerio in ordine non recepto (*n. 334*), atque ideo laicus ex usu ordinis numquam efficitur irregularis (1). Item nec clericus praesentem irregularitatem contrahit qui celebrat officium divinum absque relativa potestate ordinis ; sed ipse per se contrahit praecedentem irregularitatem ex ministerio solemni in ordine non recepto. Ita e. g., si sacerdos contra censuram aut poenam supplet caeremonias baptismi, vel ministrat eucharistiam, certe contrahit praesentem irregularitatem ; si haec praestat subdiaconus vel inferior clericus, certe non contrahit praesentem, sed certe contrahit praecedentem irregularitatem ; tandem si haec praestat diaconus, in nostra sententia contrahit praesentem, sed non contrahit praecedentem (*n. 339, 341*).

Pariter praesenti irregularitate irretiri nequit sacerdos aut inferior clericus in Occidente confirmans (nisi sacerdos privilegium confirmandi obtinuerit a R. P.) ; diaconus aut inferior clericus celebrans Missam, absolvens a peccatis, ungens infirmum ; sacerdos aut inferior clericus conferens ordines aut primam tonsuram absque privilegio ; diaconus aut inferior clericus benedicens matrimonio, etc.; licet ii omnes praecedenti irregularitate per se irretiantur. E contrario episcopus aut sacerdos ex privilegio confirmans, sacerdos celebrans Missam, absolvens a peccatis etc., contra prohibitionem censurae seu poenae, praecedentem irregularitatem effugit, sed praesentem contrahit.

366. 3° Ut divinum officium exercuerit ex recepta potestate ordinis *post contractam censuram vel homonymam poenam illud prohibentem*. Nil refert utrum haec censura poenave sit occulta, an publica ; ab homine an a jure ; utrum clericus sit vitandus an toleratus (2).

Ex dictis sequitur non esse irregularem clericum non irretitum censura aut poena qui celebrat divina officia in favorem illius qui est irretitus censura aut poena, e. g. ministrat sacramenta excommunicato, suspenso, interdicto,

(1) Berardi, *tom. III, p. II, diss. IV, cap. V.*
(2) Pirhing, *V, XXVII, n.* 34 ; Reiff., *n.* 19.

etsi clericus persuasus fuerit se esse censura aut poena irretitum (*n. 191*) (1).

Pariter nec est irregularis clericus qui, prohibitus sub censura aut poena latae vel ferendae sententiae ne officium divinum celebret, illud nihilominus celebrat, et ita contrahit censuram aut poenam ; nam ut constat ex dictis, ad hanc irregularitatem contrahendam oportet prius censura irretiri, et deinde, vi potestatis ordinis receptae, celebrare divina officia prohibita per censuram (2). Obstare prima fronte videtur responsio S. C. C. in *Basileensi*, 9 *Febr.* 1754. Nam episcopus monuit sacerdotem P. H. regularem ne, sub poenis et censuris ecclesiasticis ipso facto incurrendis, praesumeret deinceps monialium confessiones audire, donec a reverendissimo Ordinario Basileensi examinatus et approbatus fuisset. Sacerdos praesumpsit ; et proposito dubio : « An P. H. incurrerit suspensionem a divinis et irregularitatem ob confessiones exceptas a monialibus monasterii Obsberg, non obstante praecepto curiae episcopalis Basileensis » ; S. C. rescripsit *affirmative et amplius*. Sed responderi potest hoc rescriptum non obstare, quia revera P. H. qui monialium confessiones pluries audierat, suspensionem et irregularitatem contraxerat ; suspensionem, quando contra praeceptum episcopi primae monialis confessionem audivit ; irregularitatem, quando jam censura irretitus alterius monialis confessionem recepit.

Item nec est irregularis clericus contra censuram aut poenam agens, si censura aut poena fuit certe et evidenter nulla, prouti declaravit etiam S. C. C. in *Herbipolen. seu Nullius Abbat. Fulden.*, 19 *Julii* 1704.

Quid vero si est dubia ? Si clericus certo scit se a judice ecclesiastico fuisse censura aut homonyma poena mulctatum, et modo solum dubitat utrum haec censura poenave

(1) D'Annibale, *I*, § 411, *n.* 31 ; Suarez, *l. c., disp. XXXIII, sect. III, n.* 7 ac alias ; Engel, *V, XXVII, n.* 3.

(2) Suarez, *l. c., disp. XXXI, sect. I, n.* 71 ; D'Annibale, *I*, § 411, *not.* 24. Vide exempla in *Vercellensi*, 18 *Aug.* 1703 ; *Leodiensi, Dispensationis*, 2 *Sept.* 1718; *Nolana, seu Spoletana, censurarum seu irregularitatis*, 31 *Jul.* 1751 ; *Beneventana, Dispensationis ab irregularitate*, 26 *Aug.* 1780 ; *Savonensi*, 14 *Sept.* 1782, etc.

sit valida necne, censura ac poena interim urget, et ideo, contra illam celebrans officium divinum, irregularitatem non effugit (1), etiamsi interposita appellatio fuerit, et sententia deinde corrigatur. E contrario, si clericus dubitat utrum de facto censura poenave mulctatus sit, e. g. quia id audit per solam famam aut rumorem; aut utrum revera commiserit actum cui censura poenave adnexa est, irregularitas est dubia, sicuti ipsa censura ac poena, et ideo applicetur doctrina tradita *n. 162 sequ. Cap. 5, De clerico excomm.*, etc., de quo hac in re disputatur, non agit de irregularitate, prouti patet ex verbis finalibus *et non duximus infligendam*, cum irregularitas sit a jure; sed agit de suspensione perpetua vel depositione per sententiam ferenda (*n. 363*) (2). Tandem nec intelligitur irregularitas, si censura poenave, utcumque contracta, valida et certa, non prohibet illud divinum officium quod celebratur.

Quaenam officia divina prohibeat censura vel homonyma poena, desumere debes ex tractatu *de censuris*. Nos nonnulla exempla subjicimus pro suspensione.

367. Episcopus suspensus a *collatione ordinum* non est irregularis conferens primam tonsuram; bene vero episcopus suspensus ab *ordine pontificali*. Suspensus a *conferendo uno ordine determinato* non est irregularis conferens et inferiores et superiores (*n. 149*). Suspensus ab *usu pontificalium* vel a *pontificalibus* est irregularis si exercet functiones quae juxta rubricas exigunt insignia pontificalia, etiamsi illas exerceat absque insignibus pontificalibus, quia suspensio a pontificalibus insignibus etiam illas functiones indirecte et per accidens prohibet; at non est irregularis alias functiones exercens in apparatu pontificali (3), quia usus insignium pontificalium, idest mitrae, baculi pastoralis et pallii, prohibitus a censura, non est actus potestatis ordinis, licet locum habeat durante actu ordinis.

(1) Schmalz., *V, XXVII, n.* 37; Reiff., *n.* 15, cum communi et certa sententia ex *cap.* 40, *De sent. excomm.*

(2) Schmalz., *l. c., n.* 40.

(3) S. Alph., *VII, n.* 314; D'Annibale, *l. c.*; Schmalz., *V, XXVII, n.* 31; Gonzalez, in *comm. cap.* 4, *De clerico excomm. etc., n.* 4.

368. Suspensus ab aliquo ordine determinato, e. g. *a subdiaconatu*, certe est irregularis in eodem solemniter ministrans, e. g. cantans epistolam cum manipulo. Certe non est irregularis, licet peccet, ordinem superiorem, e. g. diaconatum aut etiam presbyteratum recipiens (*n. 362*). Quaestio est num sit irregularis solemniter ministrans in ordinibus superioribus receptis sive ante sive post suspensionem. Quaestio huc redit num suspensio etiam actus superiorum ordinum afficiat ; et quoniam sententia valde probabilis negat de quibuscumque actibus (*n. 149*), irregularitas in casu erit dubia dubio juris, et ideo applicanda est doctrina tradita *n. 162 sequ.* Hinc in exemplo allato, si subdiaconus suspensus a subdiaconatu recipit diaconatum et deinde cantat evangelium cum stola, peccat, sed non est irregularis : in hoc casu irregularitas ne dubia quidem videtur. Est autem dubie irregularis idem subdiaconus si ordinatus sacerdos Missam celebrat in qua legit epistolam cum manipulo. Suspensus vel interdictus ab *ingressu ecclesiae* in genere non est irregularis sacra faciens in oratorio privato, quia oratorium privatum in odiosis non venit nomine ecclesiae (1), et fortasse ob eamdem rationem neque in oratorio publico ; suspensus vero vel interdictus ab *ingressu ecclesiae* determinatae non est irregularis sacra faciens in alia ecclesia, ex *cit. cap.* 20, *De sent. excomm.*, *in* 6°.

369. Tandem sacerdos suspensus *ab ordine* valide absolvit a peccatis, sed exinde contrahit irregularitatem ; e contrario suspensus *a jurisdictione* invalide absolvit, sed irregularitati obnoxius non est.

370. 4° Ut officium divinum exercuerit *serio*, non vero per jocum aut per modum scenicae artis : licet in casu a peccato gravi non excusetur. Quid si illud exercuerit simulate ? Si officium divinum statum non capit ex intentione agentis, certe manet irregularitas (*n. 364*). Si officium divinum ex intentione agentis statum capit, uti e. g. ipsa

(1) Suarez, *De censuris*, *disp. XXXV*, *sect. IV*, *n.* 6 ; Pirhing, *V*, *XXVII*, *n.* 213 ; Engel, *n.* 99.

Missae celebratio, aut sacramenti administratio quae nulla est sine intentione ministri, Suarez, *De censuris*, *disp. XI*, *sect. III*, *n.* 14, probabilissimum putat non contrahi, quia actio illa, etiam ut procedit a tali operante, ex intentione ejus non est usus ordinis, sed fictio illius. Nobis videtur in hac quaestione eadem repetenda esse quae *n. 337* in quaestione analoga diximus cum eodem Suarezio ; nempe cum etiam in casu nostro lex intendat afficere exterius ministerium prohibitum per censuram poenamve homonymam, verius putamus irregularitatem manere. Igitur hic sicut illic irregularitas erit dubia. Ceterum irregularitatem contrahi ob caeremonias quae sacrificium Missae aut sacramenti administrationem comitantur, quaeque ab intentione ministri non pendent, evidens est.

371. 5° Tandem ut in hac celebratione divini officii *clericus peccaverit mortaliter* (*n. 191*). Hinc irregularitas non contrahitur, si peccatum est leve ob parvitatem materiae, e. g. si diaconus censuratus, hebdomadarium agens in choro, canit orationem cum *Dominus vobiscum* (1). et multo magis si id dicit privatim recitans officium (2) ; si episcopus impertitur benedictionem sine solemnitate, e. g. in itinere (3). Item haec irregularitas non contrahitur si aliqua verificetur causa auferens aut minuens dolum ; quas causas vide *n. 200 sequ.* Hic autem notandum est in *cit. cap.* 18, *De sent. excomm.*, *in* 6°, quod agit de locali interdicto, requiri ad hanc irregularitatem contrahendam ut violatio interdicti facta fuerit *scienter*, scilicet quod clericus dignoverit interdictum, dignoverit quoque illud officium divinum in loco interdicto vetari saltem cum illis solemnitatibus sub poena irregularitatis, et nihilominus illud celebraverit. Proinde putamus ab hac irregularitate excusare quamlibet ignorantiam, etiam crassam et supinam et etiam affectatam, cum quaelibet ignorantia excludat scientiam (*n. 204*). Pro irregularitate ex violatione aliarum censurarum seu homonymarum poenarum

(1) D'Annibale, *I*, § 409, *not.* 5, cum pluribus aliis.
(2) D'Annibale, *l. c.* ; Schmalz., *V*, *XXVII*, *n.* 14 ; Suarez, *De censuris*, *disp. XII*, *sect. II*, *n.* 13.
(3) Schmalz., *l. c.* ; Suarez, *l. c.*, *n.* 21 ; Bonacina, *q.* 3, *p.* 9, *n.* 3.

nullibi scientia, aut temeritas, seu praesumptio exigitur ; et in *cap. 9, cit. tit., De clerico excomm., etc.*, expresse dicitur ab hac irregularitate excusare ignorantiam probabilem censurae, non vero ignorantiam crassam, supinam et erroneam ; quod nos explicavimus *cit. n. 204*, in fine. Proinde cum mica salis putamus esse accipiendum quod auctores passim tradunt, nempe hanc irregularitatem non contrahi, nisi temere censura violata fuerit (1).

372. Haec irregularitas quam huc usque declaravimus, totalis est, prohibet scilicet et ulteriores ordines suscipere, et susceptos exercere, et beneficia obtinere, etiam cessante censura. Quod si quis pluribus censuris detentus ordinem exercet contra plurium censurarum prohibitionem, unam tantum contrahere irregularitatem certum est (*n. 197*), sicuti unum est peccatum unaque injuria ordini illata, cum omnes censurae vetent ordinem exercere unius virtutis intuitu, scilicet propter reverentiam sacri ministerii. Ita S. Alph., *VII*, *n.* 359 ; qui tamen censet hanc circumstantiam esse confitendam, quia in casu irregularitas pluribus *aequivalet*. Sed merito D'Annibale, *I*, § 311, *not.* 31, animadvertit hanc circumstantiam esse simpliciter aggravantem. Ceterum quamquam in relatis ab initio juribus dispensatio ab hac irregularitate expresse R. P. reservetur, tamen haec est regula generalis, et non impedit quominus dispensatio ex potestate facta concedatur etiam ab aliis de quibus loquuti sumus *n. 216 sequ.*

C

De irregularitatibus vel ex delicto vel ex defectu.

a) De irregularitate ex bigamia (2).

373. Juxta nonnullos sacrorum canonum interpretes triplex distinguitur bigamia, scilicet *vera*, *interpretativa*, *similitudinaria* ; juxta alios duplex tantum, nempe *vera* et

(1) Schmalz., *V, XXVII, n.* 7 ; Pirhing, *n.* 40 ; Reiff., *n.* 9 ; D'Annibale, *I*, § 411.

(2) Vide canonistas in tit. *De bigamis non ordinandis, XXI, lib. I Decret.*

interpretativa. Claritatis gratia nos bigamiam dividimus in *veram* et *non veram* seu fictitiam; quae deinde subdividi poterit in *interpretativam* et *similitudinariam*. De singulis agendum est.

374. I. Bigamia *vera* in sensu stricto tunc adest, quando vir duo matrimonia valida successive contraxit, quia tunc revera vir *bis uxorem* duxit, ut nomen bigamiae indicat (1). Igitur si vir successive contraxit duo matrimonia invalida, aut unum validum et alterum invalidum, bigamus vere non est; item si duo matrimonia simul contraxit, est *polygamus*, et non vere bigamus, cum alterutrum saltem matrimonium sit necessario invalidum (2); licet in communi loquendi usu hic *bigamus* appelletur. Quod si vir tres successive habuit veras uxores, erit *trigamus*, deinde *quadrigamus*, etc.

375. Jam vero bigamia vera inducit irregularitatem dummodo utrumque matrimonium fuerit consummatum. Hanc irregularitatem statuit ipsemet Apostolus, in 1ª *Tim.*, *III*: *Oportet episcopum* (quo nomine etiam presbyterum intelligit) *irreprehensibilem esse*, UNIUS UXORIS VIRUM.... *Diaconi* SINT UNIUS UXORIS VIRI. Quibus verbis Apostolus ab altari removet non tam polygamos simultanee quam simpliciter bigamos successive, quia qualitates speciales recenset necessarias in episcopis, presbyteris et ministris; polygamia autem simultanea omnibus prorsus hominibus prohibetur post Christum (3). Accedunt canones antiquissimi quorum nonnulli referuntur in *cit. titulo*.

376. Diximus hanc irregularitatem contrahi *dummodo utrumque matrimonium fuerit consummatum*. Si enim vel utrumque, vel alterutrum matrimonium remansit ratum tantum, vir est quidem vere bigamus, attenta vi vocis, sed minime est irregularis. Id licet ab Apostolo, *l. c.*, aperte non dicatur, tamen expresse traditur ab Innocentio III in

(1) Fagnanus, in *comm. cap. 1, cit. tit., n. 3 sequ.*; Suarez, *De censuris, disp. XLIX, sect. I, n. 1*, cum communi; Engel, *I, XXI, n. 2*; Lehmkuhl, *II, n. 1026*.

(2) Suarez, *l. c., n. 5*.

(3) Suarez, *De censuris, disp. XL, sect. IV, n. 5*; Bellarminus, *De clericis, lib. I, cap. XXIII*.

cap. 5, *cit. tit.*; et in genere in hac materia de bigamia, quoties matrimonium carnale nominamus, hoc consummatum esse debet: quod semel pro semper dictum sit (1). Quod si vir cum eadem muliere aut cum diversis pluries fornicatus est, patet non esse bigamum, et idem Innocentius III, in *cap.* 6, *cit. tit.*, docet non esse irregularem; item si quis cum una inivit sola sponsalia de futuro et cum alia contraxit ac consummavit matrimonium. Quod si quis duplex matrimonium inivit et consummavit utrumque vel alterutrum nullum, nequit esse irregularis ex bigamia vera quae non adest: utrum et quando habeatur bigamus et irregularis ex fictione juris, infra exponemus.

377. In antiquitate celebris fuit controversia utrum esset bigamus ideoque irregularis necne, qui ante baptismum plures habuit et cognovit uxores, vel unam ante baptismum, aliam post baptismum, negante S. Hieronymo, in *can.* 1, *dist.* 26, in Decreto, affirmante S. Augustino, in *can.* 2, *cit. dist.* 26, et S. Ambrosio, in *can.* 4, *ejusd. dist.* Controversiam diremit Innocentius I, in *can.* 13, *dist.* 34; scilicet est bigamus, quia « in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur ». Sed cum ante baptismum irregularis dici nequeat, in casu suscipiens baptismum statim evaderet irregularis (*n. 198*). Vide etiam *can.* 3, *cit. dist.* 26 (2).

378. Haec irregularitas est *ex defectu sacramenti*. Haec expressio ortum habuit a S. Augustino; legitur etiam in *cap.* 4, 5 *et ult.*, *De bigamis*, et ita explicatur. Ratio sacramenti matrimonii consistit in repraesentatione unionis Christi cum Ecclesia (3). Atqui bigamia successiva, etsi in se honesta et sacramentalis, minus bene refert imaginem hujus unionis Christi cum Ecclesia, praesertim post utriusque matrimonii consummationem; quia *requiritur ad perfectam significationem sacramenti ut vir sit tantum unius vir, et uxor tantum unius uxor*, ut docet S. Thomas, *l. c.*, *art.* 1; dum in casu nostro vir est duarum vir et carnem su-

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 4; et *sect. II*, *n.* 4.
(2) S. Thomas, in 4, *dist.* 28, *qu.* 3, *art.* 2.
(3) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 220 *sequ.*

am divisit inter duas. Ergo bigamia successiva minus plene de ratione sacramenti participat et ita aliquo sacramenti defectu laborat. Sive igitur propter hunc sacramenti defectum, sive quia saepe indicant quamdam concupiscentiae immoderantiam, secundae et ulteriores nuptiae jure meritoque a fidelibus habitae fuerunt semper et habentur licitae quidem, sed minus honorabiles quam primae et quam casta viduitas : hinc bigami ordinatio dedecet statum clericalem, ejus ministerium foret minus honorabile ac utile, et ideo statuta est jure positivo haec irregularitas (1).

379. II. Modo de bigamia *non vera* seu fictitia. Haec habetur quando vir duas successive veras uxores reipsa non habuit, sed, positis nonnullis circumstantiis, ex fictione juris, censetur habuisse, et ideo declaratur irregularis : aliis verbis, quando adest aliqua bigamiae verae participatio vel imitatio quam jura considerant tamquam veram bigamiam in ordine ad irregularitatem. « Imo, ait Suarez, *l. c.*, *sect. II*, *n.* 1, reipsa nihil aliud est per hos actus induci bigamiam interpretativam, quam a jure reputari et considerari ut defectus sufficientes ad inducendam irregularitatem. Unde... idem est quaerere an in his casibus bigamia interpretativa, vel quaedam specialis irregularitas contrahatur » ; et quod ait de interpretativa, in genere de fictitia bigamia intelligendum est.

380. Ex his jam patet jura quae continent aut continere videntur irregularitatem ex bigamia fictitia, esse strictissimae interpretationis, tum propter irregularitatem, tum propter fictionem juris. Nam, ut ait Benedictus XIV, in epist. *Ad audientiam*, 15 *Febr.* 1753, § 15 : « Fictionem juris inducere, indeque aliquod veluti consequens elicere, privati cujusque auctoris atque doctoris potestatem excedit, et in eo dumtaxat admittitur qui condendarum legum auctoritate pollet : unde vulgatum illud axioma : *Fictio legis non habet locum nisi in casibus a jure expressis*, ut advertit Fagnanus in *cap. In praesentia*, *n.* 23, *De probationibus* ».

1. « Quomodo potest hortator esse viduitatis qui ipse conjugia frequen-« taverit ? » ait S. Ambrosius, in *cit. can.* 3, *dist.* 26, in Decreto.

381. Iis positis, bigamia fictitia, ut supra diximus, juxta plures auctores subdividitur in *interpretativam* et *similitudinariam*. Videamus quandonam utraque bigamia cum irregularitate locum habeat.

382. 1° Bigamia interpretativa cum irregularitate verificatur quando, licet vir duas veras uxores successive non duxerit et cognoverit, tamen habentur aliquo modo duo matrimonia consummata ex parte viri, aut saltem habetur ex parte viri unum matrimonium consummatum, et ex parte uxoris copula habita cum tertia persona. Etiam in his casibus verificatur defectus sacramenti, quia caro dividitur inter plures, et in casu duplicis matrimonii vir non est *unus unius*, in casu unius matrimonii uxor non est *unica unici*, ut loquitur Innocentius III, in *cap.* 5, *De bigamis*, cohaerenter iis quae habet D. Thomas citatus *n. 378*. Quod si matrimonium est nullum, habens tantum speciem matrimonii, etiam defectus sacramenti erit apparens et attentatus (1). Necesse est ut species hujus bigamiae interpretativae in jure expressas pro utroque casu duplicis et unius matrimonii recenseamus.

383. Pro primo casu duplicis matrimonii ex parte viri est species in *cap.* 4, *De bigamis*..., ubi Innocentius III agit de illis qui post contractum et consummatum matrimonium validum, vivente vel mortua uxore, receperunt ordines sacros, ac deinde matrimonium cum alia muliere etiam virgine attentaverunt et consummaverunt ; et statuit : « Cum hujusmodi clericis qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat dispensare, licet in veritate bigami non existant ; non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto ». Porro haec irregularitas in casu contrahitur etiam ex matrimonio civili.

Quid vero si alterum matrimonium a clerico initum post ordinationem fuit simulatum ? Nonnulli negant irregularitatem producere, quia non verificatur *affectus intentionis*, de quo Innocentius III (2) ; alii communius affirmant, quia *affectus*

(1) Suarez, *l. c.*, *sect. II*, *n.* 7.
(2) D'Annibale, *I*, § 418, *not.* 13 ; Layman, *De irregul.*, *cap. IV*, *n.* 5,

intentionis cum opere subsecuto, de quo Pontifex, non intelligitur « de intentione efficiendi verum conjugium, sed de intentione exterius contrahendi, quae intentio numquam deesse potest ; supponimus enim exteriores nuptias voluntarie et libere exterius contrahi »; Suarez, *l. c.*, *n.* 10. Hic auctor affirmat se nullum gravem auctorem invenire qui contrarium teneat; quod ex citatis auctoribus patet verum non esse. Insuper praecipua ratio quam affert, scilicet quia hanc irregularitatem contrahit et ille qui matrimonium init cum scientia impedimenti, licet hic consensum matrimonialem habere non possit, solida non est, cum scientia impedimenti consensum matrimonialem necessario non excludat, ut videre est in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 793*. Igitur hanc irregularitatem nos dubiam habemus, et ideo censemus applicandam doctrinam traditam *n. 162 sequ.* At in foro externo simulatio numquam admittenda est, nisi evidenter probetur.

Pariter si primum matrimonium, ante ordinationem contractum, fuit invalidum, nonnulli negant irregularitatem contrahi (1), quia in specie *cit. cap. 4, De bigamis*, hoc matrimonium est validum, et ideo haec irregularitas non est expressa in jure, cum in odiosis, praesertim quae innituntur fictioni juris, non liceat argumentari de una specie ad aliam, et aliud jus hanc irregularitatem continens non habeatur. Alii communissime affirmant, quia, aliis omissis, non probatur evidenter primum matrimonium in specie *cit. cap. 4, De bigamis*, esse validum (2). Igitur etiam in hoc casu irregularitas videtur dubia.

384. Aliae species pro casu duplicis matrimonii in jure expressae non sunt, sed auctores *communissime* speciem

in fine, aliique apud Suarez, *l. c.*, *n.* 3 ; Avila, *disc. VIII*, *dub. I*, § 2, *notandum in fine* ; Engel, *I*, *XXI*, *n.* 5, *valde probabiliter* ; Pirhing, *n.* 17, hanc quaestionem indecisam relinquit ; Diana, *p.* 4, *tr.* 2, *n.* 38 ; Palao, *p.* 8, *n.* 7, apud S. Alph., *VII*, *n.* 447, qui contrarium habet *probabilius*.

(1) Diana, Avila, Enriquez, Koning, apud Salm., *cap. IX*, *n.* 28, qui hanc sententiam habent *probabilem* ; D'Annibale, *I*, § 418, *not.* 12.

(2) Suarez, *l. c.*, *n.* 11 ; S. Alph., *VII*, 445, *probabilius* ; Salm., *l. c.* ; Sanchez, *De matr.*, *VII*, *LXXXIV*, *n.* 3.

cit. cap. 4, De bigamis, quae est de clerico in sacris constituto, extendunt ad clericum in prima tonsura aut in minoribus ordinibus tantum constitutum, et ad laicum (1). Proinde tradunt esse bigamum interpretative et irregularem clericum prima tonsura aut minoribus ordinibus tantum initiatum, et laicum qui post contractum et consummatum matrimonium validum, vivente vel mortua uxore, aliud contrahit, etiam cum virgine, et consummat invalidum propter impedimentum cognitum. Haec quidem est sententia communissima, unice innixa, ut diximus, *cit. cap. 4, De bigamis* (2). At vero D'Annibale, *l. c.*, animadvertit hanc doctrinam receptam fuisse contra omnes regulas juris quae vetant odia, praesertim quae innituntur fictioni juris, extendere de specie ad speciem etiam ob identitatem rationis, quae heic non adest ; quia matrimonium nullum ob impedimentum dirimens diversum ab impedimento ordinis sacri scandalum et peccatum minus grave secumfert. Dices : in *cit. cap. 4, De bigamis*, irregularitas infligitur *propter affectum intentionis cum opere subsecuto*, qui hic verificatur. Responderi potest hunc effectum intentionis cum opere subsecuto inducere irregularitatem in circumstantiis speciei *cit. cap. 4, De bigamis* ; sed non probatur hanc irregularitatem inducere etiam in aliis circumstantiis. Dices ulterius : quomodonam admitti potest non esse bigamum virum qui, vivente vera uxore quam cognovit, aliam scienter superinducit et cognoscit, obtento e. g. divortio civili ? Responderi potest heic agi de jure non constituendo, sed constituto ; haec proinde irregularitas admittenda non est, nisi citetur canon qui ipsam contineat ; ceterum vir in casu est irregularis ex alio capite, idest ex infamia juris (*n. 293*). Igitur non immerito D'Annibale, *l. c.*, concludit : « Ab hac sententia (communissima), etsi recepta contra omnes regulas juris, recedere omnino non ausim ; sed liceat dubiam dicere irregularitatem hujusmodi, ut saltem ab Ordinario dispensari possit ». Multo magis irregu-

(1) Sanchez, *De matr., VII, XLVIII, n.* 3 ; S. Alph., *VII, n.* 444 ; Salm., *IX, n.* 26 ; Schmalz., *I, XXI*, n. 5 ; Suarez, *l. c., n. 6 sequ.*

(2) Suarez, *l. c., n.* 6.

laritas dubia esset, si etiam primum matrimonium fuisset invalidum ; aut alterum fuisset simulatum, vel bona fide initum (1) (quia in specie *cit. cap.* 4, *De bigamis*, alterum matrimonium fuit certe mala fide contractum) ; aut plures vel omnes istiusmodi circumstantiae concurrerent.

385. Pro altero casu unius matrimonii ex parte viri species in jure expressae in quibus est bigamia interpretativa cum irregularitate, sunt sequentes :

a) Si vir contrahit et consummat matrimonium cum vidua a suo primo marito cognita, vel cum muliere jam ab alio viro corrupta. Fagnanus, *l. c.*, *n.* 12 *sequ.*, cum tribunali S. Rotae putat hoc in casu haberi bigamiam veram. Haec quaestio est puri nominis : sed quomodo potest esse bigamia vera in sensu stricto, cum vir in casu reapse *bis uxorem* non habuerit (2) ? Hunc vero virum esse irregularem patet manifeste ex *cap.* 3 *et* 5, *cit. tit.* E contrario non foret irregularis vir qui matrimonium contraxit et consummavit cum vidua virgine, ex *cit. cap.* 5, cum divisio carnis verificata non sit ; item nec qui duxit et cognovit mulierem ante matrimonium a se cognitam (3).

386. Cum vero praecitata jura agant de matrimonio valido, dubitari merito potest utrum vir irregularis sit necne, si ejus matrimonium cum vidua aut corrupta fuit invalidum. Triplex casus distinguendus est.

387. Si matrimonium fuit invalidum ob impedimentum ordinis sacri, responsio affirmativa certa est. Aliis verbis, clericus major matrimonium cum vidua a primo marito cognita aut cum muliere ab alio viro corrupta attentans et consummans, habetur bigamus interpretative et est irregularis. Id tradit expresse Innocentius III, in *cap. ult.*, *cit. tit.*, ubi statuit quod cum hoc clerico « contra doctrinam Apostoli, tamquam cum marito viduae, dispensare non licet, non

(1) Negant irregularitatem Schmalz., *I, XXI, n.* 5 ; De Angelis, *n.* 2 ; Sanchez, *l. c.*, *n.* 6, cum Archid., Astens. et Bellamera ; D'Annibale, *l. c., not.* 13. Affirmant S. Alph., *VII, n.* 446, *communius* et *probabilius* ; Suarez, *l. c.*, *n.* 8.

(2) Suarez, *l. c.*, *sect. III, n.* 2.

(3) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 14 ; Sanchez, *De matr.*, *VII, LXXXIV, n.* 14 ; S. Alph., *VII, n.* 438 ; Suarez, *l. c.*, *disp. XLIX, sect. III, n.* 6.

propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto »; scilicet juxta Innocentium III hic clericus est irregularis, sicuti maritus viduae, de quo supra. Quamquam vero in *cit. cap. ult.* agatur de clerico matrimonium attentante et consummante cum vidua a primo marito cognita, tamen doctores communiter affirmant irregularitatem haberi etiam in casu quo mulier est ab alio viro jam corrupta, etsi non sit vidua (1). Porro irregularitas in casu contrahitur etiam ex matrimonio civili consummato, quippe quod est matrimonium attentatum (2). Num vero hic clericus excusaretur ab irregularitate, si simulate contraxisset, est quaestio inter doctores, de qua repete quae supra diximus *n. 383.*

388. Si matrimonium fuit nullum ob impedimentum ligaminis praeexistentis, certa pariter est responsio affirmativa; nempe est bigamus interpretative et irregularis vir qui ducere et cognoscere audet mulierem valido matrimonio unitam et a suo marito cognitam. Id patet ex *cit. cap.* 1, *De bigamis*, ubi a sacerdotio removentur *bigami*, *poenitentes* et REPUDIATARUM MARITI, idemque traditur in *can.* 1, *dist.* 55; *can.* 2, *dist.* 33; *can.* 15, *dist.* 34 etc., in Decreto; atqui *repudiata* seu *ejecta* est uxor a proprio veroque marito dimissa, remanente vinculo. Haec irregularitas aeque contrahitur sive legitimum divortium semiplenum intervenerit, sive non; sive vir uxorem dimiserit, sive uxor virum. Haec irregularitas nostris diebus, stante funesta divortii civilis lege, non difficile potest verificari.

389. Tandem si matrimonium fuit invalidum ob aliud impedimentum, communior sententia affirmat, ex *cit. cap. ult.*, *De bigamis*, irregularitatem contrahi (3). Fagnanus, in *comm. cap.* 1 *cit. tit.*, *n.* 45, refert: « Domini de Rota... articulo de mandato Papae mature discusso, unanimiter resolvunt

(1) D'Annibale, *I*, § 419; De Angelis, *I*, *XXI*, *n.* 3; Schmalz., *n.* 9; Pirhing, *n.* 20.

(2) De Angelis, *l. c.* Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n.* 579.

(3) Schmalz., *I*, *XXI*, *n.* 7; S. Alph., *VII*, *n.* 437; Suarez, *l. c.*, *sect. III*, *n.* 3 *sequ.*

clericum minorum ordinum qui de facto contraxit cum vidua, esse bigamum interpretative et egere dispensatione apostolica.., et ita Urbanus VI dispensavit propter illam decisionem ». Sententia minus communis negat (1), quia odia, praesertim quae innituntur fictioni juris, de specie ad speciem extendi non debent, neque ob identitatem rationis quae in casu deest : maxime autem id dicendum est si in casu matrimonium initum fuit bona fide, quia adhuc longius recedimus a *cit. cap. ult.*, *De bigamis*. Igitur irregularitas videtur esse dubia.

390. *b*) Si vir uxorem suam cognoscit, postquam haec per adulterium ab alio cognita fuerit. Exinde contrahi irregularitatem traditur in *can.* 11 *et* 12, *dist.* 34, in Decreto ; qui canones, licet dicant absolute maritum fieri irregularem ex adulterio uxoris, tamen intelligendi sunt, si post adulterium maritus ad uxorem accesserit, ut docet Glossa, in *cit. can.* 11, *v. admitti*. Haec irregularitas contrahitur, etsi uxor coacte cognita ab alio viro fuerit, aut vir, accedens ad uxorem ejus, praecedens adulterium ignoraverit, aut adulterium sit omnino occultum (2). At in foro externo nemo ex hoc capite a statu clericali repelli debet, nisi « ejus uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, *evidenter* fuerit comprobatum », ut legitur in *cit. can.* 11 ; copula vero inter maritum et uxorem praesumitur ex voluntaria cohabitatione et condormitione post adulterium. Quod si vir committit adulterium et deinde ad uxorem suam accedit, non est irregularis ; quia equidem in hoc casu defectus sacramenti aeque verificatur, addita insuper viri culpa, quod probat etiam pro hoc casu irregularitatem potuisse a fortiori constitui ; sed de facto canones irregularitatem non continent, et in odiosis, praesertim quae innituntur fictioni juris, extensio de casu ad casum etiam cum pari aut potiori ratione fieri nequit (3).

(1) D'Annibale, *l. c.*, qui plures citat et inter alios Navarrum, *XXVII, n.* 191, qui affirmat ita conclusum fuisse in S. Poenitentiaria.

(2) Schmalz., *l. c.*, *n.* 7 ; Sanchez, *l. c.*, *n.* 15, 19 ; D'Annibale, *l. c.*, *not.* 15 ; S. Alph., *l. c.*, *n.* 439.

(3) D'Annibale, *I*, § 420 ; De Angelis, *I, XXI, n.* 2 ; Schmalz., *l. c.* ; Suarez, *De censuris. disp. XLIX, sect. III, n.* 9, cum communi.

391. Quaeritur utrum irregularitas ex bigamia interpretativa, de qua huc usque, sit ex defectu, an ex delicto? Quando nullum peccatum, aut peccatum leve tantum intervenit ex parte viri, patet irregularitatem esse ex defectu, quia nequit esse ex delicto. Quando vero peccatum grave ex parte viri intervenit et est causa irregularitatis, doctores inter se non conveniunt. Nonnulli censent esse ex delicto (1), et ideo in illis casibus ad irregularitatem habendam exigunt in viro malam fidem. Alii putant esse ex defectu, et ideo non requirunt malam fidem (2). Ad rem Suarez, *l. c.* : « Haec irregularitas bigamiae non est ex delicto, et licet interdum interveniat delictum, ut quando duplex matrimonium contrahitur, vivente utraque conjuge, tamen principale fundamentum ejus non est delictum, sed significatio, etc. ». Igitur dubium est utrum haec irregularitas sit ex defectu, an ex delicto; quod satis est pro practicis conclusionibus, de quibus infra.

392. 2° Tandem bigamia *similitudinaria* habetur quando vir, post receptum ordinem sacrum aut post emissam solemnem professionem religiosam (idest post matrimonium spirituale cum Ecclesia aut cum religione), matrimonium attentat et consummat cum virgine. Videamus num haec bigamia secumferat revera irregularitatem.

393. In primis doctores communiter affirmant esse irregularem ex defectu sacramenti clericum in majoribus ordinibus constitutum, qui ante ordinationem in sacris uxorem non habuit aut non cognovit, et post ordinationem matrimonium attentat et consummat cum virgine (3). Aiunt hanc irregularitatem exprimi praesertim in *cap.* 1, *Qui clerici vel voventes...*, ubi de diacono qui alium diaconum vulneravit et uxorem accepit, Alexander III respondet episcopo :

(1) D'Annibale, *I*, § 418 ; Schmalz., *I, XXI, n.* 5 *et* 17 ; Sanchez, *De matr., VII, LXXXV, n.* 10 ; Barbosa, *De off. et pot. ep., Alleg. XLIX, n.* 25.

(2) Suarez, *l. c., sect. VI, n.* 9 ; Salm., *X, IX, n.* 52.

(3) Garcias, *De beneficiis, p. VII, cap. VI, n.* 15 ; Schmalz., *I, XXI, n.* 8 ; Salm., *IX, n.* 36 ; De Angelis, *l. c., n.* 3 ; Suarez, *De censuris, disp. XLIX, sect. IV* ; S. Alph., *VII, n.* 418 ; Sanchez, *De matr., VII, LXXXXV, n.* 5 ; Vecchiotti, *III*, § 39.

quod si ille diaconus contrito et humiliato corde ad Ecclesiam redire voluerit, dimissa muliere quam accepit in uxorem, et absolutione obtenta, injuncta ei poenitentia de utroque excessu, post eam peractam dispensative poterit episcopus ei diaconatus officium reddere, et si perfectae vitae et conversationis fuerit, eum in presbyterum ordinare. Similiter in *cap.* 2, *ejusd. tit.*, idem pontifex de subdiacono qui matrimonium iniverat quique ab episcopo coactus fuerat uxorem ductam abjurare, mandat ut si ad monasticum ordinem transire voluerit, episcopus concedat eum ad majores ordines promoveri, si ita eidem episcopo post laudabilem conversationem ipsius visum fuerit; si vero ad religionem se transferre noluerit, episcopus eum neque in subdiaconatu ministrare, neque ad altiores ordines promoveri permittat: in minoribus tamen ordinibus concedit ut possit ministrare. Accedit *cap.* 4, *De clericis conjugatis*, ubi quid simile statuit idem Alexander III de sacerdote nuptias attentante, scilicet post longam poenitentiam et vitam laudabilem posse officio suo restitui et ex indulgentia sui episcopi ejus executionem habere. Tandem Suarez, *l. c.*, hanc irregularitatem deducit ex *can.* 24, *caus.* 27, *quaest.* 1, in Decreto.

394. At contra hanc communem sententiam objici potest Alexandrum III, locis citatis, non de irregularitate, sed de suspensione vel excommunicatione agere. Siquidem in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 570*, jam adnotavimus in casu hujus attentati matrimonii concilium Toletanum statuisse, *can.* 6, ut foemina in monasterium, clericus in coenobium detruderetur usque ad mortem; concilium Neocaesariense, *can.* 1, ut presbyter deponeretur et inter laicos redigeretur ad poenitentiam agendam; Alexander III, in *cap.* 1, *De clericis conjugatis*, ut episcopus per suspensionem et excommunicationem cogat clericum ad uxorem dimittendam et poenitentiam agendam; Clemens V, in *Clem. un.*, *De consang. et affin.*, ut excommunicationi latae sententiae clericus subjaceat: quae excommunicatio relata est in const. *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes Ordinariis reservatas, *n.* 1. Jam vero Alexander III in citatis juribus tra-

dit hos clericos, sententia suspensionis aut excommunicationis perculsos, posse absolvi, dimissa uxore et peracta poenitentia ; et etiam, juxta arbitrium et prudentiam episcopi, posse ad ulteriores ordines promoveri, si perfectae vitae et conversationis deinceps fuerint, praesertim professione religiosa emissa. Nemo inficiabitur hunc citatorum canonum intellectum esse obvium omnino, attenta verborum vi et contextu. Hinc Abbas citatum *cap.* 4, *De clericis conjugatis*, intelligit de suspensione, et sic etiam Hostiensis ; et tandem ipse Suarez, admittens in casu irregularitatem, fatetur nullum esse jus quod hos clericos faciat irregulares propter unicum matrimonium cum virgine. Proinde ex citatis responsionibus Alexandri III non videtur haec irregularitas satis probari. Sed neque magis probatur ex *cit. can.* 24, *caus.* 27, *qu.* 1, in Decreto, uti vellet Suarez. Nam hic canon agit de professis religionem, a quibus in re odiosissima regulae juris vetant argumentari ad ordinatos, et alium habet sensum, ut mox dicemus. Igitur irregularitas in casu non videtur in jure expressa ; et ideo, ni fallimur, haberi potest uti dubia (1).

395. Haec quae diximus de prima specie bigamiae similitudinariae, applicantur etiam alteri speciei. Nimirum sententia communissima est esse irregularem ex defectu sacramenti et illum qui post solemnem religiosam professionem matrimonium cum virgine attentat et consummat (2). Innititur *cit. can.* 24, *caus.* 27, *qu.* 1, in Decreto, qui canon est synodi Ancyranae, quique statuit : « Quotquot virginitatem pollicitam praevaricatae sunt, professione contempta, inter bigamos, idest qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt ». Quod si mulieres praevaricatae inter bigamos habendae sunt, a fortiori, ait Sanchez, *l. c.*, *n.* 8, id procedit in viris ; qui proinde, utpote bigami, sunt irregulares. Nonnulli vero codices loco *praevaricatae* habent *praevari-*

(1) Icard, *n.* 815, in fine ; D'Annibale, *l. c.*, § 420, *not.* 18 ; S. Thomas de hac irregularitate silet. Suarez, *l. c.*, sententiam contrariam irregularitati habet probabilem ; et ideo ipsum reprehendit S. Alph., *l. c.*

(2) S. Alph., *VII*, *n.* 448 ; Suarez, *l. c.*, *sect. IV*, n. 2 ; Schmalz., *I*, *XXI*, *n.* 8 ; Sanchez, *De matr.*, *VII*, *XXV*, *n.* 5, *sequ.* etc.

cati; qua posita lectione, lex aperta esset. Ad rem facit etiam *can.* 32, *ejusd. caus. et quaest.*, qui est concilii Aurelianensis : « Si postea (idest post professionem) uxori fuerit sociatus (monachus), tantae praevaricationis reus numquam ecclesiastici gradus officium sortiatur ».

396. Contra hanc communem sententiam in primis animadverti forsan posset canones synodi Ancyranae et Aurelianensis satis non esse ad irregularitatem introducendam, cum utraque synodus sit particularis. At fatendum est saltem Ancyranam synodum ubique fuisse receptam. Rectius autem dicitur, quoad citatum canonem synodi Ancyranae, communius in codicibus non haberi *praevaricati*, sed *praevaricatae* : qua lectione admissa, regulae juris vetant legem ad viros extendere. Imo de irregularitate heic non agitur sensusque longe alius est, nempe : virgines sacratas quae praevaricatae sunt, a gradu decidere et inter bigamos, qui tunc temporis alicui subjiciebantur poenitentiae, amandandas. Monachos vero de quibus in concilio Aurelianensi, contrahere excommunicationem latae sententiae nunc Ordinariis reservatam, patet ex *cit. Clemen. un.*, *De cons. et aff.*, et ex const. *Apostolicae Sedis*, *l. c.* Proinde non videmus quonam jure et haec irregularitas expressa sit (1). At certe non fieret irregularis neque ille qui post vota simplicia matrimonium contrahit et consummat cum virgine, neque ille qui matrimonium cum moniali solemniter professa attentat et consummat, quia pro his casibus irregularitas certe in jure expressa non est (2).

397. Ceterum in praxi non valde refert utrum ii clerici vel monachi irregularitate innodentur necne. Nam ratione censurae et infamiae facti certe prohibentur ad superiores ordines ascendere, et in receptis solemniter ministrare ; imo si ministraverint, tunc contrahunt veram irregularitatem ex violatione censurae. Praeterea certum est episcopum qui potest ab excommunicatione eos absolvere, posse etiam ab hac irregularitate, si qua est, dispensare, ut mox

(1) Icard, *l. c.* ; D'Annibale, *l. c.* ; S. Thomas etiam de hac irregularitate silet.

(2) S. Alph., *VII*, *n.* 499 ; Sanchez, *l. c.*, *n.* 13.

dicemus. Igitur in uno tantum casu interesset de irregularitate investigare, nempe si episcopus, dispensans a censura etiam quoad exercitium et receptionem ordinum, nollet tamen ab irregularitate dispensare; tunc enim clericus vel monachus licite ordines exerceret ac reciperet, si non esset irregularis; illicite, si esset irregularis; sed ille casus vix practicus est.

398. Huc usque determinavimus in quibusnam casibus irregularitas ex bigamia vel vera vel fictitia verificetur. Modo agentes de effectibus irregularitatis ex bigamia, dicimus hanc irregularitatem, sicuti quamlibet aliam, hodie prohibere collationem-receptionem omnium ordinum et etiam primae tonsurae, ut patet ex Conc. Trid., *sess. XXIII. cap. XVII, de ref.* (*n. 402*), et declaravit etiam S. C. C. die 28 *Jan.* 1587. S. Paulus bigamos veros excludit a diaconatu, presbyteratu et episcopatu, cum alii gradus nondum essent instituti; sed deinde, etiam post aliorum graduum clericalium institutionem, veteres canones non prohibuerunt bigamos ab ordinibus minoribus et a subdiaconatu, quamdiu hic inter minores ordines recensitus fuit; quam disciplinam referunt *cap.* 1 *et* 2, *De bigamis*. Pariter irregularitas ex bigamia prohibet solemne exercitium ordinum susceptorum, ex *cit. cap.* 2, sive bona sive mala fide suscepti fuerint; et consequenter prohibet conferri-obtineri beneficium quod exercitium solemne suscepti ordinis requirat. Imo recte observat Suarez, *De censuris, disp. XLIX, sect. V, n. 4*: « Laicos bigamos non solum a susceptione etiam minorum repellendos esse, sed etiam admittendos non esse ad aliquod ministerium ecclesiasticum quod aliquem ordinem minorem per se postulet, quamvis interdum ob necessitatem soleat laicis concedi; nam et hoc ipsum vitandum esse decernit Conc. Trid. (*l. c.*) ».

399. Praeterea clericus saecularis in prima tantum tonsura aut in minoribus ordinibus constitutus, qui uxorem ducens efficitur bigamus vere, aut interpretative in primo casu, omni privilegio clericali est nudatus et coercitioni fori saecularis addictus est, consuetudine contraria non obstante, nec potest tonsuram aut habitum clericalem deferre

sub poena excommunicationis ab episcopo ferendae. Ita expresse Bonifacius VIII in *cap. un., cit. tit.* Aderat jam *can.* 5, *dist.* 84, in Decreto : « Quisquis clericus aut viduam aut certe secundam conjugem duxerit, omnis ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur ». Sed cum quaestio esset utrum haec nudatio foret latae an ferendae sententiae, illudque *nudetur* potius ferendam sententiam indicaret, Bonifacius VIII, *l. c.*, hanc controversiam sustulit, et declarans *cit. can.* 5 (1), statuit clericum, bigamum effectum, privilegia clericalia amittere ipso jure. Exinde sequitur statutum Bonifacii VIII, sicut *cit. can.* 5 quem declarat, non respicere nisi clericum qui factus est bigamus vere, aut interpretative in primo tantum casu. Praeterea clericus in majoribus ordinibus constitutus, matrimonium attentans, numquam comprehenditur sub *cit. cap. un.*, *De bigamis* (2) ; imo nec clericus in prima tonsura aut in minoribus ordinibus constitutus, si matrimonium quod contrahit, est invalidum (3), etiam admissa ejusdem clerici irregularitate ; tandem nec religiosus solemniter professus qui nuptias inire audet (4).

400. Episcopus autem, bigamum scienter promovens, jure decretalium erat suspensus a collatione ordinum et a celebratione Missarum per annum, ex *cap.* 2, *De bigamis*, et ex *can.* 2, *dist.* 55, in Decreto. Disputant doctores utrum haec poena fuerit latae an ferendae sententiae ; sed si erat latae sententiae, obsolevit, quia non legitur in const. *Apostolicae Sedis.*

401. Tandem de dispensatione ab hac irregularitate aliqua dicenda sunt. Non defuerunt qui affirmarent neque R. P. posse dispensare ab irregularitate ex bigamia vera, quae, a S. Paulo promulgata, juris divini esse videbatur. Id falsum est : nam in casu est vetitum simpliciter apostolicum, a quo R. P. et generale concilium dispensare utique possunt. Et si Lucius III, in *cap.* 2, *De bigamis*, affirmat in bigamis

(1) Glossa in *cit. cap. un. De bigamis etc.*, *v. altercationis.*
(2) Fagnanus, in *comm. cap.* 4, *De bigamis*, *n.* 28 ; Schmalz., *I*, *XXI*, *n.* 12.
(3) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 22 *sequ.*
(4) Suarez, *De censuris*, *disp. XLIX*, *sect. V*, *n.* 7 ; Schmalz., *l. c.*

contra Apostolum dispensare non licere, id intelligendum est de sola gravi difficultate dispensationis. Contra glossam vero, *l. c.*, *v. dispensare*, dicimus R. P. equidem efficere non posse ut bigamus vere non sit amplius bigamus, sed posse concedere ut bigamus promoveatur. Posse vero R. P. dispensare ab irregularitate ex bigamia fictitia nemo umquam dubitavit. Ceterum de hac dispensatione repetenda sunt quae alias diximus in genere de dispensatione irregularitatis a Sede Apostolica obtenta.

402. E contrario nonnulli putaverunt episcopum quoque, etsi sine speciali indulto, posse dispensare ab irregularitate ex bigamia vera aut interpretativa, saltem in casu necessitatis, quoad ordines minores et beneficia simplicia, imo etiam quoad ordines majores pro illis qui volunt Deo in religione servire (1). Hanc opinionem refutat Fagnanus, in *comm. cap. 2. De bigamis*, *n.* 19 *sequ.* Nobis sufficiat citare verba Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVII*, *de ref.*, ubi praecipit caelibes esse assumendos ad statum clericalem, ac subdit: « Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, possint etiam conjugati vitae probatae, *dummodo non bigami*, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ». Igitur circa dispensationem ab hac irregularitate episcopi ex jure communi speciales facultates non habent. Imo quaestio est utrum episcopus vi decreti Tridentini, *sess. XXIV*, *cap. VI*, *de ref.*, possit dispensare ab hac irregularitate, quando peccatum grave occultum ex parte viri eidem causam dedit; aliis negantibus, quia etiam in hoc casu irregularitas est ex defectu, aliis affirmantibus, quia in hoc casu irregularitas est ex delicto occulto (*n. 217*). At cum dubium sit utrum irregularitas in casu sit ex defectu an ex delicto, cumque citatum decretum Tridentinum procedat etiam in hoc dubio (*n. 221*), sequitur episcopum posse in casu dispensare. Tandem, cessante infamia facti, episcopum posse dispensare etiam pro ordinibus majoribus ab irregularitate ex bigamia similitudinaria (si quae existit), licet haec irre-

(1) S. Thomas, in 4, *dist.* 27, *q.* 3, *art.* 3.

gularitas sit ex defectu, omnes admittunt (1), et saltem pro prima specie hujus irregularitatis satis patet ex dictis *n. 393*. Ceterum etiam excommunicatio quam clerici in sacri constituti, aut regulares religionem solemniter professi in casu contrahunt, est solum Ordinariis, ut dictum est, reservata, etiam in const. *Apostolicae Sedis*. Quod si hac excommunicatione innodati ordines solemniter exercere ausi fuerint, tunc contrahunt irregularitatem ex violatione censurae, a qua episcopus dispensare nequit nisi in casibus alias expositis.

403. Demum S. Alph., *VII, n. 453*, cum aliis, docet superiores regulares cum votis solemnibus ex privilegio Sixti IV posse dispensare cum suis subditis in omni bigamia. Nempe post emissam a subditis solemnem professionem possunt cum eisdem dispensare pro omnibus ordinibus; post emissam vero professionem simplicem ante solemnem, juxta praesentem disciplinam, non possunt dispensare nisi pro prima tonsura et ordinibus minoribus.

404. Concludimus animadvertentes, juxta communem sententiam, multiplicatis matrimoniis, non ideo multiplicari bigamiam veram, ita ut aeque sit irregularis bigamus, ac trigamus, quadrigamus, etc. (*n. 197*) (2). Proinde in petenda dispensatione sufficit exprimere se duo matrimonia contraxisse. His autem positis, eadem doctrina applicanda est casui quo existit simul bigamia vera et bigamia fictitia, aut multiplex bigamia fictitia, quia non potest plus praestare fictio quam veritas. Exceptio facienda est in illorum opinione qui putant hanc irregularitatem esse ex delicto, quando intervenit peccatum grave ex parte viri causans irregularitatem; tunc enim multiplex foret irregularitas si simul verificatur bigamia sine peccato et bigamia cum peccato, quia illa esset ex defectu, haec ex delicto, e. g. si bigamus

(1) S. Alph., *VII, n.* 452; D'Annibale, *I*, § 420; Salm., *X, IX, n.* 41; Suarez, *l. c., sect. VI, n.* 18; Sanchez, *l. c., n.* 20. De Angelis, *I, XI, n.* 1, refert S. C. C. die 28 *Jan.* 1587 declaravisse, probante Sixto V, episcopum posse dispensare pro prima tonsura.

(2) Schmalz., *I, XXI, n. ult.*; Pihing, *I, XXI, n. ult.*; Navarrus, *De bigamis, cons.* 2; Sanchez, *De matr., VII, LXXXVI, n. ult.*

verus modo matrimonium attentat et consummat cum repudiata.

b) De irregularitate ex homicidio vel mutilatione (1).

405. *Homicidium* lata significatione est *hominis occisio ab homine peracta* : stricta vero significatione haec occisio appellatur homicidium tantum, si fuerit voluntaria (2). Dicitur in primis *occisio*, idest vitae ademptio; nec interest quo modo quis fuerit interfectus, an ferro, an veneno, an fame etc., nec quantum vitae tempus ei fuerit ademptum (3). Additur *occisio hominis*, nempe cujuscumque, et ideo etiam abortus foetus animati est homicidium, ex *cap.* 20, *De homicidio*, nisi ejectus supervixerit, non vero abortus foetus inanimati (4) ; et ideo in *cap.* 5, *De homicidio*, ille qui dedit mulieri venena sterilitatis, non dicitur esse homicidam, sed dicitur : *Ut homicida teneatur.* Demum subditur *ab homine peracta*, quia si homo ab alia causa sive animata sive inanimata interficitur, non est homicidium, sed infortunium, vel pauperies.

406. *Mutilatio* autem est membri abscissio. Porro *membri* nomine in probabiliori et communissima doctrina venit pars corporis quae proprium et a ceteris distinctum officium habet ; non item quae subsidiariam tantum operam praestat (5). Hinc manus, brachium, pes, oculus, lingua, mamilla mulieris, etc., sunt totidem membra. E contrario auricula et nasus non sunt membra, quia, iis ablatis, non tollitur omne officium audiendi aut olfaciendi ; nec dentes qui sunt instrumenta maxillarum ad cibos mandendos ; nec capilli et barba ; nec unus digitus, imo nec duo digiti cum medietate palmae, ut videtur, quia qui haec amisit. in *cap.* 2, *De clerico aegrotante*, non dicitur mutilatus, sed debili-

(1) Vide canonistas in tit. *De homicidio voluntario et casuali. XII. lib. V Decret.*

(2) Suarez, *De censuris, disp. XLIV, ab initio.*

(3) D'Annibale, *I*, § 421.

(4) D'Annibale, *l. c., not.* 2 ; Suarez, *l. c., sect. II, n.* 13 ; *sect. III, n.* 4.

(5) S. Alph., *VII, n.* 379, plures alios citans ; D'Annibale, *l. c.*

tatus ; nec pars membri, e g. pars linguae (1). Tandem ambo testiculi sunt membrum, quia propriam operationem habent, nempe efformandi semen ; non vero unus tantum, quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad operationem concurrat ; item membrum virile est membrum, ut ex ipso nomine patet. *Abscindere* autem est separare a corpore. Quamobrem abscissio non intelligitur, si membrum laesum vel deformatum tantum fuerit, imo nec si factum fuerit prorsus inutile (2). Ex his igitur patet quid sit mutilatio in sensu stricto.

407. Nos in praesenti agimus de homicidio et mutilatione solum in ordine ad irregularitatem. Cum enim non deceat eum qui hominem interfecit aut mutilavit, etiam sine culpa, esse ministrum illius qui fuit *mitis et humilis corde*, Ecclesia eum removit a clero seu declaravit irregularem, sive ex delicto, si occidens vel mutilans peccatum commisit, sive ex defectu lenitatis. In veteri Testamento Deus praeceperat, *Exod.*, *XXI*, 14 : *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur* ; et licet haec lex, utpote caeremonialis, per adventum Christi cessaverit, tamen Ecclesia eamdem recepit extenditque ad alias etiam homicidii species et ad mutilationem. Igitur in subjecta materia haec sit regula generalis : *Qui aliquem occidit vel mutilat, est irregularis* ; infra autem videbimus exceptiones, quibus aliquando occidens vel mutilans non est irregularis, et e contrario aliquando etiam ille est irregularis qui de facto ipse propriis manibus nec occidit nec mutilavit.

De irregularitate ex mutilatione passive spectata supra locuti sumus, agentes de irregularitate ex vitio corporis.

408. Si quaeratur quaenam sint relationes inter irregularitatem ex homicidio et irregularitatem ex mutilatione, respondemus, in genere in odiosis non dari argumentum ab ho-

(1) D'Annibale, *l. c.* ; S. Alph., *l. c.*, plures alios citans ; Salm., *X, XXVIII, n.* 22, contra Suarez, *l. c., sect. II, n.* 6, aliosque qui putant etiam nasum, digitos, auriculam esse membra, quia per horum abscissionem jam aufertur corporis integritas.

(2) D'Annibale, *l. c.*

micidio ad mutilationem, dari vero a mutilatione ad homicidium, quia mutilatio in homicidio continetur tamquam pars in toto : e contrario in favorabilibus dari argumentum ab homicidio ad mutilationem, non vero a mutilatione ad homicidium (1). Hinc probata irregularitate pro homicidio, per se non sequitur irregularitas pro mutilatione, ut per se patet ; sed si probaretur irregularitas pro mutilatione, statim sequeretur irregularitas etiam pro homicidio. Concessa potestate dispensandi ab irregularitate ex homicidio, sequitur concessam etiam esse potestatem dispensandi ab irregularitate ex mutilatione. Reservata vero potestate dispensandi ab irregularitate ex homicidio voluntario, non sequitur esse quoque reservatam potestatem dispensandi ab irregularitate ex mutilatione.

409. Porro irregularitas numquam contrahitur, si occisio vel mutilatio de facto sequuta non est quacumque demum de causa (*n. 191*), e. g. si judex morte reum damnavit, qui deinde a principe gratiam obtinuit : quod semel pro semper dictum sit.

Quid in dubio de patrata occisione vel mutilatione? Debet applicari doctrina tradita *n. 162 sequ.* At si homo fuit certe occisus et graviter dubitatur utrum Titius illum interfecerit an alius, sequentia notanda sunt. Si Titius est sacerdos, in *cap.* 12, 18 *et* 24, *De homicidio*, statuitur ipsum debere a *sacris ordinibus*, vel a *sacerdotali officio*, vel a *ministerio altaris* abstinere. Consequenter cum omnes alii gradus clericales in praesenti disciplina sint *gradus* ad sacerdotium, Titius, si non est sacerdos, nequit in tali dubio ad ullum gradum promoveri, et nec ad primam tonsuram : sicuti sacerdos nequit in episcopum consecrari (*n. 152*). Num vero in hoc dubio prohibeatur etiam exercitium aliorum ordinum susceptorum praeter sacerdotium : num ea quae diximus extendi debeant ad casum quo dubitatur utrum homo revera occisus sit necne, et ad casum mutilationis, non bene constat (2) : proinde prohibitio dubia est.

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XLIV*, *sect. II*, *n.* 4 ; Schmalz., *V*, *XII*, *n.* 190 *sequ.*

(2) S. Alph., *VII*, *n.* 327 ; D'Annibale, *I*, § 428.

410. His positis, ut aliquo ordine procedamus in expositione hujus irregularitatis valde difficilis, animadvertimus homicidium vel mutilationem aliquando *ex facto privato* procedere, aliquando ex *facto publicae auctoritatis*. In utroque casu irregularitas enascitur ; sed in primo casu enascitur ex delicto quod committitur quodque non semper esse delictum homicidii vel mutilationis ex dicendis patebit ; in altero aliquando ex delicto, aliquando ex defectu lenitatis, ita ut irregularitas ex defectu lenitatis ortum habeat tantum ex homicidio vel mutilatione jussu publicae auctoritatis commissa (1). Sed jam de singulis.

411. I. Occisio vel mutilatio *facto privato* commissa distinguitur in *voluntariam* et *non voluntariam*, quae deinde subdividitur in *necessariam* et *casualem*, juxta rubricam *cit. tit., De homicidio voluntario et casuali*, et Conc. Trid. *sess. XIV, cap. VII, de ref.* (*n. 156*), et *sess. XXIV, cap. VI, de ref.*, (*n. 217*) (2). Distinctim igitur loquemur de occisione vel mutilatione *voluntaria, necessaria, casuali*.

412. 1° Magni interest, etiam pro praxi, determinare quandonam homicidium dicatur et sit voluntarium, quia Conc. Trid., *cit. sess. XXIV, cap. VI*, concedens episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excipit eam quae oritur ex homicidio voluntario. Videamus igitur quandonam homicidium sit voluntarium in sensu Conc. Trid., *l. c.*

413. Jam vero occisio vel mutilatio dicitur voluntaria quando, citra casum legitimae defensionis ac metus gravis, occidens vel mutilans vult mortem vel mutilationem seu explicite seu implicite, volens nimirum actionem ex qua sciebat mortem vel mutilationem suapte natura sequi, licet forte de morte vel mutilatione explicite non cogitaverit ; quia

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 214 ; D'Annibale, *I*, § 421. Vide supra *pag. 195* in nota.

(2) Glossa, in *cap.* 6, *De homicidio etc.*, § *Clericos*, *v. consilium* : « Distingue circa hanc materiam : aut committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate ».

moraliter idem est velle talem causam proximam et velle effectum ; e. g. qui vult applicare ignem segeti, eo ipso satis vult incendium ; qui vult propinare venenum quod scit esse mortiferum, eo ipso satis vult mortem ; qui vult graviter percutere in ventre mulierem praegnantem, eo ipso satis vult abortum ; qui vult sclopum explodere in locum hominibus refertum, eo ipso satis vult homicidium ; qui vult ense percutere in quacumque parte potest, et quomodo potest, eo ipso satis vult mortem, etc. (1). Intentio autem mortis vel mutilationis praesumitur, effectu sequuto, nisi aliud probetur, quia animus talis praesumitur qualem verba vel facta ipsa declarant, nisi aliae conjecturae concurrant quae hanc praesumptionem tollant, et probationis onus in adversarium rejiciant (2).

414. Quid vero si occidens vel mutilans mortem vel mutilationem alicujus voluit explicite vel implicite in rixa ? Nisi occisio vel mutilatio fiat in actu primo-primo, ut aiunt, qui est involuntarius, sed difficile in foro externo probari potest, putamus occisionem vel mutilationem esse voluntariam, quia notio data apprime applicatur. Confirmatur quia homicidium voluntarium, de quo Conc. Trid., est homicidium *voluntate* seu *ex proposito* commissum, per oppositionem ad homicidium casu vel vim vi repellendo perpetratum : atqui homicidium in repentina rixa non accidit casu vel vim vi repellendo, sed voluntate seu ex proposito committitur, ut supponimus ; et ideo est voluntarium (3). Neque dicas homicidium voluntarium ex Conc. Trid., *cit. sess. XIV, cap. VII*, esse quando quis *per industriam occiderit proximum suum et per insidias*, quod in casu non verificatur (4). Nam respondemus Conc. Trid., *l. c.*, in primis referre ea verba Exodi, et deinde legem ponere : in

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 3 *sequ.* ; Pirhing, *n.* 3 ; Reiff., *n.* 3 ; D'Annibale, *I*, § 422 ; Suarez, *disp. XLIV; sect. I, n.* 1 *sequ.*

(2) Schmalz., *l. c., n.* 14 *sequ.*

(3) S. Alph., *l. c., n.* 394, qui hanc doctrinam dicit probabiliorem ; Suarez, *l. c., n.* 3 ; Navarrus, *Cons. XXVII, n.* 240 ; Diana, , *XXI, n.* 19.

(4) Salm., *X, VIII, n.* 6 qui alios citant, inter quos tamen immerito recensetur Diana qui seipsum, *l. c.*, in nota praecedenti retractavit ; D'Annibale, *I*, § 429, *not.* 14.

hac autem lege distinguit duplicem homicidii speciem, nempe homicidium *voluntate* seu *ex proposito*, et homicidium *casu vel vim vi repellendo commissum* : primum est voluntarium, alterum involuntarium juxta *sess. XXIV, cap. VI* ; atqui Conc. Trid. a prima homicidii classe non excludit homicidium in repentina rixa commissum. Haec adeo clara esse videntur, ut valde dubitemus de contrariae doctrinae probabilitate.

Alios casus occisionis vel mutilationis voluntariae infra expendimus.

415. Porro qui voluntarie aliquem occidit vel mutilat, profecto gravissime peccat et irregularitatem contrahit ex delicto homicidii. Irregularitas occidentis patet ex omnibus capitibus in tit. *De homicidio voluntario et casuali* contentis aliisque juribus, quorum plura infra citamus. Irregularitas mutilantis desumitur ex *Clem. un., ejusd. tit.*, ubi Glossa, *v. mutilet*, alia etiam jura parallela citat. Neque aliquid refert quod quis unum pro alio occiderit vel mutilaverit (1) ; quo errore non obstante, occisio vel mutilatio remanet voluntaria, ut explicat Fagnanus, in *comm. cap.* 12, *De homicidio*, *n.* 68 *sequ.*, et Schmalz., *V, XII, n.* 237, cum aliis. Eadem irregularitate tenetur ille qui alteri inflixit vulnus lethale, vel venenum propinavit ex quo etiam post longum tempus de facto mors sequuta est, licet ante vulnerati mortem homicidam poeniteat de vulnere inflicto aut de propinato veneno ; quae poenitentia minime impedit quominus homicidium in casu dicatur et sit voluntarium (2). Tandem plures censent non esse irregularem Titium qui lethaliter percussit Sempronium, quem Maevius, independenter omnino a Titio, deinde interficit (3) ; quibus contradicunt Fagnanus, in *comm. cap.* 18, *De homicidio*, et alii plures. Proinde in casu irregularitas videtur dubia (*n. 162 sequ.*). Quod si dubium sit num percussio Titii mortem Sempronii causaverit vel acce-

(1) Suarez, *disp. XLV, sect. VI, n.* 18 ; D'Annibale, *l. c.* ; S. Thomas, 1, 2, *qu.* 76, *a.* 3. Exemplum habes in *Nepesina, Dispensationis ab irregularitate*, 13 *Julii* 1782.

(2) S. Alph., *VII, n.* 368 ; Suarez, *disp. XLIV, sect. III, n.* 5.

(3) S. Alph., *l. c., n.* 369, cum Layman et pluribus aliis.

leraverit, non videtur Titius ab irregularitate excusari posse (1), quia cum percussio fuerit lethalis, praesumitur mortem causavisse vel acceleravise. Utrum vero vulnus inflictum aut venenum propinatum fuerit mortale et ex eo mors sequuta sit necne, ex circumstantiis et praesertim ex medicorum judicio determinari debet.

416. Est etiam irregularis ex delicto ille qui sibi abscidit digitum aut partem digiti, licet haec non sit mutilatio proprie dicta, ex speciali dispositione in *can.* 6, *dist.* 55, in Decreto, ubi haec datur ratio, quia in eo « voluntas est judicata quae sibi ausa fuit ferrum injicere ». Excipe si quis sibi amputat digitum superfluum, ut notat Glossa, *l. c.*, *v. digiti* ; aut sibi digitum amputat in casu necessitatis ad vitam servandam, e. g. quia serpens digitum momordit quem oportet statim amputare; nam in hoc casu delictum abest, et haec irregularitas, uti diximus, est ex delicto. At qui alii digitum aut digiti partem abscidit, probabiliter non est irregularis, quia haec irregularitas non est expressa neque in juribus quae in genere statuunt irregularitatem ex mutilatione, cum in casu mutilatio proprie dicta non adsit ; neque in *cit. can.* 6, *dist.* 55, quia hic canon loquitur de amputante seipsum et stricte est intelligendus ; neque in alio jure quod nullibi legitur (2).

417. Ex dictis sequitur esse irregularem ex delicto qui sibi abscidit virilia, etiamsi id fecerit studio castitatis : nam seipsum culpabiliter mutilat, et praeterea id aperte statuitur in *cap.* 3, 4, 5, *De corpore vitiatis ordinandis vel non*, et in *can.* 4, 5, 7, 8, 9, *cit. dist.* 55, in Decreto. Idem dicas, si quis culpabiliter sibi fecit amputari virilia ex *cit. cap.* 3, *De corpore vitiatis* ; aut si quis alteri culpabiliter virilia amputavit. Quod si quis hanc amputationem passus est aut alteri fecit ex juxta causa, e. g. propter sanitatem, deficiente delicto, deficit irregularitas, ex *cit. cap.* 3 *et* 5, *De corpore vitiatis*, et *ex cit. can.* 7, 8, 9, *dist.* 55, in Decreto ; item si quis hanc amputationem sibi aut alteri fecit sine justa

(1) S. Alph., *l. c.*
(2) S. Alph., *VII*, *n.* 879, cum aliis communissime.

quidem causa, sed in bona fide putans se obsequium praestare Deo, non est irregularis ; quae tamen bona fides in foro externo non praesumitur, et ita videtur intelligendum *cit. cap. 4, De corpore vitiatis*. Quid vero si testiculi tantum fuerunt culpabiliter amputati ? Et si unus tantum amputatus fuit, irregularitas non intelligitur, quia non est vera mutilatio, et specialis canon statuens hanc irregularitatem non adest. Si uterque, irregularitas contrahitur, sive alteri sive sibi hanc amputationem quis fecerit, quia est proprie dicta mutilatio, licet nonnulli apud S. Alph., *VII*, *n.* 380, 418, aliter senserint, quibus adde D'Annibale, *l. c.*, *not.* 14. Quod si quis culpabilem causam dedit tali abscissioni sed absque suo consensu, e. g. accedens ad conjugatam et ita dans causam ut a marito sibi virilia abscindantur, non est irregularis (1).

418. Quaeritur num sit irregularis qui alteri membrum, e. g. brachium, reddit inutile aut membrum inutile abscindit. Si unus idemque in primis membrum reddit inutile ac deinde illud amputat, de irregularitate dubitandum minime est (2). Si quis membrum reddit inutile, quin tamen postea abscindat, probabilius non est irregularis, quia haec, deficiente abscissione, non est proprie dicta mutilatio (3). Contradicunt Suarez, *disp. XLIV*, *sect. II*, *n.* 2, S. Alph., *VII*, *n.* 380, aliique, quia membrum prorsus inutile est aridum et mortuum : quod falsum est, quia alias brevi tabesceret. Tandem idem repetas de illo, qui membrum inutile abscindit quin illud prius inutile reddiderit ; nam cum hoc membrum non habeat actum, non est membrum formaliter (*n. 406*) et ideo rursus abest proprie dicta mutilatio (4).

419. Haec de ipso auctore occisionis vel mutilationis ; modo videamus utrum hanc irregularitatem contrahant necne illi qui licet occisionem aut mutilationem propriis manibus non committant, tamen ad occisionem vel mutilationem concurrunt vel moraliter vel physice.

(1) S. Alph., *l. c.*, *n.* 417 ; Suarez, *l. c.*, *disp. LI*, *sect. II*, *n.* 8.
(2) D'Annibale, *l. c.*, § 421, *not.* 8.
(3) D'Annibale, *l. c.*, cum Navarro, Palao, Covarruvias.
(4) D'Annibale, *l. c.* ; Salm., *X*, *VIII*, *n.* 27 ; S. Alph., *l. c.*

420. Moraliter concurrunt ad occisionem vel mutilationem *mandans*, *consulens*, *non prohibens*, *consentiens*.

421. *Mandans* occisionem aut mutilationem, sequuto effectu, est profecto irregularis ex occisione vel mutilatione voluntaria. Probatur ex *cap.* 11, *De homicidio* : « Diaconus qui *homicidio causam dedisse* videtur, non videtur ad sacerdotium promovendus ». Imo Bonifacius VIII, in *cap.* 3 *ejusd. tit.*, *in* 6°, statuit : « Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, mutilet vel occidat : cum mandando in culpa fuerit et hoc evenire posse debuerit cogitare ». Et Glossa, in *cap.* 6, *De homicidio*, § *Clericos*, *v. consilium* : « Homicidium committitur facto, consilium, praecepto et defensione... Et sic distingue circa hanc materiam : aut committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate. Si voluntate quod fit tribus modis, facto, praecepto et consilio... et lingua sive adhortatione. In quocumque ipsorum casuum quis committit homicidium, non solum non debet promoveri, sed in perpetuum debet deponi... ; et etiamsi paganum interfecerit, irregularis efficitur, sive Saracenum ». Quod si mandans mandatum ante mortem revocavit et revocatio sufficienter reipsa intimata fuit mandatario qui nihilominus mortem intulit, aut mutilavit, mandans ab irregularitate excusatur, quia non est amplius causa occisionis vel mutilationis (1) ; et ad revocationem mandati sufficit quaecumque significatio mutatae voluntatis, etiamsi non verbis sed factis fiat, e. g. si mandans rediit in amicitiam cum illo cujus mortem procurabat, et hoc scit mandatarius. Pariter irregularitatem mandans non contrahit, si certum est ipsum non influxisse in homicidium vel mutilationem (2) ; si est tantum probabile, vide *n.* *409* ; sed haec certitudo aut positiva probabilitas difficile haberi poterit.

Mandans videtur irregularis etiam in casu quo mandatarius, dum vult mandatum executioni demandare, ipse inter-

(1) Suarez, *l. c.*, *disp. XLIV*, *sect. III*, *n.* 7 *sequ.*, cum communi.
(2) S. Alph., *VII*, *n.* 370 *sequ.*

ficitur (1) quia mandans ejus mortis vera causa fuit : sed hoc homicidium non est voluntarium mandanti. Item non est voluntarium mandanti in casu Bonifacii VIII, *l. c.*, ut censuit etiam S. C. C. apud Fagnanum in *cit. comm. cap.* 12, *De homicidio*, *n.* 55 (2). Imo nec est voluntarium mandanti homicidium, si mandans jusserat famulo ut interficeret Joannem, et famulus, putans se interficere Joannem, de facto interfecit Petrum, ut eadem S. C. resolvit die 9 *Jan.* 1587, apud eumdem auctorem, *l. c.*, *n. ult.*

Ceterum quocumque modo detur mandatum, dummodo mandatarium moveat, satis est pro occisione aut mutilatione voluntaria et irregularitate (3) quia semper verum est mandantem esse moralem causam occisionis vel mutilationis.

422. Mandanti accensetur cogens alium physice vel moraliter ad occasionem vel mutilationem perpetrandam.

423. *Consulentem* homicidium plerique affirmant esse irregularem, alii negant ; nos distinguimus.

Si quis dedit simplex consilium : e. g., te Titius offendit, occide eum ; fortasse de irregularitate dubitari potest, quia semper dubitari non immerito potest num illud consilium ad homicidium revera determinaverit delinquentem, qui forte paratus erat ad delinquendum etiam absque consilio. At si quis dedit consilium persuasivum et instructivum, idest renuentem induxit ad homicidium perpetrandum, afferens varias rationes, indicans modum illud impune committendi etc., putamus esse irregularem ex delicto homicidii voluntarii. Sane ipse est vera homicidii causa moralis, prouti tradit etiam S. Augustinus in *can.* 1, *De poenitentia*, in Decreto. Item in *cap.* 2, *De clericis pugnantibus in duello*, ibi : « Homicidium autem tam facto, quam praecepto, sine *consilio* aut defensione non est dubium perpetrari ». Et in *cap.* 6, *De homicidio*, legitur : « Qui vero se asserunt animum regis inflammasse ad odium, unde homicidium fuit secutum, dure et aspere, sed non ita severe sunt puniendi ; *nisi forte*

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 18.
(2) Vide folium S. C. C. in *Terracinensi*, 19 *Apr.* 1766.
(3) Suarez, *l. c.*, *n.* 14.

regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent». Ubi Glossa, *v. provocassent*, addit : « Forte alias non facturum : unde aeque tenentur quia dolo ad hoc induxerunt regem qui alias forte non fecisset ». Lege etiam Glossam relatam *n. 421*. Cum igitur consulens modo explicato sit vera causa moralis homicidii, et in jure habeatur homicida, aeque reus ac ille qui suis manibus hominem interemit, non est ab irregularitate excusandus, ex *rel. cap. 4, De homicidio*. Esse irregularem sacerdotem de cujus *studio, consilio vel mandato* alii homicidium commiserunt, non obscure desumitur ex *cap. 18, ejusd. tit.*, et ex *cap. 10, De excessibus praelatorum*. Vide etiam *can. 8, dist. 50*, in Decreto, cujus verba refert Caelestinus III in *cit. cap. 2, De clericis pugnantibus in duello*.

Ceterum quae supra diximus de revocatione mandati, repetantur etiam de revocatione hujus consilii ; addendum autem est ad effugiendam irregularitatem satis non esse consulentem consilium simpliciter revocare, sed insuper debet, quantum potest, propositum inductum contrariis rationibus destruere ; secus, si homicida, primis rationibus motus, delictum committit, consulens, non obstante simplici consilii revocatione, irregularitatem verius contrahit, utpote adhuc homicidii vera causa (1).

Cum vero haec consulentis irregularitas nullo modo legatur in jure expressa pro mutilatione, putamus consulentem mutilationem non esse irregularem.

424. *Non impediens* mortem alterius, si ex charitate tantum impedire tenebatur, juxta receptam sententiam non est irregularis. Si tenebatur etiam ex justitia, uti servus erga dominum, filius erga patrem, miles, etc., et non impedivit ex mera negligentia, seu incuria, pariter irregularitatem effugit ; quod non obscure desumitur ex *cap. 7, De poenit. et remis. pecc.* ; si non impedivit studiose ut alius occidatur, nonnulli affirmant irregularitatem contrahi, ex *cit. cap. 7, De poenit. et remis. pecc.*, et *cap. 6, § Illi etiam, De homicidio, n. 428* quia hic negative quidem, sed vere moraliter in-

(1) Suarez, *l. c., n. 12 sequ.*

fluit in homicidium ; alii negant, quia canones irregularitatem constituunt tantum in illos qui positive influunt in mortem alicujus. Haec igitur irregularitas erit dubia.

425. *Consentiens* in homicidium non est irregularis. Nam hic consensus est vel in homicidium committendum, vel in homicidium jam commissum. Si quis consentit in delictum jam commissum, irregularitatem numquam contrahit, cum delictum ipsi non debeatur, sive approbet delictum non suo nomine factum, quod nemo umquam denegavit, sive ratum habeat delictum suo nomine perpetratum (1), licet haec approbatio vel ratihabitio a peccato mortali excusari nequeat. Nec obstat *reg.* 10 *juris*, in 6°: *Ratihabitio retrohabitur et mandato comparatur* ; nam hoc verum est quoad culpam, non autem quoad poenam, nisi in casibus in jure expressis ; et expressum non est quoad irregularitatis poenam.

Pariter si quis consentit in delictum committendum, irregularitatem effugit, sive approbet delictum non committendum suo nomine, quod omnes admittunt, sive approbet delictum perpetrandum suo nomine ; nam si haec approbatio verbis non exprimitur homicidae, consentiens accensetur non impedienti ; si haec approbatio verbis exprimitur homicidae, consentiens aequiparatur consulenti simpliciter. Quod si ita approbet homicidium futurum ut consilium persuasivum aut instructivum praebeat, vide quae diximus *n. 423*.

426. Physice concurrunt in homicidium vel mutilationem *condelinquentes* qui in delicto praecipuas partes habent, et *participes* simpliciter, qui secundarias ; licet in concreto aliquando facile non sit determinare utrum quis condelinquens fuerit an particeps tantum.

427. *Condelinquentes* contrahunt irregularitatatem ex delicto voluntario, licet propriis manibus homicidium vel mutilationem non perpetraverint. Hinc si delictum ex conspiratione plurium perpetratum est, irregularitas omnes conspiratores afficit, quia omnes sunt condelinquentes ; e. g. si

(1) S. Alph., *VII*, *n.* 375 ; Suarez, *l. c.*, *disp. XLIV*, *sect. III*, *n.* 24 ; D'Annibale, *l. c.* ; Schmalz., *V*, *XII*, *n.* 156; Pirhing, 28 ; Reiff., *n.* 48, aliique communiter contra paucos.

Titius interficitur a Sempronio, dum Maevius illius manus detinet et Cajus vigilat num satellites superveniant. Sane delictum omnibus aeque imputatur ; et ideo cum absurdum sit omnes ab irregularitate liberare, dicendum potius est omnes esse irregulares (1). Pariter ob eamdem rationem putamus esse irregularem illum qui occurrit fugienti ab altero qui ad necem insequitur, et cum sistit, ut alter superveniens eum occidat ; nam et ipse est condelinquens aeque reus ac occisor, licet proprie dicta conspiratio inter utrumque non fuerit (2). Item famulus qui clavem domus alteri praebet ut hic ingressus occidat vel mutilet.

428. Etiam *participes* simpliciter, si opem proximam praebuerint, in communissima sententia sunt irregulares. In *cap.* 6, § *Illi etiam*, *De homicidio*, legitur : « Illi etiam qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minori debent poena mulctari ; quia... constat ab homicidii reatu immunes non esse qui occisoribus opem contra alios praestare venerunt ; nec caret scrupulo societatis occultae qui manifesto facinori desinit obviare ». Et in § *Hi quoque* : « Hi quoque non sunt a culpa liberi, nec a poena debent esse immunes qui, licet fuerint illius machinationis ignari, tamen eis quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis ministerium praebuerunt ». Diximus *si opem proximam homicidio praebuerunt* ; nam non est irregularis qui remote tantum delicto participat, e. g. arma vendens quibus scit homicidium esse perpetrandum. Multo minus irregulares sunt qui nullam partem habuerunt in ipsa delicti commissione, sed deinde homicidae aliquod auxilium dederunt, e. g. occultaverunt corpus delicti vel ipsum homicidam, nisi forte hunc concursum antea promiserint.

429. Ex dictis solvi potest casus de homicidio commisso non ex condicto, sed in rixa subito exorta inter plures. Nam si constat de occisore, ipse quidem est irregularis ex delicto homicidii voluntarii (*n. 414*) ; alii vero utrum sint irregula-

(1) D'Annibale, *l. c.* ; Schmalz., *V*, *XII*, *n.* 174 ; Pirhing, *n.* 33.
(2) Schmalz., *l. c.*, *n.* 173 ; Reiff., *n.* 35.

res necne, non satis convenit ; si non constat de occisore, omnes habentur condelinquentes aut saltem participes ac opem proximam afferentes, et ideo irregulares (1). « Aliud est, ait Schmalz., *l. c.*, *n.* 176, alios citans, si constaret homicidium factum esse ab uno ex quatuor hominibus qui erant in domo ex qua projecto lapide praeteriens occisus est, et ignoretur a quo illorum projectus fuerit ; tunc enim in foro externo nullus irregularis censebitur, quia nullus in particulari censebitur deliquisse, nisi probetur ; et melius est unum nocentem dimitterre, quam tres innocentes condemnare, ideoque unusquisque relinquendus est conscientiae suae ».

Huc usque de occisione vel mutilatione *voluntaria* ; modo de *involuntaria* et in primis de *necessaria*.

430. 2° Occisio vel mutilatio dicitur *necessaria* in primis quando quis eam committit ad defensionem propriae vitae. Ut haec occisio vel mutilatio licita sit, debet *moderamen inculpatae tutelae* observari ; sed licet quis hoc moderamen non leviter excesserit, tamen occisio vel mutilatio non ideo evadit voluntaria in sensu juris, sed adhuc dicitur necessaria, ita ut non comprehendatur sub restrictione Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. VI*, *de ref.* (*n. 217*) (2).

431. Jam vero in primis certissimum est illum qui aliquem occidit vel mutilat ad propriae vitae defensionem *cum moderamine inculpatae tutelae*, nec peccare, nec ullam contrahere irregularitatem. Ita expresse in *Clement. un.*, *De homicidio*, ibi : « Idem (idest nullam irregularitatem incurrere) de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat invasorem ». Antiquo jure, in *can.* 6, *dist.* 50, in Decreto, hic poterat quidem in susceptis ordinibus ministrare, sed non poterat sine dispensatione ad superiores ascendere.

432. Imo nec ille peccat aut contrahit irregularitatem qui aliquem occidit vel mutilat cum eodem moderamine inculpatae tutelae ad defensionem vitae extranei innocentis : quae

(1) Schmalz., *V*, *XII*, *n.* 176 *sequ.*
(2) D'Annibale, *I*, § 429, *not.* 14 ; S. Alph., *VII*, *n.* 393.

communissima doctrina est (1). Quod si quis in hac sui vel extranei innocentis defensione moderamen inculpata tutelae graviter excesserit, ita ut mortale peccatum commiserit, fit irregularis ex delicto in homicidio necessario, prout colligitur ex *cap.* 10 *et* 18, *ejusd. tit.* De hoc casu agit Conc. Trid., *sess. XIV, cap. VII, de ref.* (*n. 456*), committens Ordinario dispensationem in homicidio quod vim vi repellendo perpetratum fuit, ut declaravit S. C. C., apud Gallemart, *ibid.*, *n.* 3.

433. Ut vero in alterius occisione vel mutilatione censeatur observatum moderamen inculpatae tutelae, requiritur : 1° Ut qui occisus est vel mutilatus, fuerit injustus aggressor ; 2° Ut occisio vel mutilatio fuerit necessaria pro sui defensione, idest ut aggressus aggressorem interfecerit aut mutilaverit, *mortem aliter vitare non valens*, ut legitur in *cit. Clem. unic.* Hinc irregularitatem non effugit aggressus qui aggressorem occidit vel mutilat, dum potuisset alio modo, e. g. claudendo januam, clamando, sese non exponendo periculo aggressionis, aggressorem feriendo, fugiendo, etc., vitae suae consulere sine periculo et sine dedecore, quia e. g. aggressus est clericus aut religiosus quibus fuga probosa non est. Pariter est irregularis aggressus qui aggressorem interficit aut mutilat, non in ipsa aggressione, sed post aggressionem, nisi novae aggressionis periculum sit, aut ante aggressionem, nisi aggressus praevideat se aggressori propius accedenti resistere non posse, aut difficile posse resistere ; 3° Ut haec defensio fiat non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, ut ait Innocentius III in *cit. cap.* 18 ; sed id respicit forum internum potius quam externum.

434. Ex his apparet quam facile in hac defensione moderamen inculpatae tutelae excedatur, ita ut pro praxi dici possit in quocumque homicidio necessario dispensatio-

(1) Schmalz., *I, XII, n.* 36 ; Pirhing, *n.* 77, 81 ; Reiff., *n.* 146, 154, D'Annibale, *I*, § 424 ; Suarez, *disp. XLVI, sect. I, n. sequ.* Exemplum est in *Caputaquen.*, *Irregularitatis*, 14 *Mart.* 1795 ; in *Cosentina* ; *Irregularitatis*, 20 *Maii* 1786, etc. ; sed in his exemplis, cum homicida moderamen inculpatae tutelae excessisset, dispensatio petita et concessa fuit.

nem ab irregularitate, saltem ad cautelam, petendam esse. Ita e. g. in *Murana*, *Irregularitatis*, cum sacerdos I., una cum ministris curiae, voluisset exequi mandatum super vaccis sui debitoris, filius istius e vicina domo erumpens, securi armatus in sacerdotem irruens, necem ei minabatur, non obstantibus hortationibus uxoris et sororis ; et tunc sacerdos ad vitandam instantem mortem, aggressorem praeveniens, ignitabulum (*le fusil*) quod pro venatione perdicum deferebat, explosit, ipsumque interfecit. Propositis dubiis : « 1° An constet de irregularitate ; et quatenus affirmative ; 2° An et quomodo sit locus dispensationi in casu » ; S. C. C. reposuit die 12 *Mart.* 1763 : « Ad 1^um^ affirmative ; Ad 2^um^ pro gratia dispensationis ». Sane sacerdos sese exposuit periculo aggressionis quod praevidere et evitare poterat ; insuper poterat fugam arripere, ignitabulum in pedes aggressoris explodere, etc., atque ideo moderamen inculpatae tutelae non servavit. Vide etiam *Casalen.*, *Irregularitatis*, 14 *Sept.* 1718 ; *Elboren.*, *Irregularitatis*, 9 *Febr.* 1737 ; *Messanen.*, *Irregularitatis*, 15 *Jan.* 1780 ; *Lucan.*, *Irregularitatis*, 15 *Jun.* 1793 ; *Abellinen.*, *Dispensationis*, 17 *Jun.* 1802, etc. ; sed non est ulla causa in thesauro Resolutionum S. C. C. in qua S. C. contra irregularitatem reposuerit.

Utrum vero aggressus moderamen inculpatae tutelae graviter excesserit necne, pro foro externo Ordinarius videbit ; pro interno quisque sequi potest judicium conscientiae suae vel alterius viri prudentis et docti (1).

435. Quaeritur utrum peccet et sit irregularis ille qui ad defensionem famae seu honoris, libertatis, aut bonorum temporalium aliquem interficit vel mutilat.

Ad primum quod attinet, aliquem interficere vel mutilare ad defendendam bonam famam, videtur semper graviter illicitum et irregularitatem ex homicidio voluntario inducere, quia hoc medium pro honoris defensione nec adaequatum nec unicum est, et ideo non est defensio, sed vindicta (2).

(1) Schmalz., *l. c.*, *n.* 34 ; Pirhing, *n.* 93 ; Reiff., *n.* 136.
(2) Schmalz., *X*, *XII*, *n.* 55 *sequ.* ; Reiff., *n.* 143.

Facit ad rem *prop.* 17 damnata ab Alexandro VII : « Est licitum religioso vel clerico, calumniatorem, gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus sese defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur ». Item *prop.* 18 : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare ». Item *prop.* 30 damnata ab Innocentio XI : « Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit ; idem quoque dicendum si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat ». Et ita etiam aliae analogae propositiones damnatae. At probabilius liceret aggressorem interficere aut mutilare cum moderamine inculpatae tutelae pro defensione pudicitiae.

436. Quoad alterum, pro defensione libertatis licite potes absque ulla irregularitate cum moderamine inculpatae tutelae interficere eum qui vellet te in servitutem redigere. Id aperte traditur in *can.* 38, *dist.* 50, in Decreto.

437. Quoad tertium, satis convenit inter doctores licitam esse cum moderamine inculpatae tutelae occisionem, nullamque irregularitatem secumferre, si defensio sit mixta, idest si consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum, periculum sit ne raptor non tantum in bona, sed etiam in personam aliquid moliatur. Id apparet ex *cap.* 2, *De homicidio* ; et ideo ex *cap.* 3, *ejusd. tit.*, fur nocturnus potest occidi, quia scilicet discerni facile nequit utrum ad furandum tantum an etiam ad occidendum venerit. At si quis furem interfecit sive diurnum sive nocturnum, dum poterat ab eodem aliter cavere, irregularitatem non effugit ; de qua vide cit. *Casalen.*, *Irregularitatis*, 24 *Sept.* 1718. Praeter hunc casum mixtae defensionis, doctores communiter distinguunt. Si rapiantur bona parvi momenti, homicidium illicitum est et irregularitatem inducit ex delicto. Unde Innocentius XI, sub *n.* 31 damnavit hanc propositionem : « Regulariter occidere

possum furem pro conservatione unius aurei ». Attamen dominus potest sese opponere, et si fur arma sumit, potest eum interficere, quia jam est injustus vitae aggressor. Si vero bona temporalia rapiantur magni momenti, vel haec bona possunt certe recuperari, et tunc non licet furem interficere, ejusque interfectio secumferret irregularitatem ex delicto ; vel haec bona aliter recuperari probabiliter nequeunt, et tunc fur potest etiam interfici absque ulla irregularitate, ex *cap.* 3, *De homicidio*, et ex *cap.* 6, *De sent. excomm.* (1). Quaenam vero bona sint magni vel parvi momenti, judicari debet non solum absolute, sed etiam relative ; e. g. instrumentum quo ablato artifex debet ab opere cessare et ita se suamque familiam sustentare nequit, est res magni momenti (2). Haec quae diximus de homicidio ob rapinam bonorum temporalium, repetere debes de mutilatione, servata proportione.

438. Gravis est etiam controversia inter doctores utrum irregularis sit qui ut sese defenderet, alterum interficit quem verbis aut factis provocaverat ; e. g. Titius rem habet cum uxore Sempronii qui superveniens vult Titium occidere, et Titius sese defendens Sempronium interimit. Et quidem si Titius non praevidit adventum Sempronii ejusdemque aggressionem, convenit irregularitatem cessare ; secus nonnulli affirmant irregularitatem contrahi, alii negant (3), ideoque in hoc casu irregularitas erit dubia. Haec eadem distinctio applicatur, si Sempronius superveniens in casu interficit uxorem ; et juxta eam S. C. C. die 22 *Apr.* 1679 declaravit Titium non esse irregularem, et in *Nullius Provinciae Compostellanae*, 2 *Oct.* 1723, reposuit esse cum Titio dispensandum ad cautelam.

439. Occisio vel mutilatio est etiam in alio casu *necessaria*, quando scilicet quis ex metu gravi sibi incusso aliquem occidit vel mutilavit, quia e. g. aliter ipse occisus fuisset. Talis occisio vel mutilatio non secumfert irregularitatem

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 59 *sequ.* ; S. Alph., *VII, n.* 389.
(2) Schmalz., *l. c., n.* 63.
(3) Suarez, *disp. XLVI, sect. VI, n.* 10 *sequ.*, qui utramque sententiam habet probabilem ; D'Annibale, *l. c.*

(*n. 208*), licet a culpa non excusetur. Huc usque de prima specie occisionis vel mutilationis involuntariae, idest de occisione vel mutilatione necessaria.

440. 3° Occisio vel mutilatio *casualis* dicitur, quando, citra casum legitimae defensionis aut metus gravis, accidit praeter intentionem occidentis vel mutilantis sive explicitam sive implicitam in sensu superius explicato *n. 413*.

441. Id pro Titio verificatur in primis quando homicidium vel mutilatio committitur ab extraneis personis propter causam quidem Titii, sed ipso Titio contradicente vel nesciente. Hoc in casu Titius nec ullum peccatum committit, nec ullam contrahit irregularitatem. Id traditur in *cap.* 17, *De homicidio*, cujus haec est species. Diaconus et monachus ab abbate fuerat beneficio spoliatus, et cognati et amici ejus, irati plurimum et commoti, dicebant quod vindictam volebant sumere de abbate; et licet inhibiti fuissent expresse ab eodem diacono et monacho ne abbatem occiderent, aut aliquid ei facerent, nihilominus irruerunt in abbatem et, plagis impositis, abierunt, eo semivivo relicto, qui post dies aliquot expiravit. Innocentius III respondet diaconum posse in receptis ordinibus ministrare et ad altiores ascendere.

442. Praeterea occisio vel mutilatio est etiam casualis, licet ex facto ipsius Titii sequatur, in sequentibus casibus:

a) Si Titius occidens vel mutilans est amens, infans vel dormiens. Nullum in casu esse peccatum, nullamque contrahi irregularitatem, per se patet, et expresse tradit Clemens V, in *cit. Clem. un.*, *De homicidio* : « Si furiosus aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit ». Si furiosus, idest in genere mentecaptus, in lucido intervallo homicidium vel mutilationem committit, per se peccat et est irregularis ex delicto ; sed lucidum intervallum non praesumitur, et insuper vide. Ex verbis Clementis V deducitur infantem ab hac irregularitate immunem esse, etsi ante septennium usum rationis assequutus sit ; nam est adhuc infans. Nec ebrius qui in ebrietate hominem occidit vel mutilavit, est irregularis, nisi antea delictum in ebrietate perpetran-

dum praeviderit et voluerit, vel nisi ebrietas usum rationis non ademerit (1).

443. *b*) Si Titius sui compos dedit operam actioni licitae ex qua sine ulla diligentiae omissione mors vel mutilatio alicujus sequuta est. Patet in hoc casu occisionem vel mutilationem esse prorsus casualem ; et nullum esse peccatum nullamque irregularitatem. Probatur ex *cap.* 9, *De homicidio*, ubi Alexander III declarat non esse irregularem clericum in sequenti specie : « Cum quadam die, casu, cum quodam clerico luderet, contigit, quod ille projecit istum ad terram, cujus cultellus quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, et fortuito casu occubuit vulneratus ». Item probatur ex *cap.* 13, *ejusd. tit.*, ubi Innocentius III declarat non esse irregularem clericum capellanum qui dum equitabat, ejectus fuit e sella, et equus deinde puerum oppressit « cum idem capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitae rei ». Huc spectant etiam *cap.* 15, 16, 22 *et* 23, *ejusd. tit.*

444. *c*) Si Titius, sui compos, dabat operam actioni licitae, ex qua ob omissionem debitae diligentiae sequuta est mors vel mutilatio alicujus. Hoc in casu mors vel mutilatio est quidem casualis, sed nihilominus contrahitur irregularitas ex delicto omissionis debitae diligentiae. Quamquam vero doctores communiter doceant ad irregularitatem in casu contrahendam requiri negligentiam in foro externo graviter peccaminosam (*n. 191*) (2), tamen nonnulli, apud Suarez, *l. c.*, *n.* 5, id negant ; eorumque sententia confirmari videtur ex pluribus exemplis infra citandis in quibus certe est irregularitas et non videtur negligentia fuisse in foro externo graviter peccaminosa. Quod si dubium sit num reipsa debita diligentia omissa fuerit, etiam irregularitas erit dubia. Tandem si quis nullam reipsa commisit negligentiam, e. g. quia de periculo mortis aut mutilationis ne cogitavit quidem, sed in foro externo appareat fuisse negligentem, irre-

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 227 *sequ.*
(2) S. Alph., *VII, n.* 377 ; Suarez, *disp. XLV, sect. V, n.* 8 ; Salm., *X, VIII, n.* 30.

gularitas erit pro foro externo, non autem pro interno (1). Haec ex sequentibus juribus et exemplis declarantur.

In *cap.* 8, *De homicidio* etc., agitur de hac facti specie juxta completam lectionem : « Cum diaconus, praesentium lator, et quidam alii clerici a vineis ecclesiae, opere consummato, redirent, leviandi laboris gratia quemdam ludum imitati sunt viatorum, projicientes baculos suos in longum : studebant enim jacere in directum et alter alterius fustem ferire. Cujus ludi, sicut asserunt, solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor, pro equo alio cujus baculus percussus est, uteretur ; sed praefati clerici equitandi licentia non utentes, sola erant jactione contenti, ut dum alacrius ad baculos suos concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut praedictus diaconus asserit, dum baculum ejusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit, et sic a falce illius diaconi qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expiravit ». Alexander III, *l. c.*, mandat Cusentinensi archiepiscopo : « Quatenus eumdem diaconum sine licentia R. P. ad superiorem gradum non ascendere, vel in diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensative ministrare in subdiaconatus officio patiaris ».

Idem Pontifex, in *cap.* 7, *ejusd. tit.*, tradit presbyterum qui puerum intuitu disciplinae percussit in capite et vulneravit, ex quo vulnere post paucos dies mortuus est, esse irregularem, si puer ex ipsa percussione interiit vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.

Bonifacius VIII, in *cit. cap. ult.*, *ejusd. tit.*, *in* 6°, declarat irregularem illum qui mandavit aliquem verberari, expresse prohibens ne occideretur, cum mandatarius, fines mandati excedens, illum occidisset ; quia mandans *in culpa fuit et hoc evenire posse debuit cogitare.*

Fagnanus, in *comm. cap.* 12, *De homicidio*, *n.* 44 *sequ.*, haec habet : « Quidam clericus ascendit campanile et dum apprehenso fune manibus, malleo campanam crebro

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 7.

pulsaret in honorem festivitatis, aspiciens campanam dimoveri, a tabula cui prope campanam insidebat, descendens, funem sursum trahebat : dum autem attraheret, persentit funem gravi pondere onustum, sed nihilominus perrexit trahere, et cordam alligavit trabi, ne pulsando campanam, a quoquam laedi aut impediri posset. Mox ad partem imam campanilis reversus, reperit puerum septem circiter annorum moribundum subtus chordam campanae, qui se canapi appenderat et sublevatus usque ad fornicem cecidit ; et paulo post expiravit. S. C. habuit clericum pro irregulari, quia dum chordam onustam trahebat, advertere poterat et debebat aliquem esse illi appensum et inde posse illi aliquid nocumenti contingere : censuit tamen cum eo misericorditer dispensandum ad ordines et beneficia ».

In *Gallellinen.*, *Dispensationis ab irregularitate*, duo fratres germani redeuntes a venatione quosdam ignitabuli ictus praefixo in loco ad signum seu metam dirigere cogitarunt. Id autem ut exequerentur, opus fuit ignitabulum jam paratum exonerare illumque aptioribus instruere globulis. Dum autem ab ignitabulo unus fratrum priores educeret globulos, ultro ictus erupit, quo alter frater mortaliter vulneratus post paucos dies expiravit. Cum vero deinde frater superstes ecclesiasticae militiae nomen dare vellet, et obstare videretur irregularitas ex homicidio casuali, proposito dubio : « An sit locus dispensationi in casu » ; S. C. C. reposuit 12 *Martii* 1785 : « Affirmative ad cautelam ». Eamdem responsionem dederat in *Spoletana*, 22 *Junii* 1776, in qua sacerdos Mazzapioti, canonicus insignis collegiatae Casciae, rogavit adolescentem ut e summitate turris campanariae levaret columbum a se occisum : et puer per funem sese dimittens, rupto fune, in terram cadens, post biduum obiit. Item in *Adrien.*, *Dispensationis ab irregularitate*, 21 *Jan.* 1781, in qua cum alumnus seminarii ad rectorem, jussu ejusdem, ignitabulum deferret, hoc repente ictum emisit, ex quo rector in humero dextero vulneratus, post octo dies decessit.

445. *d*) Si Titius sui compos operam dabat actioni illicitae, ex qua, absque omissione debitae diligentiae, mors vel

mutilatio alterius sequuta est. Occisio vel mutilatio etiam in hoc casu est certe casualis ; sed irregularitas exinde contrahitur necne ?

Si actio ideo erat prohibita quia homicidii vel mutilationis facile inductiva, e. g., si imperitus exerceat chirurgiam, vel si quis praecipiti cursu agit currum per vias civitatis, irregularitas juxta communem sententiam contrahitur, etsi quis omnem adhibuerit diligentiam ad mortem vel mutilationem evitandam. Haec irregularitas desumitur ex *cit. cap.* 13, *De homicidio*, ubi Innocentius III indicat irregularitate etiam illum irretiri, qui aliquem occidit non actu aut voluntate, sed *dans operam rei illicitae* : quod saltem de casu nostro intelligendum est. Huc spectat responsio S. C. C. in *Cadurcen.*, *Dispensationis ab irregularitate*, 16 *Maii* 1789, ubi dispensatio concessa fuit clerico, qui casu hominem interfecerat *insuetus et imperitus arma tractans, atque venationi clericis prohibitae vacans.*

Si vero actio erat prohibita ob aliam rationem, non autem quia homicidii vel mutilationis facile productiva, e. g. si fur e scala decidens socium opprimit, vel si clericus illicitae venationi cum omni diligentia vacans hominem casu occidit, putans esse feram, etc., doctores inter se non conveniunt. Nonnulli negant in casu contrahi irregularitatem (1) ; alii affirmant (2), quorum sententia magis recepta esse videtur apud S. C. C. Ita e. g. in *Terracinen.*, 19 *Apr.* 1766, diaconus officium praetoris absentis gerebat : quod clericis prohibetur ex *cap.* 15, *De vita et honestate cler.*, et *cap.* 5, *Ne clerici vel monachi etc.* Cum vero jussisset satellitibus et suo apparitori ut si quos invenirent noctu per oppidum vacantes, caperent et in carcerem traherent, orta rixa, unus occubuit. Propositis dubiis : « 1° An constet de irregularitate in casu. Et quatenus affirmative ; 2° An sit locus dispensationi » ; S. C. C. reposuit : « Ad 1^um^ affirmative ; Ad 2^um^ affirmative ». In folio autem haec indicatur ratio irregu-

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 216 ; Reiff., *n.* 195 ; Pirhing, *n.* 65 *sequ.* ; Suarez, *disp. XLV, sect. V, n.* 9 ; D'Annibate, *l. c.*

(2) S. Thomas, 2, 2, *q.* 64, *art.* 8 ; Navarrus, *Man., cap. XXVII, n.* 220 *sequ.* ; Fagn., in *comm. cit. cap.* 12, *De homicidio etc., n.* 19 *sequ.*

laritatis, nempe quia officium praetoris illicitum erat diacono qui proinde dans operam rei illicitae causa fuit mortis alicujus : sed officium praetoris non ideo prohibetur clericis quia homicidii vel mutilationis facile productivum.

Imo in hac doctrina nos putamus esse veram rationem sequentis irregularitatis quam omnes admittunt. Nam clerici in sacris vel monachi, etsi periti in arte chirurgica, prohibentur absque apostolico indulto hanc artem exercere *incidendo* vel *adurendo,* ex *cap.* 9, *Ne clerici vel monachi* ; et si ita hanc artem exercuerint et exinde, licet ipsi omnem adhibuerint diligentiam, infirmus ab ipsis incisus vel adustus moriatur, juxta sententiam communem sunt irregulares. Hanc irregularitatem auctores desumunt ex *cap.* 19, *De homicidio,* sed inibi haec irregularitas expresse minime continetur ; proinde potius deduci debet ex posita doctrina. Haec irregularitas non est ex delicto homicidii nec ex defectu lenitatis, sed est ex delicto violationis legis prohibentis clericis in sacris constitutis vel monachis tale chirurgiae exercitium ; licet haec irregularitas non contrahatur, nisi morte sequuta. At certe nec peccatum ullum, nec irregularitas existeret, si clerici in sacris vel monachi periti in arte chirurgica omnemque adhibentes diligentiam, chirurgiam vel medicinam alio modo exercuerunt citra incisionem vel adustionem ; aut incisionem vel adustionem fecerunt in casu necessitatis, chirurgo laico deficiente, vel habentes indultum apostolicum : item si clericus saecularis in minoribus constitutus, peritus in arte chirurgica et omnem adhibens diligentiam, incidit vel adurit, quia ipse tunc non daret operam actioni illicitae. Quod si clericus quilibet, monachus, vel laicus peritus in arte medica vel chirurgica, sed debitam non adhibens diligentiam, vel non peritus exercet quocumque modo medicinam aut chirurgiam, et exinde mors alterius sequitur vel notabilis mortis acceleratio, certe irregularitas contrahitur ex delicto homicidii juxta principia supra posita, saltem si peccatum mortale adfuerit. S. C. C. in *Nullius Montis Cassini,* 12 *Dec.* 1761, dispensavit ab irregularitate ad cautelam sacerdotem B. E. qui, transacto tempore indulti, medicinam exercere non destiterat.

446. *e*) Fagnanus, in *comm. cap.* 12, *De homicidio*, *n.* 45 *sequ.*, docet irregularitatem ex homicidio casuali contrahi cum quis homicidio causam praebet animo nocendi, « et propterea, tametsi qui fecit fenestram per quam aliquis se praecipitavit, non sit irregularis, cum causa sit valde remota et ad homicidium non ordinata et opus licitum esset, tamen secus est si ea intentione fenestram fecerit ut alter se praecipitaret; similiter quamvis clericus se defendendo in rixa cui causam non dedit, non sit irregularis, si inimici adversariorum superveniant et aliquem ex illis interficiant, *can.* 23, *q.* 5, tamen secus est si ipse poterat discedere et non discessit, sed adversarios ea intentione retardavit, ut inimici eorum supervenirent et illos interficerent; eodem modo tenens cultellum in manu, quamvis non sit irregularis, si alius se in eum insiluerit et vulnus lethale receperit, tamen irregularis efficitur si cultellum in manu tenebat ea intentione ut alter se in illum impellendo configeretur..... ». Sed in his et similibus casibus putamus adesse homicidium voluntarium et non casuale, cum occidens mortem alterius directe intenderit. Huc usque de occisione vel mutilatione *facto privato* commissa.

447. II. — Homicidium vel mutilatio *auctoritate publica* perpetratur in *bello* et in *judicio sanguinis*.

448. 1° In bello *injusto* milites pugnare non possunt, et neque defensionis causa possunt hostes interficere aut mutilare, sed si fugere nequeunt, curare debent ne ictibus suis hostes feriant. Quod si vel unus miles illius partis pro qua stat justitia, occisus vel mutilatus fuit in pugna, omnes qui ex adverso fuerunt, sunt irregulares, etiamsi propriis suis manibus illum non interfecerint aut mutilaverint; quae irregularitas est ex delicto homicidii voluntarii. Quod sint irregulares illi qui occiderunt aut mutilaverunt, evidens est, cum, ut mox probabimus, etiam in bello justo ii sint irregulares. Quod vero et alii commilitones sint irregulares, textus in jure non adest, sed doctores hanc irregularitatem ex eo deducunt quod omnes illi milites simul pugnantes sunt quodammodo concelinquentes (1). Ex qua ratione sequitur hanc

(1) Schmalz., *V, XII, n.* 137; Pirhing, *n.* 114; Reiff., *n.* 116; Suarez,

irregularitatem afficere ad summum illos qui licet propriis manibus neminem occiderint aut mutilaverint, tamen moraliter cooperati sunt occisioni aut mutilationi pro viribus pugnando una cum aliis, arma praebendo, alios excitando, sarcinas militum custodiendo, aut alios quovis modo adjuvando; sed non afficere illos qui nullam operam occidentibus aut mutilantibus praebuerunt, e. g. qui erant in alio exercitus cornu (1); aut qui erant in eo exercitus cornu qui pugnam inivit, sed cum fugere non possent, curarunt ne ictibus suis ferirent; aut qui militibus assistebant tantum in spiritualibus, eo vel magis quod ii omnes nullum delictum committant, et haec irregularitas, ut diximus, sit ex delicto. Ceterum bellum praesumitur justum, nisi aliud certe constet.

449. In bello *justo*, si quidem est *defensivum*, nemo ex laicis fit irregularis, ne illi quidem qui aliquem ex adversa parte occiderunt vel mutilaverunt (2), cum quisque miles censeatur habere in adversa parte in singulis militibus aggressorem injustum vitae propriae, et ideo huc spectat *Clem. un.*, *De homicidio*, de qua supra. Clerici in bello justo defensivo possunt absque periculo irregularitatis alios excitare et adjuvare; et etiam in propria persona pugnare, si jussi fuerint, ex *cap.* 2, *De immunitate ecclesiarum etc.*, aut in casu necessitatis, cum scilicet laici ad defensionem patriae vel ecclesiae non sufficiunt (3). Praeter hos casus si ipsi pugnaverunt in propria persona, sed neminem interfecerunt aut mutilaverunt, non sunt irregulares, licet a peccato excusari nequeant; si vero aliquem interfecerunt aut mutilaverunt, sunt etiam irregulares, ut aperte colligitur ex *cap.* 24, *De homicidio*, et ex *cap.* 3, *De clerico percussore*. Haec irregularitas non est ex delicto homicidii vel mutilationis, quod in casu non existit, cum bellum sit justum; sed est

l. c., *disp. XLVII*, *sect. V*, *n.* 1; D'Annibale, *I*, § 427; Ben. XIV, *Inst. Eccl. CI*, *n.* 8.

(1) Ben. XIV, *l. c.*; D'Annibale, *l. c.*

(2) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 9; D'Annibale, *l. c.*; Suarez, *l. c.*, *sect. VI*, *n.* 1 *sequ.*; Schmalz., *I*, *XII*, *n.* 127.

(3) Schmalz., *l. c.*, *n.* 128; Ben. XIV, *l. c.*; Fagnanus, in *comm. cap.* 24, *De homicidio etc.*, *n.* 2 *sequ.*; Pirhing, *l. c.*, *n.* 115; Suarez, *l. c.*, *n.* 2.

vel ex peccato violatae prohibitionis praeliandi in propria persona, vel ex defectu lenitatis (1).

450. Si autem bellum justum est *offensivum*, illi, sive clerici sive laici, qui hostem manu propria de facto occiderunt vel mutilaverunt, sunt irregulares ex defectu lenitatis, etsi hostem interfecerint vel mutilaverint pro sui ipsius defensione (2). Pro clericis id a fortiori desumitur ex *cit. cap.* 24, *De homicidio*, ubi agitur de bello defensivo. Pro laicis et clericis id traditur in *can.* 1, *dist.* 51, in Decreto. Fatendum est in illis qui coacte servitium militare praestant et pugnant, prouti apud nostras nationes, hunc defectum lenitatis difficile intelligi (3).

At ex communi sententia, non sunt irregulares clerici vel laici qui hostem propriis manibus non occiderunt vel mutilaverunt, sed moraliter tantum huic occisioni vel mutilationi cooperati sunt sarcinas custodiendo, alios excitando, vel adjuvando, quia eorum irregularitas non est in jure expressa (4). Ad excludendam hanc irregularitatem citari solent *cap.* 24, *De homicidio*, et *cap.* 3, *De clerico percussore* : sed haec capita agunt de bello defensivo. Aliunde ii clerici vel laici videntur in casu esse irregulares, utpote unam causam moralem constituentes cum occidentibus vel mutilantibus, prouti supra dictum est de cooperantibus in bello injusto : utrorumque enim idem est casus. Et revera tradit folium S. C. C. in *Aveiren., Irregularitatis*, 30 *Jun.* 1804 : « S. C. censuit indigere dispensatione qui saeculari militiae adscriptus, arma tulit, et bellicis expeditionibus sese immiscuit, licet neminem interfecerit aut mutilaverit, in *Ipren.*, *Irregularitatis*, 18 *Dec.* 1702 *et* 13 *Jan.* 1703 ». Eadem S. C. in *Bisuntina*, 22 *Apr.* 1719, habuit irregularem ducem qui mandavit subalterno officiali ut quosdam inse-

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 4.

(2) D'Annibale, *l. c.* ; Ben. XIV, *l. c.* ; Schmalz., *l. c.*, *n.* 130 ; Pirhing, *n.* 117 ; Suarez, *l. c.*, *n.* 6.

(3) Suarez, *disp. XLVI*, *sect. II*, *n.* 4, ibi : « Ipsemet homo sese ingerit illi ministerio et actioni (magistraturae et militiae) et in hoc maxime consistit defectus lenitatis ».

(4) Schmalz., *l. c.*, *n.* 131 ; Pirhing, *n.* 117 ; Reiff., *n.* 118 ; Suarez, *l. c.*, *n.* 4 ; D'Annibale, *l. c.* ; Ben. XIV, *l.c.*

queretur qui illuc ad furandum venerant, quique capti reipsa fuerunt et deinde morte damnati ; sane ipse suo mandato causa mortis fuerat.

451. 2° Nos supponimus poenam mortis aut mutilationis pro gravioribus delictis a publica auctoritate juste irrogari posse, licet poena mutilationis in nostris legislationibus numquam infligatur. At haec poena, etsi justa, importat illis qui ad ipsam concurrunt, irregularitatem ex defectu lenitatis, effectu sequuto ; dum si sententia mortis aut mutilationis fuisset injusta, rei forent irregulares ex delicto homicidii. Principium generale indicans personas irregulares ex defectu lenitatis in sententia sanguinis hoc est : *Sunt irregulares omnes qui sponte et scienter concurrunt ad mortem vel mutilationem auctoritate publica tamquam publici ministri justitiae per actionem efficacem notabiliter, proximam et directam* (1).

452. Qui sub posito principio comprehenduntur, fiunt omnes irregulares, sive clerici sint sive laici. Et quidem clericos et monachos prohiberi sub gravi ne in judicio sanguinis partem habeant, traditur in *cap.* 5 *et* 9, *Ne clerici vel monachi*, et in *cap.* 4, *De raptoribus*, et in *can.* 29 *et* 30, *caus.* 23, *qu.* 8, in Decreto ; et si partem habuerint, privandos esse honore et loco, idest esse deponendos, statuitur in *cit. cap.* 5, *Ne clerici vel monachi.* Omnes autem tam clericos quam laicos fieri irregulares, est communissima sententia. Citari solet *cap.* 10, *De excessibus praelatorum*, ibi : « Ipsum indignum altaris ministerio reputamus » ; sed fatendum est judicium sanguinis in casu fuisse injustum. Affertur etiam *can.* 44, *caus.* 23, *qu.* 4, in Decreto, et jura supra citata ; sed in nullo haec irregularitas continetur. Tandem in *can.* 1, *dist.* 50, in Decreto, traditur non posse promoveri eos qui post baptismum « in forensi exercitatione versati sunt et obtinendi pertinaciam susceperunt » ; ex quibus verbis auctores hanc irregularitatem deducunt. Ceterum haec irregularitas ab omnibus admissa, in pluribus juribus supposita et in praxi recepta,

(1) S. Alph., *VII, n.* 461 ; D'Annibale, *I*, § 425.

negari non potest ; sed determinanda potius erit ex opinione doctorum, ex praxi et principiis certis, quam ex positiva juris dispositione.

453. Porro sub posito principio continentur et ideo sunt irregulares :

a) *Judex* seu *judices* ; nam juxta receptam hodie judiciorum criminalium organisationem, *à la Cour d'assises* tres judices sententiam mortis pronuntiant per modum unius.

b) *Procurator generalis*, qui nomine publico requirit sententiam mortis et illius executionem urget. Ii, inquam, sunt irregulares, etsi actualiter inviti in judicio sanguinis partes habeant, quia voluntarie officium susceperunt.

c) *Milites*, qui comitantur reum ad supplicium custodiae causa sive equestres sive pedestres, si sponte illi militiae nomen dederunt quae executionibus capitalibus praeesse solet.

d) *Testes voluntarii*, qui scilicet sponte sese obtulerunt ad testificandum ; quique, proprie loquendo, non comprehenduntur sub posito principio generali, sed nihilominus irregularitatem contrahunt quasi judicis cooperatores ; dummodo reus damnatus sit ob eorum testimonium, et ipsi sciverint agi judicium sanguinis.

e) *Carnifex ejusque ministri*.

f) *Omnes alii publici ministri* qui vel in processu, vel in sententia vel in executione partem habuerunt efficacem, proximam et directam, uti judicum assessores, ex *cap.* 10, *De excess. praelat.*, scribae seu tabelliones, et qui sententiam dictant vel publicant.

454. E contrario sub posito principio generali non continentur et ideo non sunt irregulares :

a) *Princeps* qui legem tulit de nonnullis criminibus poena mortis plectendis, quia remote concurrit ; idemque dicas de aliis legislatoribus.

b) Ob eamdem rationem idem dicimus de *Procureur de I^re^ Instance* qui requirit inquisitionem a *Judice instructionis* ; et de ipso *Judice instructionis*, qui, si reus apparet probabiliter culpabilis, ipsum remittit *à la Chambre de*

mise en accusation ; et de ipsamet *Chambre de mise en accusation* quae tandem reum defert *à la Cour d'assises* ; nam *à la Cour d'assises* agitur judicium sanguinis et ideo omnes alii remote concurrunt.

c) *Judices jurati* (*les jurés à la Cour d'assises*) ; nam non pronuntiant sententiam mortis, sed pronuntiant tantum Titium reum esse homicidii absque circumstantiis attenuantibus ; quo posito, judex decernit in Titium poenam mortis ; et ideo judices jurati directe non concurrunt. Ita e. g. *antiqui judices inquisitores*, eorumque *commissarii* et *consultores*, tradentes reum sive clericum sive laicum brachio saeculari quod illum morte mulctabat, non erant irregulares, etsi forte omisissent consuetam formulam ritualem intercessionis : *Ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur*, de qua in *cap.* 27, *De verborum signif.* (1). Ratio autem est quia inquisitores non pronuntiabant poenam mortis, sed tantum pronuntiabant de existentia criminis et reum, post ejus degradationem si erat clericus, tradebant brachio saeculari quod poenam in codice criminali statutam pro eo delicto applicabat (2). Eodem modo et ob eamdem rationem, si debitus judiciorum ordo alicubi servaretur, hodie non fieret irregularis episcopus qui clericum ob enorme delictum prius degradaret et deinde traderet brachio saeculari, cum vel sine illa rituali intercessione, si brachium saeculare eum morte damnaret (3). Atqui judices jurati idem prorsus praestant.

d) *Accusatores* vel *delatores*, si damnum ipsis vel suis illatum fuit et ad damni illati reparationem agant, ut traditur in *cap.* 21, *De homicidio* ; nam non sunt publici ministri justitiae, et praeterea jure quodam defensionis utuntur. *Suos* autem hic intelligimus vel necessarios usque ad 4^{um} gradum vel etiam famulos et subditos. At hi accusato-

(1) Hanc intercessionem judex ecclesiasticus, tradens reum brachio saeculari, facere semper debebat et debet ex *cit. cap.* 27 ; sed probabile est ejus omissionem non secumtulisse et non secumferre irregularitatem. Suarez, *disp. XLVII, sect. I, n.* 12.

(2) Suarez, *l. c., n.* 2 *sequ.*; et est sententia communis.

(3) Schmalz., *V, XII, n.* 90 ; Suarez, *l. c.* ; Bonacina, *d.* 7, *q.* 4, *p.* 1, *n.* 3.

res vel delatores debent expressam protestationem ante sententiae sanguinis prolationem emittere, quod ad vindictam seu poenam sanguinis agere non intendant, ut praecipit Bonifacius VIII in *cap.* 2, *De homicidio*, *in* 6°. Facta hac protestatione, ipsi ab irregularitate immunes sunt, etsi in corde suo vindictam inhient (1) ; e contrario ea omissa, communiter doctores aiunt eos esse irregulares, licet haec irregularitas nullibi expressa sit. Haec protestatio non est necessaria nec in tribunali ecclesiastico quod sententiam sanguinis numquam profert, nec in tribunali laicali, si accusatio fiat de delicto quod poenam sanguinis non meretur. Irregularitas quae ex accusatione contrahitur juxta communem sententiam, omissa hac protestatione, est ex defectu lenitatis, si agitur de accusatore laico ; est ex delicto violationis legis prohibentis partem habere in judicio sanguinis, si agitur de clerico in sacris vel monacho ; et si hi illam legem ignoraverint, etiam pro ipsis est ex defectu. Imo cessat irregularitas etiamsi accusatio fiat ad praecavendum futurum damnum grave sive sui ipsius sive suorum sive proximi, quoties aliter vitari non potest : quo in casu protestatio de qua supra, necessaria non est (2).

e) *Testes necessarii*, si nempe accesserunt compulsi metu gravi aut ex officio vocati, ut patet ex *cap.* 19, § 2, *De homicidio.*

f) Sententiam mortis jam prolatam et scriptam *transcribens* (3), quia hic non concurrit per actionem efficacem ; imo nonnulli immunem declarant ab irregularitate etiam illum qui scribit sententiam (4) aut hanc sententiam obsignat (5).

g) *Judices de la Cour de cassation*, qui appellationem rejiciunt, quippe hoc unum declarant, scilicet in sententia nul-

(1) Salm., *X, IX, n.* 15 ; S. Alph., *VII, n.* 468 ; D'Annibale, *l. c., not.* 17.

(2) Suarez, *disp. XLVII, sect. II, n.* 15 ; D'Annibale, *l. c., not.* 11 ; Salm., *X, IX, n.* 17.

(3) S. Alph., *VII, n.* 461, cum pluribus aliis ; D'Annibale, *I*, § 423, *not.* 13.

(4) Natalis Alexander, Cabassutius, apud Tournely, *pag.* 78 (S. Alph., *l.c.*).

(5) D'Annibale, *l. c.*

lum vitium juris reperiri, et proinde non concurrunt per actionem directam.

h) *Princeps* instantiam rei pro commutatione aut remissione poenae non admittens.

i) *Milites*, qui reum comitantur et executioni sententiae assistunt ad ordinem servandum, si coacte militiae nomen dederunt, aut etiam sponte, si militia his executionibus capitalibus praeesse non solet, illogice videntur de defectu lenitatis redargui.

j) Qui carnifici dicit ut aliquid agat ut citius reus extinguatur ; vel suggerit viam breviorem, dum itur ad patibulum ; vel carnifici putanti reum esse mortuum dicit adhuc vivere, ex quo carnifex eum conficit ; vel qui carnifici praebet gladium ; vel urget ut reus citius ad supplicii locum perveniat, et celerius scalam ascendat, etc. ; nam ii omnes non concurrunt per actionem notabiliter efficacem.

k) Tandem *confessarius* qui reo assistit, licet in via dicat : *Properemus*, vel instiget jumentum quo reus vehitur, vel reum hortetur ut patibulum ascendat et caput supponat ; confessarius judici negans absolutionem quia ipse contra conscientiam poenam mortis proferre renuit ; jurisperitus qui consultus declarat jura in casu statuere mortis poenam ; opifices qui fecerunt aut vendiderunt gladium, chordas, patibulum ; tandem assistentes supplicio, licet in *cap.* 9, *Ne clerici vel monachi*, id prohibeatur sub levi clericis in sacris, etc. ; nam ii omnes non sunt publici ministri justitiae, et insuper aut nullo modo, aut remote tantum concurrunt.

455. Huc usque de irregularitate ex homicidio vel mutilatione. Filius autem illius qui est irregularis ex quocumque homicidio etiam voluntario, non est irregularis, prouti pluries S. C. C. declaravit (*n. 294*) (1). At in concilio Lateranensi habito sub Innocentio III conditum fuit sequens decretum, relatum in *cap.* 12, *De poenis* : « Si patroni vel advocati aut feudatarii seu vicedomini aut alii beneficiati

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *XIII*, *XXIV*, *n.* 21 ; Pirhing, *V*, *XXXVII*, *n.* 26 ; Thesaurus, *De poenis*, *p.* 2, *v. Homicidium*, *cap. IV*, *n.* 4 ; Gibalinus, *Synopsis censurarum*, *v. Homicidium*, *n.* 3.

alicujus ecclesiae, rectorem vel clericum alium ipsius ecclesiae per se vel per alios occidere vel mutilare ausu nefando praesumpserint, patroni jus patronatus, advocati advocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, et beneficiati beneficium prorsus amittant. Et ne minus vindictae quam excessus memoria prorogetur, non solum de praemissis nihil perveniat ad haeredes, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus praelationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum ». Addit Benedictus XIV, *l. c.* : « At celebris Joannes Andreas, ad *praecitat. text.*, *in cap. In quibusdam*, *n.* 8, *De poenis*, dubium proposuit an memorata conciliaris sanctio afficeret quoque filios natos antequam interficeretur rector ; cupiensque legis rigorem aequiore interpretatione temperare, amplexus est defenditque negativam sententiam. Quamvis vero eidem contradictorem sese praestiterit Zabarella, in *cit. cap.*, *n.* 5, afferens tamquam sibi consentientem Cardinalem Ostiensem (qui tamen nihil plane habet ea de re), nihilominus affirmari potest sententiam Joannis Andreae, qui asperitatem legis aequiore interpretatione moderatur, eique minime subjicit filios ante patratum homicidium progenitos, nunc temporis esse receptam omniumque propemodum calculo comprobatam ; quemadmodum late demonstrant Chartarius, *De poenis innocentium*, *art.* 1, *n.* 188, *vers. Haec tamen cum pluribus sequ.*, et Sanchez, *Supra praecepta decalogi*, *tom.* 1, *lib.* 2, *cap.* 27, *a n.* 6 *ad finem*. Hanc ipsam sententiam amplexa est quoque C. 8. in quodam dubio super petita dispensatione proposito ac definito die 2 *Aug.* 1628 ».

456. Tandem remanet ut aliqua dicamus de dispensatione ab hac irregularite. Conc. Trid., *sess. XIV*, *cap. VII*, *de ref.*, statuit : « Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat ; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam-

si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium et beneficia quaecumque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario aut ex causa metropolitano seu viciniori episcopo, qui nonnisi causa et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit ».

457. Ex stilo S. C. C. dispensatio ab hac irregularitate numquam conceditur, nondum soluta poena ; item nisi reus prius obtinuerit ab accusatoribus veniam, et a fisco compositionem ; tandem si memoria delicti adhuc in populo est, qui scandalum pateretur. Ad obliterandam criminis memoriam aiunt plures satis esse triennium vel ad summum decennium ; sed potius remittendum prudentiae Ordinarii. In genere eo difficilior dispensatio est, quo major culpabilitas fuit ; facilior est dispensatio ab irregularitate ex mutilatione quam dispensatio ab irregularitate ex homicidio ; facilior pro exercitio ordinum receptorum, quam pro ordinibus recipiendis. Rationes dispensationis sunt necessitas aut utilitas Ecclesiae, bona vita oratoris post longam poenitentiam, ejus paupertas, praesertim si agitur de jam promoto, etc. Aliquando S. C. exigit ut spiritualia exercitia praemittantur.

458. Ex relato decreto Tridentino apparet posse obtineri, positis ponendis de quibus *n. praec.*, dispensationem ab irregularitate ex occisione vel mutilatione non voluntaria, idest necessaria aut casuali : et plura exempla supra attulimus. In genere frustra petitur dispensatio ab irregularitate ex homicidio voluntario. Aliquando autem etiam haec dispensatio conceditur (*n. 212, 233*), praesertim si delictum est occultum, aut commissum fuit in rixa, et dispensatio petitur pro exercitio ordinum susceptorum. Exempla hujus dispensationis habes in *Anglonen. seu Tursien.*, *Irregularitatis*, 25 *Jan.* 1794 ; in *Maturinen.*, *Irregularitatis*, 28 *Febr.* 1795 ; nec S. C. preces rejecit in *Aretina*, *Irre-*

gularitatis, 22 *Aug.* 1807, in *Bracharen.*, *Irregularitatis*, 11 *Apr.* 1807 ; sed in *Nullius S. Laurentii in Campo, Dispensationis ab irregularitate*, 21 *Jun.* 1783, et 8 *Maii* 1784, clerico qui suo adversario oculum in rixa eruerat et dispensationem petebat, bis reposuit : *Expectet.*

459. Personas infra R. P. quae ab hac irregularitate dispensare possunt, desumere debes ex dictis *n. 217 sequ.* Heic tantum animadvertimus juxta plurium sententiam superiores regulares obtinuisse a Martino V, Paulo III, et Sixto IV indultum dispensandi suos subditos etiam ab irregularitate ex homicidio voluntario sive publico sive occulto (1) ; et licet deinde Benedictus XIII in const. *Pretiosus*, *an.* 1727, hoc indultum restrinxisse videatur, concedens Generali ordinis regularis : « Ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi (ex homicidio voluntario) dispensare cum fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, et intra claustra extiterit consummatum » (2) ; tamen postea Clemens XII in const. *Romanus*, 30 *Maii* 1742, revocavit omnes constitutiones et privilegia, praesertim contenta in praefata bulla *Pretiosus*, concessa a Benedicto XIII, omniaque reduxit ad pristinum statum. Sed his non obstantibus, jure meritoque dubitatur de hoc superiorum regularium indulto ; quia in generalibus privilegiis quae obtinuerunt a citatis Pontificibus hoc indultum non exprimitur, licet dicatur superiores regulares posse dispensare in prima die lunae quadragesimae in irregularitatibus *quavis occasione et causa contractae sint ;* atqui « in generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus », ut habet *reg.* 81 *juris*, *in* 6° (3).

c) De irregularitate ex haeresi.

460. Ut hanc obscuram materiam aliqua claritate exponamus, loquemur in primis de *ipsis haereticis*, deinde de

(1) Salm., *tract. X, cap. VII, n.* 59 ; et *cap. VIII, n.* 17; citantes plures alios.
(2) S. Alph., *VII, n.* 101.
(3) S. Alph., *VIII, n.* 396.

complicibus haereticorum, tandem de eorumdem *filiis*.

461. 1° Certum est haereticos esse irregulares, ita ut ex jure canonico prohibeantur ad ordines promoveri vel in susceptis ordinibus ministrare post haeresis detestationem veramque poenitentiam et absolutionem, sicut jure divino prohibentur dum in haeresi insordescunt (1). Id aperte probatur ex epistola Innocentii I ad episcopos et diaconos Macedoniae (2) : « Nostrae lex est Ecclesiae venientibus ab haereticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare ». Quod si ordinatis in haeresi ad Ecclesiam catholicam venientibus aliquando permissum fuit in receptis ordinibus ministrare, id Innocentius I factum fuisse ait pro remedio in casu necessitatis ; sed « quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio quam tempus fieri ad praesens impellit ». Ita Concilium Nicaenum, *can.* 8, permisit ut Novatiani in haeresi ordinati « accepta manuum impositione sic maneant in clero » ; quam dispensationem Innocentius I, *l. c.*, demonstrat ad alios haereticos non esse extendendam. Multo magis delapsi in haeresim aut apostasiam qui inde ad catholicam Ecclesiam revertebantur, ordinari non poterant aut in receptis ordinibus ministrare, quia eorum commissum nonnisi longa poenitentia poterat aboleri, ut docet Innocentius I, *l. c.*, et ideo prohibebantur non solum ratione haeresis, sed etiam ratione poenitentiae publicae cui submittebantur (*n. 186*) ; quamquam etiam cum ipsis aliquando fuerit dispensatum circa exercitium ordinum receptorum. Huc spectat epistola S. Leonis M. ad Januarium episcopum Aquilejensem, cujus fragmentum refertur in *can.* 21, *c.* 1, *q.* 7, in Decreto. In hac epistola S. Doctor agens de his « qui a nobis in haereticorum atque schismaticorum

(1) Suarez, *disp. XLIII, sect. III, n.* 2, cum communi ; Schmalz., *V, VII, n* 89 ; Ben. XIV, *De syn., XIII, XXIV, n.* 21 ; Icard, *n.* 825 ; D'Annibale, *I,* § 431, qui tamen falso putat in *not.* 8 hanc irregularitatem non esse ex jure.

(2) Migne,, *P. L., tom. XX, epistola* 17, *pag.* 526 *sequ.*

sectam delapsi sunt et se utcumque haereticae communionis contagione macularint », quique deinde ad catholicam redierunt Ecclesiam, statuit : « Circa quos etiam illam canonum constitutionem praecipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant ; si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros ordines promovendum aliquem judicarit ». Abs re non erit animadvertere Innocentium I, *l. c.*, hac de re tradere « regulas veteres quas ab Apostolis vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit custodiendasque mandat eis qui eam audire consueverunt ».

Haec haereticorum irregularitas confirmatur etiam ex responsione S. C. S. Officii diei 26 *Nov.* 1668. Nam proposito dubio : « An alumni collegiorum pontificiorum qui vel ab haeresi sunt conversi, vel sunt haereticorum filii, et ideo irregulares, qua irregularitate (quoad appareat) non sublata, ad ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur, an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate jam dicta » ; S. C. reposuit : « Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem : petentibus vero relaxandam dispensationem ». Tandem recentius eadem S. C., die 4 *Dec.* 1890 idem docuit : « Haereticos ad fidem catholicam conversos, ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum duntaxat, esse irregulares, ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur (1) ». Hujus irregularitatis meminit etiam responsio (cujuscumque demum sit) diei 10 *Apr.* 1704, quam integram habes *n. 1057 sequ.*, quaeque respicit ordinationes apud Aethiopes.

462. Ex dictis apparet nomine haereticorum in hac materia venire tum haereticum proprie dictum qui cum perti-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 1178.

nacia aliquem fidei articulum denegat, tum schismaticum, praesertim cum schisma de facto semper cum haeresi conjungatur, tum apostatam a fide. Suarez, *l. c.*, *n.* 2, innixus *can.* 1 *sequ.*, *dist.* 50, in Decreto, probabilius putat esse irregularem etiam apostatam externe tantum, qui scilicet metu tormentorum aut humana aliqua cupiditate idola adoravit, licet interius fidem integre servaverit. Ratio potest esse quia ipse in foro externo est apostata, et irregularitas respicit prae primis forum externum. Certe et ipse rediens ad Ecclesiam antiquitus submittebatur publicae poenitentiae, et etiam hodie tali infamia facti laborat quae raro admodum per poenitentiam aboleri poterit, ita ut permitti valeat ejus ordinatio absque scandalo et admiratione fidelium. Quod si clericus apostata, facti poenitens, iterum certamen inierit, concilium Ancyranum in *can.* 32, *cit. dist.* 50, statuit presbyterum honorem sedis retinere, ita tamen ut nec sacrificium nec alia munera sacerdotalia obire ipsi liceret; diaconum vero gradum servare ea conditione ut ab omni sacro ministerio cessaret, nisi episcopo visum fuerit aliquid eis tribuere. Tandem de apostatis a statu religioso Honorius III, in *cap.* 6, *De apostatis*, statuit, si aliquem sacrum ordinem receperint in apostasia, suspensionem contrahere reservatam Sedi Apostolicae. Sed de his nos in praesenti non loquimur. Potius determinandum est quinam haeretici hac irregularitate teneantur.

463. Magna hac de re doctorum dissensio. Alii (1) putant hanc irregularitatem esse ex delicto et contrahi etiam ex haeresi occulta; quod confirmant ex potestate a Clemente VII, in const. *Cum sicut*, inquisitoribus facta dispensandi ab irregularitate ex haeresi occulta. Alii censent hanc irregularitatem esse ex infamia facti, quam haeresis secumfert: unde sicuti infamia facti, ita et irregularitas eidem adnexa non contrahitur ex haeresi occulta, et cessat poenitentia et conversione (2). Haec sententia eo redit ut dicamus irregularitatem ex haeresi non existere, cum haereticus ante conver-

(1) Suarez, *l. c.*, *n.* 4; Navarrus, *cap. XXVII*, *n.* 205; Reiff., *V*, *VII*, *n.* 255, aliique.

(2) Salm., *X*, *VIII*, *n.* 79.

tionem ex jure divino ab ordinibus repellatur ; et ex supra dictis certe falsa est. Tandem alii (1) autumant hanc irregularitatem esse ex infamia facti, ut supra, ante sententiam judicis de crimine patrato ; post hanc sententiam esse ex infamia juris qua haeresis notatur in *cap.* 13, § *Credentes, De haereticis, can.* 17, *c.* 6, *q.* 1, in Decreto, et *cap.* 2 *et* 15, *De haereticis, in* 6° ; quae infamia juris una cum irregularitate perdurat etiam post conversionem et absolutionem ab haeresi, donec a legitimo superiore non dispensetur. Nostra sententia sequentibus continetur.

464. In primis pro certo habemus hanc irregularitatem afficere haereticos qui damnatae sectae adscripti sive a nativitate sive ex propria culpa, etsi nulla judicis sententia intervenerit, deinde ad catholicam Ecclesiam veniunt vel redeunt ; nam de iis praecise agunt canones supra citati et relatae responsiones S. C. S. Officii. « In Germania, ait Schmalz., *V, VII, n.* 108, et aliis provinciis septentrionalibus episcopi ex haeresi ad fidem conversos et ab ea absolutos, si ceterum digni sint, ordinare solent absque ulla dispensatione ». At haec contraria consuetudo, si adhuc perdurat, non substinetur ; nam si filii haereticorum in Germania, non obstante contraria consuetudine, arcentur a statu clericali, ut infra dicemus, multo magis parentes. Pertinentibus autem ad damnatam sectam religiosam sive a nativitate sive ex propria culpa, merito accensentur alii qui per judicis sententiam personaliter damnati fuerunt de haeresi, schismate, apostasia, etsi ad aliquam jam existentem sectam haereticam, schismaticam, vel ad ethnicam aliquam superstitionem non transierint, quia secus sequeretur haereticos esse irregulares, non vero haeresiarchas. Igitur isti omnes sunt irregulares ex delicto, non ex infamia juris, quia juxta Innocentium I, *l. c.*, haec irregularitas repetenda est a regulis traditis ab Apostolis vel apostolicis viris ; atqui tunc temporis infamia juris statuta non erat ; et revera in citatis canonibus de eadem ne verbum quidem. Delapsos vero in

(1) Schmalz., *V, VII, n.* 105 ; Pirhing, *n.* 46 ; Layman, *lib. I, tract. V, p. V, cap. IV, n.* 12, aliique.

haeresim aut apostasiam et inde ad Ecclesiam catholicam revertentes fuisse antiquitus irregulares tum ratione haeresis tum ratione publicae poenitentiae, jam supra diximus.

465. Quod si haeretici personaliter damnati excommunicationi quam ipso jure contrahunt, satisfacere contempserint infra annum, notantur infamia juris latae sententiae, et ideo novam contrahunt irregularitatem ex defectu famae. Nimirum haeretici, apostatae a fide, credentes, receptatores, defensores et fautores haereticorum subjiciuntur excommunicationi latae sententiae R. P. speciali modo reservatae ut constat, praeter alia jura, ex const. *Apostolicae Sedis*, *art. I.* Postquam vero « quis talium fuerit excommunicatione notatus, *si satisfacere contempserit infra annum*, ex tunc ipso jure sit factus infamis nec ad officia publica seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur », uti legitur in *cap.* 13, § *Credentes*, *De haereticis*. Innocentius III hoc in loco agit de credentibus, receptatoribus, defensoribus et fautoribus haereticorum ; sed haec infamiae nota merito extenditur etiam ad haereticos principales (*n. 182*), et ideo auctores, tradentes haereticos esse infames, citare solent hoc jus (1). Communiter autem doctores ad hanc infamiam contrahendam requirunt sententiam declaratoriam criminis (2) ; quam doctrinam sequimur ob auctoritatem doctorum, licet in genere infamia juris canonici latae sententiae contrahatur absque ulla judicis sententia (*n. 288*). Igitur haeretici, apostatae a fide et credentes qui pariter haeretici sunt, si excommunicationi satisfacere contempserint infra annum, et accesserit sententia declaratoria, duplici detinentur irregularitate, ex delicto, sicut antea, et ex defectu bonae famae ; ceteri omnes unica tantum ex defectu bonae famae. Pro infamia juris haereticorum citari solent etiam *can.* 17, *c.* 6, *q.* 1, in Decreto ; sed hic canon apocryphus est (*n. 290*). Citatur etiam statutum Alexandri IV in *cap.* 2, § *Haeretici*, *De haereticis*, *in* 6°, quod reddit

(1) Schmalz., *V, VII, n.* 123 ; Reiff., *n.* 293 ; Pirhing, *n.* 62 ; Lehmkuhl, *II, n.* 1010.

(2) Schmalz., *l. c., n.* 124 ; Reiff., *l.c.* ; Pirhing, *l. c.* ; Layman, *lib. II, tract. I, cap. XVI, n.* 4.

inhabiles ad quodcumque beneficium ecclesiasticum et officium publicum haereticos, credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filios usque ad secundam generationem in linea paterna, usque ad primam in linea materna, juxta declarationem Bonifacii VIII, in *cap.* 15, *ejusd. tit.*, *in* 6°. Sed haec inhabilitas est unus infamiae effectus qui etiam sine infamia infligi potest : et ideo e. g. in Bulla *Coenae* Nicolai III (1) sub § *21*, habetur haec inhabilitas pure et simpliciter in haereticos etc., et sub § *4*, est infamia juris, ut supra, si excommunicationi satisfacere contempserint infra annum.

466. Alios autem haereticos externos, sed non damnatos nec personaliter nec in propria secta, sive occultos sive publicos, putamus non esse irregulares, ita ut cessante, si publici sunt, infamia facti per conversionem, absolutionem et publicam errorum retractationem, non prohibeantur per se ad ordines promoveri eosdemque exercere. Probatur in primis ex praxi ubique recepta, ni fallimur. Nam hodie in nostris nationibus catholicis quamplurimi sunt istiusmodi haeretici vel apostatae inter liberales negantes in mala fide vel unum vel plures vel omnes fidei articulos non solum occulte sed etiam publice in ephemeridibus, in libris, in comitiis, in ordinaria conversatione, quin personaliter damnati sint vel damnatae sectae adscripti. Jam vero non videmus in praxi ipsos considerari tamquam haereticos in subjecta materia, ita ut e. g. pro ipsis ordinandis, pro exercitio ordinum eisdem permittendo, pro ordinandis eorum filiis ac nepotibus petatur a Sede Apostolica dispensatio irregularitatis. Confirmatur quia horum haereticorum irregularitas in nullo jure invenitur expressa. Nam canones relati *n. 461* ac responsiones S. C. S. Officii agunt, uti diximus, de haereticis ad damnatam sectam pertinentibus. Habetur praeterea citatum statutum Alexandri IV, *in cap.* 2. § *Haeretici*, *De haereticis* (*n. 465*), ubi communis sententia nomine *officii publici* intelligit etiam ordines. Respondemus

(1) Apud Pennacchi, *Comm. in const. Apostolicae Sedis, p. I, app. II, pag.* 111.

in primis hanc communem sententiam duram esse (1). Nam stricta interpretatione qua in odiosis uti debemus, *officium publicum* non comprehendit ordines, sed potius publica officia in regimine civili et ecclesiastico, quorum nonnulla recenset Passerini, *De electionibus, cap. XXV, n.* 92, et Glossa in *cit. cap.* 2, *v. publicum ;* eo vel magis quod Alexander IV, *l. c.*, addat : *Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane*, ac similia repetat Bonifacius VIII, in *cit. cap.* 15, *ejusd. tit., in* 6° ; quae de ordinibus minus proprie dici possunt. Igitur sola praxi universalis Ecclesiae inhabilitas *l. c.* statuta pro beneficiis ecclesiasticis et officiis publicis, poterat extendi ad ordines (2) : atqui haec praxis deficit pro haereticis et apostatis non damnatis eorumque credentibus, receptatoribus, defensoribus et fautoribus. Insuper habetur *cap.* 13, § *Credentes*, *De haereticis*, quod de infamia in haeresim statuta agit ; de qua re vide quae supra diximus. Tandem non obstat facultas a Clemente VIII concessa dispensandi ab irregularitate ex haeresi occulta ; nam neminem latet multa concedi ad cautelam, quando res plana non est (3).

467. Ab hac irregularitate quoad ordines suscipiendos dispensat R. P. et nemo alius, nisi speciale indultum obtinuerit. Inter illos qui censent hanc irregularitatem oriri etiam ex occulto haeresis crimine, satis communis sententia est episcopum posse in casu dispensare vi Tridentini decreti (*n. 217*), non obstante quod in Bulla *Coenae* episcopis adempta sit potestas *absolvendi* ab haeresi occulta (4) : Sed in genere cum irregularitas haereticorum non damnatorum, sive occulti sint sive publici, sit valde dubia, episcopus ob hanc rationem potest ab ea dispensare (*n. 230*). Quoad exercitium ordinum susceptorum, auctores passim docent episcopum posse dispensare (5) ; qui tamen non vi-

(1) D'Annibale, *I*, § 433, *not.* 20 ; Gibalinus, *cap. V, quaest. IV, cons. III, n.* 12 ; Sayrus, *lib. VI, cap. X, n.* 40, § *Ceterum.*

(2) Boenninghausen, III, *pag.* 143.

(3) D'Annibale, *l. c., not.* 10.

(4) Schmalz., *V, VII, n.* 106 ; D'Annibale, *I*, § 431, contra Suarez, *l. c.*; *n.* 6 ; Phillips, *I*, § 55 *in fine.*

(5) Suarez, *l. c., n.* 6 ; Schmalz., *V, VII, n.* 107 aliique.

detur posse permittere celebrationem Missae presbytero in haeresi ordinato, aut usum pontificalium episcopo in haeresi consecrato, aut usum receptorum ordinum lapsis in haeresim, schisma aut apostasiam et inde ad Catholicam Ecclesiam revertentibus (1). Huc usque de haereticis.

468. 2° De haereticorum *complicibus*, idest de credentibus, receptatoribus, defensoribus et fautoribus haereticorum, post ea quae diximus, brevis est sermo. Nimirum de credentibus, cum revera haeretici sint, repete quae supra diximus. Alii, si excommunicationi qua detinentur, satisfacere contempserint infra annum, praevia sententia declaratoria criminis, sunt infames, et ideo irregulares. Praeter hunc casum non putamus ex *cap.* 2, § *Haeretici*, *et cap.* 15, *De haereticis*, *in* 6°, ipsos esse inhabiles ad ordines, sicuti sunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica et officia publica.

469. 3° Tandem *filios* haereticorum removeri a statu clericali, satis probatur ex *cit. cap.* 2, § *Haeretici*, et *cap.* 15, *De haereticis*, *in* 6°, addita Ecclesiae praxi. Idem declaravit S. C. C. in *Leodiensi*, *Ordinationis*, 20 *Aug.* 1678 ; nam propositis dubiis : « 1° An filius haeretici apostolica dispensatione pro ecclesiasticis ordinibus recipiendis indigeat ; 2° An sit concedenda oratori » ; S. C. respondit : « Ad 1^um^ affirmative ; Ad 2^um^ adeat S. C. S. Officii ». Accedunt responsiones S. C. S. Officii relatae *n. 461* aliaeque quas infra damus. Tandem lege epistolam Clementis VIII relatam *n. 473*. Haec lex ideo lata fuisse videtur, quia experientia satis docet non semel contingere ut filii parentum errores sequantur, et ideo eorum fides non immerito habetur suspecta.

470. Imo adeo filii haereticorum prohibentur promoveri, ut contraria consuetudo particularis non substineatur. Cum enim in Germania aliisque regionibus haec consuetudo recepta esset multique auctores traderent legem fuisse abolitam contrariis moribus quibus haeretici et multo minus eorum filii haud infames habentur, S. C. S. Officii *feria IV die* 25 *Julii* 1866, in *Posen.* declaravit : « Haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, filios esse irregulares

(1) Gratianus, in fine *can.* 4, *c.* 1, *q.* 7, in Decreto.

etiam in Germania aliisque in locis ubi impune grassantur haereses ». Deinde episcopus Harlemensis rursum adiit eamdem S. C. exponens quae sequuntur : « Sicuti in variis Germaniae Galliaeque dioecesibus, item etiam in Harlemensi, obtinet consuetudo admittendi sine dispensatione apostolica ad minores majoresque ordines filios haereticorum. Haec consuetudo juri communi et S. P. Bonifacii VIII decretali (*cap. Statutum, De haereticis, in* 6°) non conveniens, Sedi Apostolicae non probata et abea etiam aliquatenus saltem reprobata mihi videtur ; quod concludo ex actis concilii provincialis Remensis *an.* 1857 celebrati. Ibidem enim, *cap. X*, § 1, ubi inter irregularitates ex delicto enumerantur secundo loco *haeresis* et *apostasia a fide*, additur praefata Bonifacii VIII dispositio ; quam additionem factam fuisse jussu S. C. Concilii Tridentini merito licet suspicari, cum Emus Card. Th. Gousset qui dicto concilio praefuit, antea in opere quod de theologia morali conscripserat, nullam fecerit mentionem irregularitatis qua filii nepotesque haereticorum essent nodati. Hanc ob causam dictam consuetudinem tollere vellem, et juris communis ecclesiaeque Romanae disciplinam quoad hoc negotium in mea dioecesi introducere et servare. Adest vero aliqua difficultas, quia plures, nulla accepta dispensatione, sacris ordinibus sacerdotioque initiati, sacro munere sine ullo scrupulo funguntur ; sublata tamen consuetudine, scrupulis exagitarentur. Quae cum ita sint, ad Eminentiam tuam, Eme Princeps, confugio humiliter rogans : 1° Utrum toleranda sit praefata consuetudo, an potius tollenda ; 2° Si tollenda, utrum aliquo modo providendum sit iis qui antea vi dictae consuetudinis ordines sine dispensatione apostolica susceperunt ; 3° Si tollenda sit, utrum per Eminentiae tuae intercessionem mihi per Sedis Apostolicae benevolentiam concedi possit facultas quae pluribus episcopis tribui solet, dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae ex bigamia vera vel ex homicidio voluntario provenerint. Ea enim facultate praeditus possum sine rumore jus commune introducere, praeterea subvenire illis qui ordinibus initiati jam sunt, et si in hujus introductionis notitiam devenerint, forsan de sua irregularitate dubitarent, et tandem

prospicere etiam iis casibus qui aliquando occurrunt in quibus ob aliam causam, scilicet ex defectu corporis, adest irregularitas ». S. C., die 11 *Julii* 1884 reposuit communicandum esse decretum emissum in *Posen.*, *feria VI die* 25 *Jul.* 1866 ; insuper addendum quod pro praeterito acquiescat ; pro futuro detur ad quinquennium facultas dispensandi a tali irregularitate in singulis casibus.

471. Si autem quaeras quorumnam haereticorum filii promoveri prohibeantur, respondemus cum D'Annibale, *I*, § 433, hanc prohibitionem afficere filios haereticorum qui alicui damnatae sectae nomen dederunt, et his nos addimus filios haereticorum personaliter damnatorum ; non vero filios aliorum haereticorum. Sane si alii haeretici post eorum conversionem et absolutionem possunt per se ordinari (*n. 466*), multo magis poterunt eorum filii. Equidem in *cit. cap.* 2, et *cap.* 15, *De haereticis*, *in* 6°, declarantur inhabiles ad beneficia ecclesiastica et officia publica non solum filii haereticorum sed etiam filii credentium, receptatorum, defensorum et fautorum haereticorum. At jam diximus (*cit. n. 466*) sola praxi universalis Ecclesiae hanc inhabilitatem posse ad ordines extendi ; praxis autem Ecclesiae deficit pro filiis haereticorum non damnatorum aliorumque. Saltem dubium erit horum omnium filios esse prohibitos : ac proinde episcopus poterit dispensare. Insuper Bonifacius VIII, in *cit. cap.* 15, addit : « Hoc sane de filiis et nepotibus haereticorum, credentium et aliorum hujusmodi qui tales esse vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur ; non autem illorum quos emendatos esse constiterit et reincorporatos Ecclesiae unitati et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi vel jam perfecerunt vel humiliter prosecutioni ejus insistunt vel parati fuerint ad recipiendam eamdem ».

472. Porro prohibitio ordinandi horum haereticorum filios, juxta declarationem Bonifacii VIII, *l. c.*, extenditur ad primum et secundum gradum per paternam lineam, ad primum dumtaxat per maternam (1). Id ita declarat Glossa,

(1) Si ad gradus remotiores haec probibitio alicubi porrigitur, hoc pe-

l. c., *v. Inane* : « Si Titius fuerit haereticus, receptator, fautor, vel defensor et habuit filium et filiam, uterque ipsorum subjacet prohibitioni ; et si filius habet filium, ipse nepos ex filio prohibitioni subjacet ; sed si filia habet filium, nepos ex filia non subjacet huic prohibitioni. Item si mulier aliqua est haeretica et habet filios, soli filii includuntur hac prohibitione, sed nepotes ex filiis non, et hoc intendit haec declaratio. Et hoc secundo casu cum mater fuit haeretica, intelligas verum, si pater fuit catholicus ut ejus respectus non habeatur ». Hinc e. g., in matrimonio mixto si pater est catholicus et mater est haeretica, filius ordinari nequit, etsi educatus, prouti debet, in religione catholica, bene vero nepos ex filio ; si e contrario mater est catholica et pater est haereticus, non solum filius catholicus, sed nec nepos pariter catholicus ex tali filio potest promoveri. Nil interest utrum filius vel nepos sit legitimus, an illegitimus (1) : proinde illegitimus dupliciter prohibetur, ratione scilicet illegitimitatis, et ratione haeresis paternae. At filii vel nepotes qui nati sunt antequam pater vel mater in haeresim incideret, possunt ordinari (2) : multo magis filius ordinatus ante haeresim paternam potest in susceptis ordinibus ministrare ; de qua re nullum dubium (3).

473. Tandem prohibitio ordinandi filios haereticorum cessat ipsa conversione parentum (4). Ad rem Clemens VIII in epist. ad episcopum Pacensem, 6 *Oct.* 1593 : « Nuper ad Nos perlatum est quod, licet semel atque iterum Fraternitati tuae, Cogis Ven. Fratr. Nostr. S. R. E. Card. Conc. Trid.

culiaribus statutis a Sede Apostolica confirmatis, est tribuendum : atque hoc de Hispania testatur Card. Petra in *comm. const. XV Innocentii IV*, *tom. III, pag.* 85, *n.* 10.

(1) Suarez, *disp. XLIII, sect. III, n.* 2 : « Non enim debent (illegitimi) esse melioris conditionis eo quod turpius geniti sint ». Glossa in *cit. cap.* 15, *v. Volumus* : « Ne plus habeat luxuria quam castitas ».

(2) S. Alph., *VII, n.* 363 ; Salm., *X, VIII, n.* 83 ; D'Annibale, *I*, § 432 ; Schmalz., *V, VIII, n.* 115 ; Pirhing, *n.* 101 ; Sanchez., *lib. II Mor., cap. XVIII, n.* 28 *et* 30, ac plures alii. Haec doctrina quam rejiciunt Suarez, *l. c.* ; Boenninghausen, *I. pag.* 150, *sequ.* aliique, firmatur a simili ex dictis *n.* 455.

(3) Card. Petra, *l. c., n.* 59, citans plures alios.

(4) Schmalz., *l. c., n.* 117 ; Reiff., *V, VII, n.* 270, 271 ; Suarez, *l. c., n.* 1 ; Ben. XIV, *De syn., XIII, XXIV, n.* 21.

Interpretum nomine, per dilectum filium presbyterum Cardinalem Matthaeium, significatum fuisset, in ea Coge post maturam prachabitam disputationem resolutum fuisse *quod licet ex S. Trid. Conc. praecepto, cap. VII, sess. XXIII, teneatur episcopus ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigare et examinare diligenter, eos tamen qui originem a Judaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt, per paternam lineam nimirum ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum, ab ordinatione excludere minime debeat; quin neque etiam eos qui filii vel nepotes eorum essent, quos licet haeretici fuerint, constat tamen emendatos esse et unitati corporique Ecclesiae restitutos, quod nimirum susceperint pro admissa culpa ad mandatum Ecclesiae poenitentiam, quam aut perfecerunt, aut ei perficiendae insistunt, vel certe quod eam perficere sunt parati juxta const. fel. rec. Bonifacii VIII praedec. Nostri quae incipit* STATUTUM. *Id tamen intelligendum esset ubi apostolico aliquo privilegio aut confirmatione contrarium cautum non sit, et nisi aliud canonicum obsistat impedimentum*, et in hanc sententiam eidem Fraternitati tuae injunctum extitisset, ut secundum illam cum hujusmodi generis personis ageres, nec permitteres ut qui haereticae pravitatis inquisitoris officium exercueras, infensiore adversus illos animo, quam jus et aequitas postulat, esse videreris; Tu nihilominus litteris et ordinationi Cogis hujusmodi non paruisti. Proinde Nos Fraternitati tuae per praesentes praecepimus et mandamus, ut juxta dictae Cogis sententiam ac dicti Bonifacii praedecessoris constitutionem, supradictas personas quascumque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum gradum, et per maternam ultra primum gradum, vel a Judaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum quos emendatos et Ecclesiae unitati restitutos esse constat, alioquin tamen idoneos, nec ubi aliud canonicum obsistat impedimentum, a sacris ordinibus in posterum minime excludas, sed illos sine aliqua personarum acceptione libenter ad hujusmodi promoveas et promoveri cures ». Hinc eadem S. C. C. in

Romana, 21 *Maii* 1718, declaravit non esse irregularem filium haereticorum qui ad Ecclesiae unitatem redierant. Plures excipiunt filios et nepotes haereticorum relapsorum et modo rursus redeuntium ad Ecclesiam Catholicam (1) ; sed haec exceptio non videtur admittenda.

Ex dictis sequitur hanc prohibitionem ordinandi filios haereticorum non esse proprie dictam irregularitatem (*n. 169*) (2), sicuti est prohibitio ordinandi parentes haereticos, quae perdurat etiam post plenam ipsorum reconciliationem.

Praeter casum conversionis parentum, haec prohibitio remitti potest tantum a R. P. vel ab aliis indultum habentibus.

474. Haec quae diximus de filiis haereticorum applicari non debent filiis eorum qui baptismum non receperunt. Nam horum filii baptizati ante usum rationis (secus sunt neophyti, de quibus *n. 268 sequ.*) jure communi non arcentur a clericali statu (3). Id pro descendentibus a Judaeis aperte probatur ex *cap. 77, De rescriptis*, et inculcatur a Clemente VIII in relata epistola. Pro descendentibus ab aliis infidelibus id tradidit S. C. C. in responsione die 13 *Febr.* 1683, quam habes in *cap. V, sect. I, art. II*. Diximus vero hos infidelium filios *jure communi* non arceri a statu clericali. « Nam aliter dicendum foret si in beneficii erectione a fundatore cautum esset ne umquam illud conferatur descendenti a Judaeis..... Idem judicium ferendum esset, si Summus Pontifex justis de causis statuisset ne in aliqua regione descendentes a Judaeis promoveantur ad ordines ; quod reapse in regno Portugalliae servari jussit Sixtus V suis apostolicis litteris datis die 15 *Jan.* 1588 et confirmatis a Clemente VIII die 18 *Dec.* 1600 ; quarum executionem iterum inculcavit S. C. S. Officii epistola ad collectorem ejusdem regni data *an.* 1661 ». Ita Benedictus XIV, *l. c.* Hinc in regno

(1) Schmalz., *V, VII, n.* 118 ; Reiff., *n.* 272 ; Pirhing, *n.* 105.

(2) Card. Petra, *l. c., n.* 55 *sequ.*, cum Passerini, *De electione, cap. XXV, n.* 97, etiam ob aliam rationem negat in casu esse veram irregularitatem, quia scilicet filii haereticorum, ex *cit. cap.* 2 *et* 15, prohibentur recipere ordines, non quatenus ordines sunt, ratione sanctitatis illorum, sed quatenus sunt officia publica.

(3) Ben. XIV, *De syn., XI, I, n.* 4 *sequ.*

Portugalliae omnes, antequam prima tonsura initientur, debent probare se a Judaeis non descendere (1). Quamquam vero constitutio episcopi aliorumque infra R. P., excludens ab ordinibus descendentes ab infidelibus, nullius esset roboris, utpote contraria juri communi, prouti declaravit S. C. C., *l. c.*, tamen laudanda foret constitutio praecipiens magnam cautelam et delectum, quando agitur de promovendis descendentibus a Judaeis aliisque non baptizatis (2).

475. In *Majoricen.*, 25 *Jan.* 1749, episcopus noluerat J. praesentatum pro beneficio prima tonsura initiare « quod illius ascendentes fuissent Hebraei, et famam esse annososque testes referre, poenis ob id eos affectos fuisse a tribunali sacrae inquisitionis ; hanc maculam non equidem porrigi ad gradum in quo est J., sed tamen facere ut a clericatu repellendus sit ob infamiam facti, cum eo usque in insula illa spernantur atque odio sint hi descendentes ab Hebraeis, ut quisque cum iis consanguinitates et affinitates per matrimonia contrahere recuset, et plures sint regulares ordines quibus vetitum est ad professionem admittere hujus generis homines ». Proposito dubio : « An sit locus ordinationi J., sive potius obstet impedimentum ab episcopo allegatum » ; S. C. reposuit : « Affirmative ad 1^{am} partem ; negative ad 2^{am} ». In simili causa *Tuden.*, *Ordinationis*, simile dedit responsum die 19 *Sept.* 1761.

476. Tandem de baptizatis ab haereticis. Felix III R. P. in epistola ad universos episcopos, cujus pars refertur in *can.* 10, *caus.* 1, *qu.* 7, in Decreto (3) praecipit : « Illo per omnia custodito, ne ex eis unquam qui in qualibet aetate alibi quam in Ecclesia catholica aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere ; quibus satis esse debeat quod in catholicorum numero sunt recepti ». Igitur sicuti rebaptizati a quocumque (*n. 320*), ita baptizati ab haereticis sunt irregulares. Haec irregularitas est ex delicto voluntariae susceptionis baptismatis ab haereticis. Hinc baptizatus ab haereticis in

(1) Honorante, *cap. I, not. XI.*
(2) Ben. XIV, *l. c., n.* 6 ; De Angelis, *I, XVII, n.* 2.
(3) Migne, *P. L., tom. LVIII, pag.* 924.

infantili aetate, et fortasse etiam in impubertate (*n. 201*), non est irregularis : illa autem verba *in qualibet aetate* Glossa citata *n. 326* intelligit de qualibet aetate doli capace. Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Romana*, 21 *Maii* 1718, ubi baptizatum ab haereticis in aetate duorum annorum declaravit irregularem non esse. Pariter haec irregularitas non intelligitur si quis baptizatus fuit ab haereticis in casu necessitatis, urgente mortis periculo ; aut si baptismum recepit bona fide, licet in hoc ultimo casu irregularitas in foro externo urgere possit.

III

De impedimentis simplicibus.

477. Praeter censuras cum homonymis poenis et prohibitionibus, et praeter irregularitates, de quibus huc usque, sunt impedimenta ordinationem impedientia quae speciali nomine carent quaeque proinde erunt impedimenta simpliciter (*n. 139*) ; et personae quae illis detinentur, dicuntur simpliciter impeditae, idest vel *indignae*, si impedimentum peccato aut defectui necessariae perfectionis moralis innititur, secus *inidoneae*. Plura ex istiusmodi impedimentis supra ob materiarum connexionem tetigimus ; modo reliqua exponere debemus.

478. Diximus (*n. 159*) irregularitatem proprie dictam non posse constitui nisi a R. P., qua scilicet aliqua personarum classis a statu clericali perpetuo removetur. At episcopus optime potest pro sua dioecesi aliquid exigere in promovendis juri communi minime contrarium ad honorem status clericalis, vel speciales cautelas pro aliquo casu statuere. Ita, e. g., Romae ex stylo Secretariae Cardinalis Vicarii, filius unicus non admittitur ad primam tonsuram sine speciali dispensatione Cardinalis Vicarii, quia praesumitur hoc vitae genus eligere, non ut fidelem cultum Deo praestet, sed ut saeculare judicium effugiat (1). Item Benedictus XIV in const. *Etsi minime*, 7 *Febr.* 1742, laudat episcopum qui consti-

(1) Honorante, *Praxis etc., cap. I, n. IV* ab initio.

tuit « numquam se facturum, ut tonsura inauguret grandiores aetate aut minores, praesertim vero majores ordines iis conferat qui in tradenda christiana doctrina operam suam parochis commodare neglexerint ». Et ita porro alia etiam exempla citari possent, in quibus habentur quodammodo impedimenta simplicia juris particularis. Nos in praesenti exponimus impedimenta juris communis.

1° — *Defectus confirmationis.*

479. Qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, non posse vel ipsa prima tonsura initiari, tradit Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IV, de ref.* : « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, etc. ». Ratio est quia ipsi non censentur satis firmi in fide, et non decet illos qui nondum sacramento confirmationis milites Christi facti sunt, aliorum duces per ordinationem constitui.

480. Stante hoc decreto Tridentino, proposita fuerunt S. C. C. sequentia dubia in *Augustana*, 27 *Sept.* 1601 (1) : « 1° Quaeritur an primam tonsuram et quatuor minores ordines male vel per saltum suscepisse dicatur qui sacramento confirmationis solum post illos susceptos fuit perunctus ; 2° An idem, ut supra, ordinatus et provisus de simplicibus beneficiis ante sacramentum confirmationis, legitime dicta beneficia acquisiverit ita ut nulla indigeat nova provisione ; 3° An idem possit ad sacros ordines ascendere, nulla petita absolutione vel dispensatione ». S. C. reposuit : « Ad 1^{um} esse male promotum ; Ad 2^{um} minus legitime acquisivisse, atque egere nova provisione ; Ad 3^{um} non posse nisi praevia Sedis Apostolicae dispensatione ».

481. Ex hac responsione Giraldi, *l. c.*, deducit errare illos qui putant initiatum prima tonsura, non recepto prius sacramento confirmationis, peccare quidem, sed non mortaliter, nisi ex contemptu illud omittat, et nullam incurrere censuram. De Angelis, *I, IX, n.* 9, ex eadem responsione arguit pariter in casu esse grave peccatum, quod tamen se-

(1) Giraldi, *II, sect.* 91.

cumfert non censuram, sed irregularitatem, licet collatio primae tonsurae valida sit. At in primis nullam in casu manere censuram certissimum est, quia haec censura nullibi legitur, et nominatim non legitur in const. *Apostolicae Sedis*. Praeterea cum defectus confirmationis non sit perpetuus, ut patet, constituere nequit proprie dictam irregularitatem, sed simplicem infert inidoneitatem seu inhabilitatem, pro qua Sanctae Sedis dispensatio necessaria est juxta responsionem ad 3^um^. Quoad vero gravitatem culpae, S. Alph., *VI, n.* 786, docet esse sententiam communem peccatum in casu leve esse, eamque tenent Suarez, *De sacram. in genere, disp. XXXVIII, sect. I*; Salm., *De ordine, cap. IV, n.* 73; Navarrus, *cap. XXII, n.* 9; Thesaurus, *cap. XIII, v. Ordo, limita secundo*; D'Annibale, *III*, § 154, *not.* 17, aliique plures. Quamquam vero fateamur rationem quam isti auctores tradunt pro sua sententia, solidam non videri, scilicet quia relata verba Conc. Trid. indicant non praeceptum sed consilium aut decentiam, tamen culpam gravem urgere nolumus contra opinionem communiter receptam. Ex principio autem generali quod habes *n. 153*, sequitur non confirmatum, sicuti nequit sine aliqua culpa tonsuram aut ordines recipere, ita non posse sine eadem culpa in receptis ordinibus ministrare (1). De ordinatione sine praevia confirmatione vide folium S. C. C. in *Anglonen. et Tursien., Nullitatis ordinationis*, 15 *Mart.* 1802, et in *Aveiren., Irregularitatis*, 30 *Jun.* 1804.

2° — *Turpe mercimonium circa Missarum eleemosynas.*

482. S. C. C. sequens tulit decretum:

« Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus Missarum celebrationem spectantibus jugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

(1) Schmalz., *V, XXIX, n.* 13.

» Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda Missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis :

« I. — An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt ;

» II. — An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur ;

» III. — An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur ;

» IV. — An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine ;

» V. — An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro ;

» VII. — An liceat episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanc-

» tuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori » et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis » reditibus careant ».

» In peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit :

« Ad I. Affirmative ;

» Ad II. Negative ;

» Ad III, IV et V. Affirmative ;

» Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum. »

» Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat, in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

» Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit : clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, *et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos* : laici demum excommunicatione latae sententiae episcopis reservata obstringantur.

» Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major Missarum numerus congeritur quam justa necessitas exigit, ideo iidem Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum saepe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni Missarum onera, quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo

stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos qui eis indigere noverint : alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

» Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae jurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit : et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

» Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni P.P. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

» Datum Romae, die 25 Maii 1893.

» Aloysius Card. Epus Sabinensis, *Praefectus*.

« L. Salvati, *Secretarius*. »

483. Igitur clericus nondum sacerdotio initiatus qui talia turpia mercimonia commiserit, praeter suspensionem ab ordinibus receptis, fit inhabilis ad superiores recipiendos. Quae inhabilitas est poenalis, distincta ni fallimur, ab ea quae est intrinseca cuicumque suspensioni (*n. 152*), secus dictum non fuisset *et inhabilis praeterea*, sed *et inhabilis propterea* : unde sequitur, cessante suspensione, hanc inhabilitatem per se permanere. Quoniam vero haec inhabilitas non afficit nisi *clericos nondum sacerdotio initiatos*, et ideo non prohibet collationem-receptionem primae tonsurae et beneficiorum, non est irregularitas proprie dicta, sed simplex impedimentum ; a quo unus R. P. per organum S. C. C. dispensat.

3° — *Defectus requisitae aetatis.*

484. — Quamlibet ordinationem, et ita etiam primam tonsuram, in infantili aetate collatam validam esse, docet Benedictus XIV in const. *Eo quamvis tempore*, 4 *Maii* 1745, de qua in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n.* 586, ubi etiam tradit quid juris in casu de obligationibus clericalibus ordinationi in sacris adnexis. At vero Ecclesia optimo sane consilio praescripsit certam aetatem pro collatione graduum clericalium, diversam pro diversis. Nunc igitur Ecclesiae disciplinam hac de re exponere debemus, obiter hic ab initio animadvertentes eam afficere tum saeculares tum regulares, nisi ii privilegium a Sede Apostolica obtinuerint post Conc. Trid. quod antiqua privilegia abrogavit (1).

485. In Veteri Testamento pios parentes prolem nondum natam aliquando Deo vovisse, Deumque parentum vota grata habuisse, plura exempla demonstrant, quae recenset Hallier, *p. I*, *sect. VIII*, *cap. II*, *art. II*, § *I*, *n.* 2. Imo omnes primogeniti tum masculini tum foeminini sexus Deo consecrati et sanctificati erant, qui, nisi a parentibus persoluto pretio redimerentur, manere debebant in templo. Talibus exemplis informati Christiani praeteritis saeculis solebant pueruloS offerre Deo vel ad monachatum vel ad clericatum ; quam consuetudinem Origenes, *Hom. XI in Leviticum*, piam et aequissimam esse defendit. Hujus oblationis ritus qui aliquando legitur observatus, hic erat : Votivus puer a parentibus ad altare offerebatur, pluribus praesentibus, et libellus continens petitionem parentum, vel manus pueri, vel puer ipse altaris pallio seu palla, qua altare tegi atque ornari consueverat, involvebatur. Haec autem oblatio puerum clericatui aut monachatui non adscribebat; tantum secumferebat in parentibus obligationem gravem non revocandi puerum a statu clericali vel monachali, imo ipsum instituendi pie et fideliter, atque ita disponendi ad illum statum (*n. 37*), plena tamen ei relicta libertate, cum ad aetatem discretionis per-

(1) Honorante, *cap. XII*, *not. IX.*

venisset (1). Quandoque tamen puer in ipso monasterio vel presbyterio educabatur.

486. Praescindendo ab hoc more offerendi Deo infantes, si ad antiquam Ecclesiae disciplinam de aetate ordinationis oculos convertamus, magnam invenimus fuisse varietatem pro diversis temporibus et locis, et magnos quoque fuisse aliquando abusus, prouti videre est apud Thomassinum, *p. I, lib. II, cap. LXVII sequ.* Quoniam vero res parvi momenti est, omnia prosequi supervacaneum heic putamus. Tantum animadvertimus etiam civilem auctoritatem aliquando in hunc campum nullo jure falcem immisisse. Ita imperator Justinianus, *Novel.* 123, *cap.* 13, sancivit : « Presbyterum autem minorem XXXV annorum fieri non permittimus : sed neque diaconum et subdiaconum minorem XXV, neque minorem lectorem XVIII annorum ». Et in *Articulis*, ut aiunt, *organicis*, sub *n.* 16, pro episcopis in Galliis aetas XXX annorum exigitur : quae ceteroquin cum aetate a sacris canonibus requisita concordat.

487. Juxta praesentem disciplinam, *prima tonsura* jure communi dari non potest nisi post septennium completum. Sane Bonifacius VIII, in *cap.* 4, *De temporibus ordinationum*, *in* 6°, praescribit: « Nullus episcopus vel quivis alius infanti (nisi forte religionem intraret)... clericalem praesumat conferre tonsuram » ; atqui infantiam septennio completo terminari, notissimum est, ut advertit quoque Glossa, *l. c.*, *v. infanti.* Confirmatur ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IV, de ref.*, ubi ad conferendam primam tonsuram plura requirit, quae verificari nequeunt in illo qui usum rationis non habet : hic autem usus rationis, expleto septennio, adesse solet. Tandem Pontificale Romanum, in rubrica *De ordinibus conferendis*, ait : « Prima tonsura et minores ordines ante septimum annum completum dari non debent ». Et quoniam verba Conc. Trid. et Pontificalis Romani generalia sunt, sequitur abrogatam esse exceptionem de qua Bonifacius VIII, *l. c.*, scilicet nisi infans forte religionem intraret, saltem per oblationem parentum et tutorum, ut Glossa explicat, *l.*

(1) Hallier, *l. c.* ; Ben. XIV, epist. *Probe te*, 15 *Dec.* 1751.

c., *v. intrarent* (1). Porro hoc septennium computari debet a die nativitatis inclusive, non a die baptismatis, et expletum esse debet juxta annos naturales, non tantum juxta annos ecclesiasticos : solus ultimus septimi anni dies inceptus vel inchoatus haberi potest pro completo (2).

488. Diximus *jure communi* ; nam aliquando episcopi sive in synodo sive extra synodum statuerunt ut nemo ante aetatem annorum XII vel XIV prima tonsura initiaretur, ut capax esset per aetatem eligendi certum aliquem vitae statum in quo perpetuo maneret. Haec decreta servanda esse respondit S. C. C. in *Leodien.*, 1 *Dec.* 1704, et tradit Crispinus, *De sacra ordinatione*, § 9, ita ut episcopus possit quidem, sed non teneatur ante praefinitam aetatem prima tonsura quempiam initiare. Pariter R. P. nonnumquam indulsit ut ante septennium prima tonsura conferri posset : quae exempla refert Riganti, in *comm. Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § 2, *n.* 6.

489. Etiam *ordines minores* dari possunt, septennio completo, sicuti prima tonsura, prout Pontificale Romanum relatis verbis aperte tradit (3). Conc. Trid. hac de re nil statuit, et aliunde in hac eadem re « adeo confusa et incerta, quin imo et repugnans videtur mens canonum, ut vix aliquid certi haberi possit », ait Fagnanus, *l. c.*, qui deinde expendit varios canones et doctorum dissonantes opiniones. At vero si episcopus lege lata sive in synodo sive extra synodum determinavit aetatem ultra septennium pro minoribus ordinibus conferendis, e. g. aetatem annorum XIV completorum, hanc legem servandam esse, non est dubium. Fagnanus, *l. c.*, *n.* 44, insinuat regulam ut tres primi ordines minores conferantur a septimo ad duodecimum annum, et exinde a duodecimo ad decimum quartum ordinetur acolythus. In Urbe ex antiquissimo stylo nemo ad ordinem acolythatus

(1) Giraldi, *II*, *sect.* 91; Fagn., in *comm. cap.* 35, *De praebendis etc.*, *n.* 21.

(2) Pirhing, *I*, *XI*, *n.* 12 ; Thesaurus, *De poenis*, *II*, *v. Ordines ante aetatem legitimam recepti vel collati.*

(3) Honorante, *cap. II, not. VI* ; Pirhing, *I*, *XI*, *n.* 11.

admittitur nisi saltem duodecimum suae aetatis annum attigerit (1).

490. Pro *ordinibus majoribus* subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. VIII, de ref.*, statuit : « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante XXII, ad diaconatus ante XXIII, ad presbyteratus ante XXV aetatis suae annum promoveatur ». Sufficit autem annus inceptus, ut probat Ecclesiae usus et S. C. C. pluries declaravit, teste Fagnano in *comm. cap.* 7, *De electione etc.*, *n.* 18 *et* 131 (2). Hinc pro subdiaconatu satis est annus XXI completus, pro diaconatu annus XXII completus, pro presbyteratu annus XXIV completus, cum finis unius anni signet initium anni sequentis. Sed satis non est, prouti nonnulli putaverunt (3), si quis attigerit tantum ultimam diem anni XXI, vel XXII, vel XXIV, quia hic profecto promoveretur *ante* aetatem a Tridentino praescriptam (4). Ceterum aetas desumitur a nativitate, non a baptismate, ut declaravit etiam S. C. C. in *Spoletana*, 18 Dec. 1627 ; in eadem computanda attendendi sunt non anni ecclesiastici, sed anni naturales, ita ut ne dies quidem bissextilis demi possit (5). In *cap. 4, De temp. ordin.*, agitur de episcopo qui ordinavit diaconum puerum in XIII aetatis anno ; et Honorius III ait talem episcopum vel non esse sui compotem vel nimis videri a se scientiam repulisse. Clemens V, in *Clem. 3, De aetate etc.*, determinat aetatem pro ordinibus majoribus recipiendis, requirens pro subdiaconatu annum XVIII, pro diaconatu annum XXII, pro presbyteratu annum XXV : proinde Conc. Trid., *l. c.*, huic legi derogavit tantum quoad aetatem pro subdiaconatu et diaconatu.

491. Tandem pro *episcopali consecratione* requiritur annus trigesimus completus. Sane ad compescendos abusus de quibus Thomassinus, *l. c.*, *cap. LXX*, synodus Latera-

(1) Honorante, *l. c.*

(2) Riganti, *l. c.*, *n.* 9 ; Pirhing, *I, XI, n.* 11 ; Giraldi, *II, sect.* 102.

(3) Clericatus, *De sacram. ord.*, *dec. XL, n.* 16 ; Diana, *tom. II, tract. V, res.* 103 *segu.* ; Salm., *De sacram. ord., VIII, V, n.* 31.

(4) Boenninghausen, *III, pag.* 126 ; S. Alph., *VI*, 800 ; Croix, *n.* 2309, cum aliis.

(5) Reiff., *I, XI, n.* 64 ; S. Alph., *l. c.* ; Sanchez, *De matr., XXIV, n.* 22.

nensis sub Alexandro III, *can.* 3, relato in *cap.* 7, *De electione* etc., statuit : « Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia inquirenda, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in seipso debet ostendere qualiter alios in domo Dei oportet conversari. Ea propter... praesenti decreto statuimus ut nullus in episcopum eligatur, nisi jam XXX annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur ». Conc. Trid., *sess. VII, cap. I, de ref.*, hanc Alexandri III legem expresse confirmat : « Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum litterarumque scientia, juxta constitutionem Alexandri III quae incipit : *Cum in cunctis*, in concilio Lateranensi promulgatam, praeditus assumatur ». Igitur etiam hodie pro consecratione episcopali aetas XXX annorum completorum jure communi necessaria est ; quae aetas, sicuti aetas pro ordinibus majoribus, non a baptismate, sed a nativitate computatur, juxta annos naturales, ne dempto quidem die bissextili ; sed ultimus dies haberi potest pro completo. Haec aetas requiritur etiam pro consecratione episcororum titularium.

492. Potestas dispensandi super defectu aetatis uni competit R. P. qui eamdem aliis committere non solet. At omnibus Vicariis Apostolicis, *form. III, n.* 13, datur ad quindennium facultas : « Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint ». S. C. S. Officii, die 9 *Apr.* 1727, declaravit Vicarium Apostolicum vi hujus facultatis non posse dispensare cum regularibus ; et die 21 *Jan.* 1734, reposuit Vicarium Apostolicum nec posse dispensare pro ordine diaconatus et subdiaconatus, sed tantum pro ordine presbyteratus (1).

493. Porro haec dispensatio a Sede Apostolica pro subdiaconatu numquam concedi solet ; raro pro diaconatu ;

(1) Collect. S. C. de Prop. Fide, *n.* 1172, 1173.

tandem pro presbyteratu facile conceditur si tresdecim menses ad legitimam aetatem deficiunt: imo non raro, justa aliqua concurrente causa, dispensatio etiam conceditur super defectu quatuordecim et hodie etiam decem et octo mensium. Dispensatio datur per Breve, non vero per rescriptum, nisi Ordinarius, commendans instantiam, testetur de paupertate oratoris. Pro episcopatu autem dispensatio duplici modo a S. Sede indulgeri solet, vel praeficiendo minorem in episcopum et pastorem, eique ecclesiam cathedralem in titulum concedendo, et dispensando ut consecrationis munus ante legitimam aetatem suscipere possit: vel minorem ipsum designando in futurum ecclesiae praesulem ex nunc, postquam tamen ad legitimam aetatem pervenerit, interdicta interim ei tum spiritualium tum temporalium administratione, quae praestantioribus canonicis committi solet. Riganti, *l. c.*, *n.* 31 *sequ.*, plura recenset exempla dispensationis utriusque speciei. Quamquam vero Joannes XXII in *extrav. unic.*, *De postulatione*, *inter communes*, prohibuerit postulationem ad ecclesias cathedrales ante annum XXVII inceptum illius qui postulatur, et postulationem forte factam irritam et nullius momenti declaraverit, tamen haec dispositio recepta non fuit, ita ut postulatio possit fieri et admitti etiam in casu minoris aetatis (1).

494. Episcopus sine debita dispensatione ante legitimam aetatem conferens primam tonsuram, contrahebat suspensionem latae sententiae a collatione primae tonsurae per unum annum, ex *cit. cap.* 4, *De aetate etc.*, *in* 6°; conferens ordinem sacrum, contrahebat suspensionem ferendae sententiae a collatione omnium ordinum, ex *cit. cap.* 4, *De temp. ordin.* Ordinatus vero mala fide in sacris ante aetatem sine dispensatione contrahebat suspensionem ferendae sententiae ab usu ordinis male suscepti usque ad legitimam aetatem, ex *cit. cap.* 14, *De temp. ordin.*; sed deinde Pius II in const. *Cum ex sacrorum*, 15 *Kal. Dec.* 1461, ipsum dixit suspensum ipso facto ab omni ordine sacro tum rite assumpto tum male suscepto sine ulla temporis limitatione,

(1) Riganti, *l. c.*, *n.* 23 *sequ.*

et ideo irregularem, si contra hanc suspensionem in eodem ordine ministravisset (1). Hodie in const. *Apostolicae Sedis* nulla censura neque in ordinantem neque in ordinatum hac de re legitur ; proinde puniri quidem possunt a legitimis superioribus, nempe episcopus a R. P., ordinatus a suo episcopo vel a R. P., sed poenae latae sententiae non amplius manent. Attamen ordinatus ante legitimam aetatem sive bona sive mala fide nequit in recepto ordine ante adventum legitimae aetatis solemniter ministrare sine dispensatione, non quidem in poenam commissi peccati, sed quia lex quae prohibet aliquem ordinem conferre-recipere ante determinatam aetatem, eo ipso prohibet ante eamdem aetatem in ordine male recepto solemniter ministrare (*n. 153*). Quod si nihilominus ministraverit, peccat graviter, sed irregularitatem non amplius contrahit, quia suspensionem non violat : adveniente autem canonica aetate potest solemniter ministrare absque ulla dispensatione (2).

4° — *Defectus gradus inferioris et interstitiorum non expletorum* (3).

495. Ulterius sacri canones statuunt ut ordines gradatim conferantur; aliis verbis, prohibent ordinationem *per saltum*, praetermisso aliquo gradu inferiori ; et ideo qui non habet gradum inferiorem, non est idoneus ad superiorem recipiendum. Et licet eruditi (*n. 24*) censeant episcopatum fuisse aliquando licite et valide collatum sine praevio pres-

(1) Vide folium S. C. C. in *Salutiarum, Irregularitatis*, 13 *Julii* 1763, et in *Malacitana, Irregularitatis*, 15 *Jan.* 1785. In hac ultima causa dolus aperte adfuerat. Nam J. habebat germanam sororem natu majorem, et curavit ut in parochiali libro baptismatis, ementito charactere, ipse in locum sororis, soror vero in sui locum inscriberetur, adeo ut soror minor, ipse vero natu major appareret : atque ita falsa baptismatis fide ad ordines ante aetatem fuit promotus. Historia narrat celebrem Cardinalem Richelieu similem commisisse fraudem ut ad episcopatum impatienti ambitione perveniret.

(2) Barbosa, *De off. et pot. episc., all. XVI, n.* 22 *sequ.*, citans plures alios ; S. Alph., *V, n. 799.*

(3) Vide canonistas in titulo *De clerico per saltum promoto, XXIX, libri V Decret.*

byteratu, tamen plerique putant hanc sententiam certis argumentis non evinci. Illud certum est in primitiva ecclesia ordines minores non semper fuisse praesuppositos unum alteri et omnes subdiaconatui aliisque ordinibus majoribus ; nam non raro candidatus prima vice ordinabatur ostiarius, vel exorcista, vel praesertim lector aut acolythus, et deinde, post aliquod tempus in adimplendis hujusmodi officiis laudabiliter exactum, promovebatur vel ad superiorem ordinem minorem, vel immediate ad subdiaconatum qui numquam praetermittebatur, et postea ad diaconatum, etc. (1). Ad rem S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 2, *qu.* 5 : « In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant ; et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est quod ad majorem se non ingerat qui prius in minoribus officiis se non humiliavit ». Haec constitutio Ecclesiae usque ab antiquis temporibus lata est. Huc spectant, aliis juribus omissis, *can. un.*, *dist.* 52, in Decreto, ubi Alexander II reprehendit ordinationem cujusdam in diaconum et presbyterum, praetermisso subdiaconatu ; *can.* 4, *dist.* 59, ubi Zosimus Papa reprehendit consecrationem quorumdam in episcopos, aliis gradibus non receptis ; *cap. un., cit. tit.*, ubi Innocentius III agit de subdiacono ordinato in presbyterum, omisso diaconatu ; et tandem Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. II, XI, XIII, XIV, de ref.*, de quibus infra. Ipsum jus Romanum, *l.* 11, *ff.*, *De mun. et hon.*, praescribit : « Gradatim honores deferantur, et ut a minoribus ad majores perveniatur ». Ex his sequitur esse quoque ordinationem per saltum, si ordines conferantur, praetermissa tonsura, quia tonsura non est ordo, sed est primus gradus (2). Exemplum habes in *Aveiren.*, *Irregularitatis*, 30 *Jun.* 1804.

496. Si autem quaeras num ordinatio per saltum sit non

(1) Hallier, *p. II, sect. I, cap. I, art. II,* § *VI* ; Thomassinus, *Vet. et nov. Ecc. Disc., p. I, lib. I, cap. XXXV, n.* 2.

(2) Schmalz., *V, XXIX, n.* 10 ; Reiff., *n.* 6 ; Pirhing, *n.* 7 ; Barbosa, *De off. et pot. ep., Alleg. XLVII, n.* 7 ; Honorante, *cap. II, not. 1.*

solum graviter illicita, quod ex dictis patet, sed etiam invalida, respondemus ordinationem esse certe validam, si praescindamus a consecratione episcopali, praetermisso presbyteratu, de qua *n. 22 sequ.* Imo quoniam potestas diaconi continetur eminenter in potestate presbyteri, ordinatus in presbyterum, praetermisso diaconatu, potestatem ministerii habet eminenter, inclusam scilicet in potestate presbyterali, sine tamen charactere diaconali. Eadem repetas de ordinato in diaconum, praetermisso subdiaconatu, etc.; sed potestas subdiaconi, potestas acolythi, et ita de ceteris, licet una altera nobilior sit, tamen videntur distinctae inter se, nec inferior in superiori inclusa; de qua re in *cap. VI* rursus redibit sermo.

497. Quamquam vero ordo per saltum collatus validus sit et eminenter contineat ordinem praetermissum, tamen id non impedit quominus ordo praetermissus conferri possit. Imo Ecclesia numquam permittit ad superiores ordines ascendere, aut receptos ordines exercere, nisi prius ordo praetermissus receptus fuerit formaliter. Id patet ex juribus supra citatis; nam Alexander II, in *cit. can. un., dist.* 52, vult prius ordinem subdiaconatus esse conferendum, proximo legitimo tempore, et deinde exercitium in ordine presbyterali esse permittendum; et Innocentius III, in *cit. cap. un., De clerico per saltum promoto*, statuit post peractam poenitentiam ordinem diaconatus dandum esse, et postea episcopum posse permittere ministerium in ordine sacerdotii. Nimirum in casu character diaconalis in anima imprimitur, et potestas diaconalis quae jam in superiori ordine eminenter continebatur, formaliter datur cum gratia relativa. Multo magis ordo praetermissus conferendus est, si ordo per saltum collatus illum eminenter non continebat.

498. Sed quaenam sunt poenae, si ordo per saltum de facto collatus fuit? Episcopus ordinans neque jure Decretalium neque hodierno jure ullam contrahit poenam, licet per se graviter peccet. Ordinatus vero licite potest, et semper potuit etiam solemniter ministrare in ordinibus rite receptis ante ordinem praetermissum. At certe nequit ad ulteriores ordines promoveri ante receptionem ordinis praetermissi,

ut jam patet ex dictis, quia nova illa ordinatio foret et ipsa ordinatio per saltum (1). Insuper certe nequit solemniter ministrare in ordine praetermisso ; secus juxta communem sententiam contrahit irregularitatem, de qua *n. 349*. Praeterea nec potest solemniter ministrare in ordine per saltum recepto, antequam praetermissum recipiat, prouti patet ex *cit. can. un.*, *dist.* 52, *cit. cap. un.*, *De clerico per saltum promoto*, et ex Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XIV, de ref.*, ubi tribuit episcopis potestatem dispensandi *cum promotis per saltum, si non ministraverint*, et tandem ex ipsa rei natura (*n. 153*) (2). Nonnulli perperam in hoc viderunt irregularitatem (*n. 195*); si enim ordinationem per saltum quis recepit bona fide (3), est simplex prohibitio juxta regulam generalem *cit. n. 153* expositam. Sin vero mala fide, communis sententia est jure decretalium fuisse contra ordinatum *suspensionem* vel ferendae vel potius latae sententiae probabilius ab ordine male suscepto tantum (4). Haec suspensio non legitur in const. *Apostolicae Sedis* ; et licet Avanzini, in *comm. ejusd. const.*, putet hanc censuram adhuc manere, utpote a Conc. Trid. relatis verbis inflictam, tamen id non videtur verum ; quia Conc. Trid., *l. c.*, supponens ex jure existenti censuram, dat episcopo potestatem dispensandi, si ordinatus non ministraverit ; et ideo dici nequit Tridentinum hanc censuram directe tulisse. Ipse Thesaurus, *p. II, cap. XIII, v. Ordo*, quem citat Avanzini, hanc censuram repetit ex *cit. cap. un.*, *De clerico per saltum promoto*. Cum igitur haec censura nec relata sit in const. *Apostolicae Sedis*, nec

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXXI, sect. I, n.* 44 ; Pirhing, *V, XXIX, n.* 5, *Notandum tertio.*

(2) Schmalz., *V, XXIX, n.* 9 ; Suarez, *l. c., n.* 45 *sequ.*

(3) Exemplum est in *Perusina, Ordinationis*, 21 *Jun.* 1732 ; et in *Florentina, Ordinum*, 5 *Dec.* 1744, in quibus candidatus ad gradum inferiorem, per errorem appellatus ad gradum superiorem, accessit bona fide ipsumque recepit.

(4) Suarez, *l. c.* ; Navarrus, *XXVII, n.* 242 ; Schmalz., *l. c.* ; Pirhing, *n.* 5 ; Reiff., *n.* 4. Exemplum habes in *Visen., Dispensationis ab irregularitate*, 11 *Sept.* 1784, in qua J. in minoribus ordinibus constitutus, a militia redux, ementitis sui Ordinarii litteris dimissorialibus, absque patrimonii titulo, ac omisso subdiaconatu et diaconatu, presbyteratum suscepit ac pluries Missam celebravit.

sit directe lata a Conc. Trid., sequitur hodie non amplius vigere (1). Firma tamen remanet simplex prohibitio solemniter ministrandi in ordine per saltum recepto sive bona sive mala fide antequam gradus praetermissus obtentus sit, ex regula generali tradita in *cit. n. 153*. Sed si ordinatus nihilominus ministraverit, non contrahit amplius irregularitatem, quia suspensionem non violat, nec aliam poenam, licet graviter peccet. Igitur hodie neque in ordinatum poenae sunt.

499. Ex dictis apparet evidenter episcopum ab hac lege de ordinibus gradatim conferendis numquam posse dispensare, neque in inferioribus sacrae hierarchiae gradibus. R. P. ordinis minoris, aut subdiaconatus, aut diaconatus collationem per saltum licet numquam permittat, tamen permittere posset, quia sicut sacra hierarchia ordinis in gradibus infra diaconatum est institutionis ecclesiasticae, ita lex de his ordinibus gradatim dandis est tantum ecclesiastica. Sed multi dubitant de potestate ipsius R. P. non solum permittendi ordinationem episcopalem, praetermisso presbyteratu, sed etiam licite permittendi ordinationem episcopalem aut presbyteralem, praetermisso diaconatu ; nam, aiunt, Christus D. instituens sacram hierarchiam in primis tribus gradibus, videtur eo ipso voluisse, ut ad hos gradus successive ascendatur (2).

500. At sacri canones non solum praecipiunt ut ordines gradatim conferantur, sed etiam ut inter unum aliumque ordinem aliquod temporis spatium intercedat, quod venit nomine *interstitiorum*, ut declaravit S. C. C., 17 *Maii* 1591 ; licet aliquando *interstitia* appellari etiam soleant intervalla quae decurrunt inter tempora jure praescripta pro ordinationibus generalibus. Igitur etiam ille qui ordinem habet, ad altiorem non debet promoveri, nisi expleto statutorum interstitiorum curriculo. Hanc interstitiorum legem primus proposuisse videtur Osius in concilio Sardicensi, *can.* 10, quam omnes concilii Patres probarunt, sed arbitrio episcoporum

(1) D'Annibale, *I*, § 395, *not.* 7.

(2) Schmalz., *V, XXIX, n.* 15 ; Pirhing, *n.* 5 ; Suarez, *De censuris, Disp. XXXI, sect. I, n.* 4.

facultatem ab ea dispensandi remittendam censuerunt (1). Deinde Ecclesiae disciplina hac de re varia fuit in variis temporibus et locis, et nonnulli canones adeo severi fuerunt, ut ad presbyteratum nonnisi in extrema senectute perveniri posset (2). Hodie utimur jure Conc. Trid. *sess. XXIII, cap. XI, XIII, XIV de ref.*, quod, praeeunte S. C. C., breviter exponimus.

501. In *cit. cap. XI*, Conc. Trid. haec habet : « Minores ordines his qui saltem latinam linguam intelligant, *per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur*, conferantur ; ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinae pondus, possint edoceri ac in unoquoque munere juxta praescriptum episcopi sese exerceant, idque in ea cui adscripti erunt ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint ; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat ; quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros, et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero nonnisi *post annum* a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat ».

In *cit. cap. XIII* legitur : « Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die etiam regularibus conferantur ; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque ».

Tandem in *cit. cap. XIV* statuitur : « Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, et ii sint

(1) Ben. XIV, *Inst. Ecc. LVIII.*

(2) Hallier, *p. III, sect. VII, cap. I, art. VII per totum* ; Thomassinus, *tom. I, lib. II, cap. XXXV et XXXVI.*

qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, ministraverint, sed etiam etc. ».

Haec repetit Pontificale Romanum in rubrica generali *De ordinibus conferendis* ab initio.

502. Exinde apparet Conc. Trid. nil habere de interstitiis inter primam tonsuram et ostiariatum; sed cum praecipiat quatuor ordines minores esse per temporum interstitia conferendos, nisi aliud episcopo expedire magis videatur ex justa causa, sequitur primam tonsuram et quatuor minores ordines, aut etiam solos quatuor minores ordines unica vice non posse conferri. Errant igitur illi qui docent pro ordinibus minoribus nulla interstitia praescripta esse. Quia vero Tridentinum haec interstitia non determinat, hinc consuetudines particulares introductae sunt, quibus episcopus deferre potest, si velit, sed non tenetur. In genere intervallum conforme menti Conc. Trid. illud esset in quo aliquod doctrinae, aetatis ac meriti incrementum inter unam et aliam ordinationem in minoribus notari possit, e. g. intervallum ab una ordinatione *Quatuor temporum* ad aliam successivam item *Quatuor temporum* (1). Pro ecclesia Romana, in primis Innocentius XI, die 20 *Febr.* 1673, vivae vocis oraculo expresse prohibuerat et ordinaverat ne in posterum prima tonsura unica vice cum quatuor minoribus conferretur, sed dumtaxat prima tonsura cum duobus minoribus. Deinde Benedictus XIII, die 20 *Maii* 1725, mandavit ut de cetero in Urbe prima tonsura dumtaxat absque ullo alio ordine tam saecularibus quam regularibus eadem die conferri deberet sive in ordinationibus generalibus sive in particularibus (2). Revera etiam hodie haec praxis in Urbe servatur tam pro saecularibus quam pro regularibus, ut prima vice sola prima tonsura detur, deinde ordines minores conferantur bini; at Patres Societatis Jesu antiquum privilegium recipiendi eadem die primam tonsuram ac quatuor minores ordines rursus obtinuerunt, die 7 *Sept.* 1732 (3).

(1) Hallier, *l. c.*, § *VI*, *n.* 28.
(2) Honorante, *cap. I, not. VI.*
(3) Honorante, *l. c.*, *not. VII.*

503. E contrario interstitia inter acolythatum et subdiaconatum, inter diaconatum et presbyteratum Conc. Trid. determinat, exigens annum integrum ; expedit enim ut vocatio divina et probitas vitae ante has ordinationes in sacris maturiori experimento comprobetur (1). Porro hic annus sumitur in favorem ordinandi, ita ut non requiratur annus solaris, sed sufficiat ecclesiasticus, si solaris longior est, et viceversa. Hinc proposito dubio : « An annus duodecim mensium completus esse debeat, vel sufficiat lapsa esse quatuor interstitia, quae propter varietatem festorum mobilium occurrunt, quousque duodecimus mensis compleatur ». S. C. C. die 3 *Febr.* 1595 reposuit : « Attendendum esse censum quatuor dictorum interstitiorum, non autem tempus duodecim mensium completorum ». Hinc e. g. ordinatus acolythus in sabbato sancto poterit ordinari subdiaconus in sabbato *Sitientes* sequentis anni, si intra hoc temporis spatium completus effluxerit annus solaris, nec tenetur Pascha expectare (2) : item ordinatus acolythus in sabbato sancto poterit ordinari subdiaconus in sabbato sancto anni sequentis, etsi completus annus solaris nondum effluxerit.

504. A lege interstitiorum episcopus dispensare potest. Et quidem si agitur de interstitiis inter acolythatum et subdiaconatum, inter diaconatum et presbyteratum, episcopus dispensare tantum potest *ob necessitatem aut utilitatem ecclesiae*, idest si necessitas aut utilitas ecclesiae exigit hanc *celeriorem* candidati promotionem, ita ut possit dispensare propter solam utilitatem. Quamquam enim pro interstitiis inter diaconatum et presbyteratum Conc. Trid., *cit. sess. XXIII, cap. XIV, de ref.*, dicat hanc dispensationem non esse ab episcopo concedendam nisi ob *ecclesiae utilitatem* AC *necessitatem*, et ideo non pauci putent pro hac dispensatione requiri necessitatem (3), tamen S. C. C., die 3 *Maii* 1620, declaravit ea verba sumenda esse non copulative sed disjunctive. Ecclesia vero pro cujus necessi-

(1) Hallier, *l. c., n.* 26 ; Honorante, *cap. III, not. IV.*

(2) Schmalz., *I, XI, n.* 12 ; Pirhing, *n.* 88 ; Riganti, *in comm. Reg. XXIV Cancell. Ap.*, § *I, n.* 71.

(3) Honorante, *cap. V, not. II* ; S. Alph., *VI, n.* 793.

tate aut utilitate dispensatio concedi potest, juxta relata decreta Conc. Trid., est ecclesia cui ordinandus adscriptus est (1); sed quoniam haec adscriptio clericorum alicui peculiari ecclesiae usu recepta non est, de qua re alias, putamus nomine ecclesiae in casu venire dioecesim ad quam candidatus pertinet et in qua ministerium sacrum exercere debebit. Tandem Benedictus XIV, in *Inst. Ecc. LVIII*, ita hanc ecclesiae utilitatem aut necessitatem declarat : « Tum quidem necessitas intervenit cum peculiari ecclesiae ministri desunt, nec alii ordinibus praediti sufficere videntur ut eadem munera sustineant. Utilitas autem ostenditur cum in aliqua ecclesia parum idonei ministri versantur ; vel si de aliquo viro res agatur aetate jam matura et doctrinae laude praestanti, quae satis legitimae causae a superioribus judicantur. Utilitas pariter ex eo proficiscitur, si aliquis parochiam aut beneficium obtinuerit ea conditione ut infra annum, juxta decreta S. C., presbyteratum aut sacrum ordinem suscipere teneatur ». Gemina habet Honorante, *cap. III*, *not. IV*. Ex his apparet nostris diebus, clero ob luctuosas temporum circumstantias fere ubique deficiente, semper aut fere semper verificari hanc ecclesiae, idest dioecesis, utilitatem aut necessitatem. Ceterum candidatus semper praesumere debet dispensationem ab episcopo concessam esse legitimam.

505. Si vero agitur de interstitiis pro minoribus ordinibus inter se, aut de interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum, episcopus potestatem dispensandi habet pure et simpliciter etiam citra necessitatem aut utilitatem ecclesiae, cum Conc. Trid. dicat : *Nisi aliud episcopo expedire magis videretur, nisi aliud episcopo videatur*. At etiam pro hac dispensatione requiri justam causam arbitrio episcopi certissimum est ; et in genere gravior causa requiritur pro dispensatione ab interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum, quam pro dispensatione ab interstitiis pro ordinibus minoribus inter se, uti probat Honorante, *cap. IV*, *not. I*. Justitia autem seu sufficientia causae tam pro una quam pro alia dispensatione remittitur arbitrio et prudentiae epis-

(1) S. Alph., *l. c.*

copi ; e. g. quod parentes ordinandi optime de ecclesia meriti sunt, quod ordinandus deinde abesse debet causa studiorum, etc., possunt esse causae pro ipsa dispensatione ab interstitiis pro diaconatu. Si autem quaeras curnam Conc. Trid. dispensationem ab interstitiis inter acolythatum et subdiaconatum difficiliorem voluerit, quam dispensationem ab interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum, vel inter diaconatum et presbyteratum, respondet Honorante, *l. c.* : « Quia ministerium diaconatus his temporibus minori indiget probatione, cum jam in desuetudinem abierint canonicae leges in quibus multa diaconis committebantur quae valde exactam personae cujus fidei tradenda erant, cognitionem et experientiam requirebant ; et alias diaconatus nullam addit de novo obligationem aut vinculum sive castitatis servandae, sive officii divini recitandi, quod non trahat secum subdiaconatus ».

506. Sed quinam episcopus potest dispensare super interstitiis ? In genere potest dispensare solus episcopus dioecesis ad quam candidatus pertinet (*n. 80, 219, 245*) (1), quia hic solus episcopus potest judicare de necessitate vel utilitate ecclesiae, et praeterea ipse solus habet jurisdictionem in candidatum. Plures censent quemlibet episcopum proprium pro ordinatione, ideoque et episcopum meae familiaritatis, posse dispensare (2) ; quod non admittimus nisi beneficium conferendum candidato sit residentiale.

Hoc modo intelligimus responsionem S. C. C. quam refert Garcias, *l. c.*, *cap. V*, *n.* 87 : « S. C. censuit et declaravit quod licet episcopus possit ordinare familiarem suum triennalem, sibi alias non subjectum, et dare illi dimissorias ad ordinandum a quocumque, dispensare tamen non potest super interstitiis de quibus *cap. XIII* et *XIV*, nisi pro ecclesiae suae utilitate ». Episcopus autem alienus nequit interstitia remittere, nisi hanc potestatem ab episcopo proprio receperit. S. Carolus, in concilio Mediolanensi IV, *tit. Quæ*

(1) Schmalz., *l, XI, n.* 13 ; Navarrus, *Cons. XII, De temp. ordin.*
(2) S. Alph., *VI, n.* 775 ; Garcias, *De beneficiis, p. II. cap.* 14 ; Barbosa, *De off. et pot. ep., Alleg. IV, n.* 54 ; Salm., *De ordine, IV, n.* 53.

pertinent ad sacram ordinat., vult dispensationem esse exprimendam in litteris dimissoriis una cum dispensationis causa. S. C. C. in *Astoricensi*, 21 *Apr.* 1591, censuit, sede vacante, hanc episcopi proprii potestatem transire ad vicarium capitularem (1); sed in iis solum casibus in quibus licentiam ordines suscipiendi subditis dioecesanis dare potest, ut eadem S. C. declaravit etiam in *Acheruntina*, 26 *Apr.* 1602 (2). Eadem S. C. in *Neapolitana*, 3 *Apr.* 1593, et *Reatina*, 7 *Nov.* 1696, edixit, in absentia episcopi, et vicarium generalem cum mandato generali posse dispensare (3).

507. Haec de clericis saecularibus. Dubitatum fuit num decreta Conc. Trid. quae statuunt interstitia pro sacris ordinationibus, comprehendant etiam regulares; et S. C. C., apud Benedictum XIV, *l. c.*, respondit comprehendi. Hoc autem posito, eadem S.C., die 31 *Maii* 1597 censuit: « remissionem interstitiorum, etiam quoad regulares ex causis tantum a Concilio expressis faciendam, pertinere ad episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere, quoad causas, deferre judicio et attestationi superioris regularis ordinandi ». Hanc regulam confirmavit eadem S. C. die 1 *Julii* 1597, et die 12 *Sept.* 1609 (4). Haec applicanda sunt, etiam quoad ordines minores, subditis regularibus qui emiserunt professionem simplicem ante solemnem juxta praesentem disciplinam : ceteri autem professi votorum simplicium accensentur saecularibus, nisi specialibus gaudeant privilegiis. Tandem relate ad subditos abbatum, si abbas eos ordinat, potest etiam dispensare ab interstitiis; secus dispensat episcopus dioecesanus aut vicinior ex causis in decretis Tridentinis comprehensis, de quibus tamen debet judicium suum formare ex ipsius abbatis attestatione, ut declaravit S. C. C. in *Fanen.*, 6 *Julii* 1592, apud Giraldi, *l. c.*

(1) Giraldi, *p. II, sect.* 101.

(2) Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III, n.* 221, plures alios citans.

(3) Riganti, *l. c.*, § *I, n.* 74; Giraldi, *l. c.*; Barbosa, in *Conc. Trid., sess. XXIII, cap. XIII, n.* 7.

(4) Ben. XIV, *l. c.*; Giraldi, *l. c.*

508. At Conc. Trid., in relato *cap. XIII*, speciatim prohibet duos sacros ordines eadem die conferri etiam regularibus; quod repetit Pontificale Romanum in rubrica generali *De ordinibus conferendis* ab initio, et praeter alios jam tradiderat Innocentius III, in *cap.* 13, *De temp. ord.*, et Honorius III, in *cap.* 15 *ejusd. tit.* Innocentius III, *l. c.*, reprehendit ordinationem cujusdam qui praecedenti sabbato (vespere) in diaconum, et sequenti die dominico in presbyterum ordinatus fuit; reprehendit, inquam, quia mane cum vespere, seu vesper cum mane ad eumdum diem pertinere censetur fictione canonica (*n. 67*). E contrario in antiqua Ecclesiae disciplina receptum passim erat, ut subdiaconus qui ad presbyteratum destinabatur prius diaconatum et statim postea presbyteratum reciperet, prouti advertit Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *chap. X*, § 3, et supponunt Ordines Romani (*Alleg. V*), cum nonnisi septem diaconi proprie dicti in eadem ecclesia haberi possent (*n. 32*).

509. Proinde hodie, posita etiam dispensatione ab interstitiis et a temporibus ordinationum, episcopus numquam potest duos sacros ordines eadem die conferre, nisi id a Sede Apostolica expresse permissum fuerit (1). Si quis a Sede Apostolica obtinuit indultum *super interstitiis tantum*, episcopus non servat interstitia; sed servare debet tempora ordinationum, ut facile patet. Si obtinuit indultum *super temporibus tantum*, episcopus ordinationem habebit extra tempora; sed super interstitiis non cogitur dispensare, ut monet Innocentius XII in decreto relato *n. 71*; seu potest ab interstitiis dispensare vel non, juxta necessitatem vel utilitatem ecclesiae. Tandem si obtinuit indultum *super interstitiis et temporibus*, episcopus ordinabit extra tempora et sine interstitiis. At numquam potest plures ordines sacros eadem die conferre. Potest tamen, nisi aliud ex verbis indulti constet, conferre unum ordinem sacrum die sabbati, et alium die dominico. Obstare videtur theoria Inno-

(1) Nonnulla exempla harum dispensationum vide apud Riganti, *l. c.*, *n.* 75.

centii III in *cit. cap.* 13, *De temp. ord.*, quod nempe mane cum vespere, seu vesper cum mane ad eumdem diem ex fictione juris pertinere censetur, ideoque hic episcopus duos ordines eadem die conferret. Respondet Schmalz., *I, XI, n.* 16 : « Introducta a jure est (haec fictio) potius in favorem ut continuari ordinatio possit ab episcopo, quae in sabbato absolvi non poterat, quam in detrimentum, quale induceret respectu privilegiati, si is ob illam gaudere privilegio suo non posset. Quare nisi aliud jure sit constitutum (de quo mihi non constat), judico in tali casu attendendam non fictionem juris, sed rei veritatem ; est autem rei veritas quod sabbatum et dominica sint dies distincti ». His adde illam fictionem juris locum habuisse, quando Missa ordinationis celebrabatur vespere sabbati (*n. 57, 67*) ; sed hodie cum Missa ordinationis celebretur mane sabbati, theoria Innocentii III applicari amplius non potest. Hoc indultum super interstitiis et temporibus datur saepius cum clausula ut quis ordinari valeat *in tribus diebus festivis extra tempora* : qua episcopus potest ordines conferre tribus diebus festis continuis, sed potest etiam juxta suum arbitrium inter unum aliumque ordinem aliquod spatium servare, brevius tamen spatio inter tempora ordinationum (1).

510. Quaeritur utrum haec lex interstitiorum possit ex contraria consuetudine abrogari aut mitigari ? Sunt duae responsiones S. C. C., quas sine die et anno refert Fagnanus, in *comm. cap.* 3, *De temporibus ordinationum* in fine. Propositis enim dubiis : « 3° An ex consuetudine possit episcopus uno et eodem die ad minores ordines aliquos promovere ; 4° An ubi consueverit ordinatos ad quatuor minores ordines die veneris, et in die sabbati sequentis ad ordinem subdiaconatus promoveri, id sit licitum propter consuetudinem »; S. C. reposuit : « Ad 3^{um} praesupposita consuetudine posse ; Ad 4^{um} licere episcopo, si dies veneris sit dies festus, et si necessitas aut utilitas ecclesiae judicio episcopi id exposcat juxta decretum Concilii, *cap. XI, sess.*

(1) Giraldi, *l. c.*, cum Matthaeuccio, *Off. cur.*, *cap. XXXV. n.* 13, et Monacelli, *p. II, tom. IV, tit. XIII, n.* 38.

XXIII, non tamen in publicis ordinationibus, sed privatim et aliquibus praedictos minores ordines conferre ». Proinde in hoc altero casu consuetudo parum admodum praestat; nam etiam stante consuetudine, ordinatio licita non est nisi ex necessitate aut utilitate ecclesiae judicio episcopi. Imo Fagnanus, *l. c.*, *n.* 41, affirmat ex consuetudine licitum esse eodem quoque die dare ordines minores et subdiaconatum (1); quod intelligendum est infra limites praecedentis responsionis S. C. C. Ceterum ubi consuetudo non viget, id semper reprehendit S. C., nec umquam hanc facultatem concedit. Ita cum archiepiscopus Calaritanus supplicavisset pro facultate conferendi eadem die primam tonsuram, ordines minores et subdiaconatum, S. C., die 21 *Febr.* 1728, ejus preces non admisit. Tandem nemo umquam affirmavit eodem die duos ordines sacros posse ex consuetudine conferri.

511. Jure decretalium, si eodem die duo sacri ordines dati fuerant, episcopus ordinans suspensus erat a collatione utriusque ordinis, ordinatus vero ab exercitio ordinis ultimo recepti tantum. Ita Innocentius III in *cit. cap.* 13, *De temp. ord.*, licet doctores non conveniant utrum haec suspensio fuerit latae vel ferendae sententiae. Si eadem die dati fuerant ordines minores et subdiaconatus, in *cap.* 2, *De eo qui furtive ordines suscepit*, dicitur ordinatum multum excessisse, et non esse ei permittendum ministrare nisi in minoribus ordinibus; si vero domum religionis intraverit et vita et mores ejus exegerint, abbatem in aliis posse ordinibus dispensare. Communis opinio erat hunc ordinatum esse suspensum ab exercitio subdiaconatus tantum, et ordinantem, si scienter fecisset, a collatione subdiaconatus, licet et haec suspensio videretur ferendae sententiae. Nonnulli tradunt hunc ordinatum esse irregularem (2); et quod de stylo Poenitentiariae incurratur irregularitas testatur Pignatelli, *tom. I, cons.* 319, et Card. Petra, *tom. V, pag.* 266, *n.* 45 *circa finem*; sed haec irregularitas gratuito prorsus

(1) Schmalz., *I, XI, n.* 15; Pirhing, *n.* 83; Navarrus, *XXV, n.* 71; Riganti, *l. c., n.* 87.

(2) Thesaurus, *p. II, cap. XVI,* § 2, *v. Ordo.*

adstruitur, nulli innixa juri. Igitur cum in violantes interstitiorum legem, de qua huc usque, nulla poena statuatur nec in Conc. Trid. locis citatis, neque in const. *Apostolicae Sedis*, dicendum hodie ipsos committere grave peccatum, non vero poenas jure latas contrahere.

512. Tandem ex relatis decretis Conc. Trid. evidenter apparet haec inter singulos ordines temporum intervalla non esse otiose transeunda. Nimirum canones interstitia praescripserunt in primis ut ordinatus accuratius addiscat quantum sit hujus disciplinae pondus, idest gravitatem officii recepti et recipiendi, in recepto ordine sese exerceat juxta episcopi praescriptum, et in probitate vitae ac doctrina una cum annis continuo accrescat. Hoc modo probatus in minoribus ascendet de gradu in gradum ad majores ordines usque ad presbyteratum, aptus, quantum humana fragilitas sinit, ministerio altaris et animarum (1). Hinc ordinatus debet receptum ordinem tempore interstitiorum exercere antequam ad superiorem promoveatur, prouti tradit expresse Conc. Trid. in relatis decretis, licet hoc necessarium ordinis recepti exercitium ulterius non determinet. Necessaria est dispensatio Sedis Apostolicae ut ordinatus ad superiorem ordinem in distincta ordinatione promoveri valeat, quin ordinem receptum prius exercuerit : quo privilegio gaudent e. g. alumni Collegii Urbani de Prop. Fide in Urbe, ex Brevi Urbani VIII, *Ad uberes*, 18 *Maii* 1638 ; sed nova ordinatio sine exercitio ordinis recepti et sine apostolica dispensatione foret leviter tantum illicita (2).

513. Etiam in ecclesia Graeca (et similiter etiam in aliis orientalibus confessionibus) ordines gradatim conferuntur, servatis interstitiis. Scilicet prima die, praemissa tonsura clericali, confertur lectoratus et subdiaconatus, deinde distinctim conferuntur diaconatus, presbyteratus et episcopatus, observatis interstitiis pro ratione necessitatis longioribus vel brevioribus (3). Relate vero ad Graecos in Italia et

(1) Hallier, *l. c.*, § *VII*.
(2) S. Alph., *VI*, *n.* 801 ; Salm., *De ordine*, *cap. IV*, *n.* 74.
(3) Papp-Szilagyi, *Enchiridion Jur. Ecc. Orient. Cathol.*, *p. II*, § 12; Goar, *Rituale Graecorum*, *pag.* 235.

insulis adjacentibus commorantes, Benedictus XIV, in const. *Etsi pastoralis, sept. Kal. Jun.* 1742, ita statuit, § *VII*, *n.* 14: « Quamvis ex Ecclesiae disciplina, a Graecis olim recepta, promoti ad aliquem ordinem sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, qua lege Graeci seu Albanenses in Italia et insulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur ; nihilominus cum praedicti Graeci seu Albanenses Ordinarios suos quibus subjiciuntur, habeant Latinos a quibus tamquam alieni ritus sacris ordinibus initiari prohibentur ; ac proinde cum Romam vel in Calabriam, ubi sunt episcopi a S. Sede Apostolica ad ordinationes ritu Graeco exercendas deputati, repetitis vicibus non sine quamplurimis incommodis et expensis ad sacros ordines juxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos, eosdem Graecos seu Albanenses gratiis et favoribus prosequi, eorumque incommodis consulere volentes, de apostolicae plenitudine potestatis, praefatis episcopis Graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus, licentiam et facultatem impertimus ut Graecos seu Albanenses hujusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus sive majoribus ordinibus initiari cupiunt, ad omnes ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis qui initiantur, suorum respective Ordinariorum Latinorum licentia sive dispensatione.

» At cum illis Graecis seu Albanensibus qui domicilium habent seu alias commorantur in ea provincia in qua episcopus ritus Graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum alumnis et convictoribus ritus Graeci collegii Graeci Urbis et Italo-Albanensium in Calabria et Sicilia, si eorumdem collegiorum necessitas vel utilitas arbitrio S. R. E. Card. Administratoris et Protectoris praefati collegii Graecorum Urbis, et episcopi praesidentis seu rectoris utriusque collegii Italo-Albanensium praedicti res-

pective pro tempore existentium exegerit, ut praefati alumni et convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis non tamen continuis, ut praefertur, ad ordines promoveantur ; quo casu eos sic initiari posse plenam facultatem facimus atque concedimus ».

514. Haec respiciunt interstitiorum legem pro ordinationibus infra episcopatum. Sed etiam pro episcopali consecratione interstitia a Conc. Trid. praescripta sunt. Nam in *sess. XXII, cap. II, de ref.*, statuit : « Quicumque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate, moribus et vita ac aliis quae a sacris canonibus requiruntur plene sit praeditus, verum etiam in *sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus* ». Hoc Tridentinum decretum declaratum postea fuit a Gregorio XIV, in const. *Onus*, 15 *Maii* 1591, ubi, inter alia, praecipit episcopum, saltem ante sex menses, debere esse initiatum *sacris ordinibus*. Ex qua plurali locutione sequi videtur neminem posse consecrationem episcopalem recipere nisi post sex menses a recepto presbyteratu (1).

5° — *Vinculum matrimoniale* (2).

515. Clerici in Ecclesia adstringuntur obligatione caelibatus, qui proinde appellatur *ecclesiasticus*. Rationes gravissimas quibus innititur haec lex quae mere ecclesiastica est, vide in nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 578*. Porro haec lex, dum clericos obligat ad continentiam, ex una parte prohibet ne ipsimet clerici nuptias ineant, et hoc fuse nos exposuimus in cit. nostro *Tractatu, n. 581 sequ.*; ex alia autem parte efficit ut Ecclesia pro clericali statu praeferat caelibes, juxta exemplum Christi D., qui caelebs fuit, et exemplum Apostolorum qui, excepto S. Petro, uxorem, probabilius non habuerunt, cum caelibes aptiores sint ad continentiam

(1) Giraldi, *II, sect. 74* ; Barbosa, in *cit. loc. Conc. Trid.*

(2) Vide canonistas in tit. *De clericis conjugatis, III*, et in tit. *De conversione conjugatorum, XXXII, Lib. III Decret.*, et in tit. *Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt, VI, Lib. IV Decret.*

servandam ; uxoratos autem non admittat, nisi servatis nonnullis conditionibus. Hoc modo declarandum est, utrum scilicet et quatenus uxorati ad ordines admitti valeant (1).

516. Primis temporibus Ecclesia coacta est clericos vel ad ipsum episcopatum assumere ex viris conjugatis probatae vitae, exclusis tamen bigamis, cum caelibes bonis moribus imbuti inter Judaeos et Paganos deficerent. Hinc S. Paulus, in 1ª *ad Tim.*, *III*, 2 *et* 4, episcopi qualitates describens, supponit episcopum habere uxorem et liberos : *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Horum clericorum uxores, virorum de causa, appellatas fuisse *episcopas*, *presbyteras*, *diaconas* vel *diaconissas*, *hypodiaconas*, jam adnotavimus *n. 127.*

517. At vero ad exemplum S. Petri qui uxorem, quam antea duxerat, post vocationem non retinuit neque ea usus est, Ecclesia usque ab initio, sive in Oriente sive in Occidente, maritos qui in diaconos, presbyteros ac episcopos ordinabantur, obligatos voluit ad continentiam. ne illis quidem exceptis qui, morali facta violentia, ad ordines rapiebantur (2). Haec lex ab initio consuetudinaria, circa saeculum IV canonibus scriptis firmata fuit. Nonnulli negant hanc legem extitisse in Ecclesia Orientali ; sed testimonia S. Epiphanii et S. Hieronymi formalia sunt (3), quae refert etiam instructio S. C. de Prop. Fide ad *Archiepiscopum provinciae ecclesiasticae Fogarasiensis et Alba-Juliensis*, 24 *Martii* 1858, his verbis : « Epiphanius siquidem vir sanctitate et doctrina insignis, quique Orientalis Ecclesiae disciplinam optime norat, in *Expositione catholicae fidei*, *n.* 21, conceptis verbis affirmat : *Sacerdotium ex virginum ordine praecipue constare ; aut si minus... ex his qui a suis uxoribus conti-*

(1) Confer pro parte historica Thomassinum, *p. I, lib. II, cap. LX segu.* ; Phillips, *I*, § 63 *sequ.* ; Esmein, *Le mariage en droit canonique*, *pag.* 282 *sequ.*

(2) Phillips, *I*, § 64 ; Thomassinus, *l. c.*, *cap. LXI*, *n.* 6 ; S. Augustinus, *De adult. conjug.*, *lib. II*, *cap. ult.*

(3) Thomassinus, *l. c.*, *cap. LX*, *n.* 2 *sequ.*

nent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Principio enim, prout loquitur Hieronymus, quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, ad sacerdotium aliqui etiam assumebantur qui jam matrimonio juncti fuerant, sed vel in viduitate continentes, vel vitam ita degebant quasi uxores non haberent. Unde idem Epiphanius, *Haeresi* 59, diserte fatetur quemadmodum *sancta Dei praedicatio in diaconum, presbyterum, episcopum et hypodiaconum non suscipit unius uxoris virum liberos adhuc gignentem, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, maxime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici.* Neque contraria alicujus ecclesiae particularis consuetudo seu inobservantia quidquam obstat, dum sermo instituitur de disciplina Ecclesiae Orientalis ; etenim apposite idem Epiphanius prosequitur : *At dices mihi : omnino in quibusdam locis liberos adhuc gignere presbyteros, diaconos et hypodiaconos : at hoc non est juxta canonem, sed juxta mentem hominum.* Quapropter ambigi nequit quin Epiphanii tempore clerici ab hypodiacono ad episcopum caelibatum vel continentiam colerent. Quod aptissime firmari etiam potest testimonio Hieronymi qui ob diuturnam in Oriente commorationem, illius Ecclesiae mores ac disciplinam perfectissime noverat. Porro S. Doctor Vigilantio, clericali continentiae infensissimo, praeter alia argumenta, factum opponit universalis Ecclesiae : *Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Egypti et Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt ? Haec denique universalis Ecclesiae traditio, ii mores erant ubi purior disciplina vigebat* ». Eusebius Caesariensis, in *Demonstratione evangelica, IX, IX*, idem repetit de « doctoribus ac praedicatoribus verbi divini », et de illis « qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati ».

518. Gravem difficultatem facessere videtur factum Paphnutii in concilio Nicaeno. Paphnutius erat episcopus in superiore Thebaide, a puero in monasterio educatus, muliebris congressus penitus expers et ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus, miraculis clarus, cui etiam in

persecutione propter fidei confessionem oculus effossus fuerat. Jam vero Socrates, *Hist. Ecc.*, *I*, *XI*, narrat: « Visum erat episcopis (in concilio Nicaeno) *novam legem* in Ecclesiam inducere ut quicumque in sacrum ordinem allecti essent, idest episcopi, presbyteri et diaconi, ab uxorum quas, cum laici essent, matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent. Cumque hac re in medium proposita, singulorum sententiae rogarentur, surgens in medio episcoporum Paphnutius vehementer vociferatus est non esse imponendum clericis et sacerdotibus grave hoc jugum ;.. satis esse ut qui in clerum fuissent adscripti, *juxta veterem Ecclesiae traditionem*, jam non amplius uxores ducerent, non tamen quemquam sejungendum esse ab ea quam ante hac tunc cum esset laicus, legitime duxisset... Universus sacerdotum coetus Paphnutii sermonibus assensus est et singulorum arbitrio permissum ut ab uxorum consuetudine abstinerent, si vellent... ». Gemina prorsus habet Sozomenus, *Hist. Ecc.*, *I*, 23. Paphnutius igitur affirmavit hanc legem numquam extitisse, assentientibus Patribus concilii Nicaeni, ejusque verba saltem de Ecclesia Orientali intelligi debent. Thomassinus, *l. c.*, *n.* 15, ad hanc difficultatem solvendam respondet: « Socratis et Sozomeni, quibus auctoribus haec circumferuntur, non tantum esse auctoritatis pondus ut in re tanta, si quid soli dixerint, fidem extorqueant. Vera res fortasse fuerit quae refertur, et in eo tantum aberravit Socrates, quod adjecit de suo. Potuit enim in Ecclesia Orientali ea fuisse tempore concilii Nicaeni incontinentium presbyterorum diaconorumque multitudo, ut sapientissimis praesulibus satius visum fuerit dissimulare immedicabile malum, quam resecando asperare... Ubi vero Socrates dicit *antiqua Ecclesiae traditione* superioribus clericis solum prohiberi ne matrimonium ineant, non autem iniți usum interdici, jam ad Eusebium, ad Epiphanium, ad Hieronymum appello, viros veterum Ecclesiae consuetudinum Socrate longe peritiores. Hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium, quod in ore numquam Paphnutius habuit. Potuit tum cum concilio Paphnutius, et sequentibus saeculis potuit cum eo Ecclesia Graeca tota judicare tolerandum

id malum potius, quam aut Ecclesiam schismatis, aut ejusmodi clericos periculo objicere incontinentiae gravioris. Illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuisse et degenerem consuetudinem, qua prisci violarentur canones, et Ecclesiae purior atque sancita ab Apostolis disciplina turparetur ».

519. Instituto subdiaconatu, lex continentiae quae superiores clericos afficiebat, etiam ad subdiaconos extensa fuit, sed non sine magna disciplinae varietate pro diversis locis et temporibus. Ex Patribus supra citatis S. Epiphanius expresse affirmat et subdiaconos debuisse a conjugali commercio abstinere ; S. Hieronymus nominat tantum episcopos, presbyteros et diaconos ; Eusebius Caesariensis obscurus est. Concilium Eliberitanum (an. 300 circiter), *can.* 33 *et* 65, statuit subdiaconos lege continentiae teneri ; sed Siricius et Innocentius I Romani Pontifices eorum libertati favent. S. Leo M. primus omnium Pontificum eos legi continentiae submittit, *epist.* 84, *cap.* 4 : « Nec subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur, ut qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine qui a capite quartus est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel secundo, vel tertio servandum, etc. ». Sed haec constitutio in usum statim recepta non fuit. Thomassinus, *l. c.*, *cap. LXI*, *n.* 13, concludit : « Ex quo illud emicat locis temporibusque illis subdiaconos continere jussos ubi ministerio altaris aliquo fungebantur ; ubi nullas hujusmodi partes sacri ministerii sustinebant, nulla hujusmodi necessitate arctatos fuisse. Hinc profecto illa circa subdiaconos tanta varietas, etc. ».

520. Clerici autem minores videntur passim exempti a lege continentiae ita ut possent nuptias inire, et uxores antea ductas retinere, quin deciderent e statu clericali. Attamen hic illic non defuerunt leges et consuetudines particulares, quae etiam hos clericos in minoribus ordinibus constitutos ad continentiam adstringerent. Concilium Carthaginense V *can.* 3, et concilium generale Chalcedonense (an. 451) *can.* 14, volunt ut ii sequantur suarum ecclesiarum leges ac mores.

Haec summis labiis de disciplina Ecclesiae circa rem nostram in primis quinque saeculis.

521. Ex dictis apparet in Ecclesia Orientali ad ipsos sacros ordines subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus brevi admissos fuisse etiam uxoratos, retinentes uxorem eaque utentes post ordinationem. Ad rem cit. instructio S. C. de Prop. Fide : « Quae erat tempore Epiphanii inobservantia, seu laxa alicujus ecclesiae particularis consuetudo, ita tractu temporis radices agere ac propagari coepit, ut totam pene Orientalem Ecclesiam pervaserit, et invalescente consuetudine, quod tantum cantoribus lectoribusque permissum erat, etiam presbyteris tributum fuit aliisque clericis in sacris constitutis, ut nimirum cum uxoribus quas ante sacram ordinationem duxerant, consuescerent ». Tandem id licere sancitum est in *can.* 13 concilii Trullani, qui a Sede Apostolica toleratus, sed numquam approbatus fuit. Hujus Graecorum disciplinae meminit etiam Innocentius III in *cap.* 6, *De clericis conjugatis*, quin eam reprobet.

522. At ad episcopatum uxoratus, uxorem retinens, ne in Orientali quidem Ecclesia promoveri umquam potuit aut potest : quod etiam Trullana synodus, *l. c.*, expresse cavet. Id ita declarat cit. instructio S. C. de Prop. Fide : « Putant quidam Graecorum et nimis confidenter asserunt episcopos in Oriente sponte sua, non aliqua lege adstrictos servasse continentiam, quam dicunt primo in Trullana synodo fuisse sancitam. Ast praeter clarissima Patrum testimonia, vel ipse Justinianus qui longe ante Trullanos canones leges disposuit, quique profitetur se esse priorum canonum executorem, non semel inculcat ut episcopi vel ex ordine eligantur monachorum, vel ex clero quidem, sed ii qui neque filios, neque uxorem habeant, aut illi saltem non cohaereant. Eadem insuper viget disciplina apud sectas orientales quae vel ante Justiniani tempora ab unitate defecerant ; omnes quippe in eo conveniunt ut episcopi eligantur caelibes ». Ut igitur in Ecclesia Orientali conjugatus consecrationem episcopalem obtinere licite valeat, ea servanda sunt quae pro Ecclesia Occidentali infra exponemus.

523. E contrario in Ecclesia Occidentali disciplina rigi-

dior potius evasit. Nos non possumus heic describere omnes illius vicissitudines : sed tandem res huc devenerunt. Sarctum tectumque servatum est, ut si quando Ecclesia per exceptionem uxoratos ad ordines hierarchicos admittendos judicaret, ii deberent omnino ab uxoribus abstinere : subdiaconi autem fuerunt superioribus clericis hac in re in omnibus assimilati. Imo statutum est ut uxorati, retinentes uxorem, nec ad primam tonsuram et minores ordines possent promoveri, licet clerici in minoribus ordinibus constituti valerent, decidentes a statu clericali, nuptias licite et valide inire (1). Hinc Alexander III, in *cap.* 3, *De clericis conjugatis*, proclamat generale principium : « Simul voluptatibus et carnalibus desideriis ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant (clerici) » ; quod Innocentius III, in *cap.* 5 *ejusd. tit.*, repetit graphicis illis verbis : « Cithara cum psalterio male concordat ». Et Bonifacius VIII, in *cap. ult.*, *De temp. ordin.*, in 6°, prohibet tonsuram conferri conjugato « nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri, prout est sacris canonibus institutum » ; licet in *cap. un.*, *De clericis conjugatis*, *in* 6°, concedat clericis nuptias ineuntibus privilegia clericalia sub nonnullis conditionibus. Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. VI*, *de ref.*, confirmat *cit. cap. un.*, *De clericis conjugatis*, *in* 6°, aliquid addens ; et insuper in *cap. XVII* sinit in uno casu uxoratos ad minores ordines assumi posse retinentes uxorem eaque utentes. Volens enim functiones sacrorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum in usum, juxta sacros canones, revocare, decernit ut in posterum hujusmodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur. « Quod si, addit, ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possunt etiam conjugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ». Sed haec exceptio usu recepta

(1) Pirhing, *I, XI, n.* 20 ; Reiff., *III, III, n.* 33 *sequ.* ; Sanchez, *De matr.*, *VII, XXXVIII, n.* 6 ; Fagnanus, in *comm. cap.* 5, *De conv. conjug., n.* 8 *sequ.*

non est, et hodie ministeria minorum ordinum a laicis etiam exercentur sine ullo fidelium scandalo, nec uxorati retinentes uxorem eaque utentes ad ullum gradum hierarchiae ordinis promoventur.

524. Cum igitur clericus in Ecclesia Occidentali debeat juxta dicta continentiam servare, nil mirum si canones, licet non prohibeant absolute uxoratum promoveri, tamen nonnulla sapientissime constituerint servanda in illius promotione ad primam tonsuram, ut scilicet et jus conjugale uxoris non laedatur, et simul consulatur tum bono animarum uxoris et viri qui rei matrimoniali assueti difficilius continere se poterunt, tum aedificationi fidelium. Ad rem Joannes XXII, in *extrav. un.*, *De voto et voti redemptione* : « Auctoritate Apostolica districtius inhibetur, ne quisquam, durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris ordinibus praesumat suscipere, *nisi prout sacris canonibus noverit convenire* ». Modo videamus has canonum dispositiones.

525. Soluto quacumque demum de causa matrimonio quoad vinculum, vir proprie loquendo non est amplius *conjugatus* ; et per se promoveri potest non solum ad primam tonsuram et ordines, sed ad ipsam episcopalem consecrationem ; quod Ecclesiae praxis confirmat, et Joannes XXII verbis mox relatis aperte insinuat. Excipe si vir aliquo impedimento detinetur, aut cura filiorum aliave justa causa ipsum a ministerio sacro removeat, aut ratione aetatis et aliarum circumstantiarum sit judicio episcopi suspectus de incontinentia. Nostrum est de conjugato agere, idest de viro qui vinculo matrimoniali valido detinetur.

526. In primis ut conjugatus promoveri valeat, requiritur de regula generali *uxoris consensus*, quo ipsa renuntiet exercitio juris conjugalis, atque ita per viri continentiam ejus jura non laedantur. Id patet ex canonibus, quos infra citamus ; ii enim requirunt consensum uxoris et aliquid amplius. Igitur episcopus proprius antequam conjugatum promoveat, interroget vel interrogare faciat uxorem ; nam per se foret graviter illicita tum ordinanti tum ordinato promotio, contradicente uxore aut consentiente solum ob metum

gravem aut ignorante ; imo ex dicendis patebit nec sufficere, quod conscia uxor non contradicat.

527. Diximus uxoris consensum requiri de *regula generali* ; nam hic praevius consensus non est necessarius si uxor prolapsa est in adulterium formale, culpabile, consummatum et certum sententia judicis vel publice notum notorietate facti ; nisi malitia adulterii etiam marito ex parte tribuenda sit, aut maritus uxori adulterium condonaverit expresse vel tacite, aut et ipse maritus adulterium commiserit (1). Sane hoc peccato uxor jus petendi in perpetuum amisit, et ideo ex parte uxoris utcumque contradicentis nil obstat quominus maritus, abdicatis desideriis et voluptatibus carnalibus, vacet divinis et ecclesiasticis obsequiis. At in primis si conjuges matrimonium civile iniverunt, et auctoritas civilis separationem corporum ex causa adulterii non pronuntiavit, prudentia suadet ne maritus promoveatur, quia uxor posset ipsum, etiam manu militari, ad vitam conjugalem civiliter cogere. Praescindendo etiam ab hoc, videndum num maritus sit aliunde impeditus, aut saltem ratione actatis vel aliarum circumstantiarum sit suspectus de incontinentia ; in quo ultimo casu promoveri potest tantum, si religionem ingrediatur et solemniter profiteatur, ex *cap.* 5, *De conv. conjug.* Tandem episcopus considerare debet num hujus viri promotio scandalo esset fidelibus ; quod, attentis nostris moribus, certe adesset.

528. Juxta nonnullos auctores nec est necessarius uxoris consensus, si maritus divortium semiplenum obtinuit ex sententia judicis ecclesiastici ob uxoris adulterium spirituale, nempe apostasiam, haeresim aut schisma (2). At praeter ea quae *n. praec.* adnotavimus, animadverti potest, certissimum esse in casu maritum posse religionem ingredi et solemniter profiteri, quin uxor, ad fidem rediens, jus habeat illum ad vitam conjugalem revocandi ; id inquam, certissimum est ex *cap. ult., De conversione conjugatorum*, et ex *cap.* 6, *De divortiis*. At si maritus velit in saeculo rema-

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 1113.
(2) Feje, *De disp. matr., n.* 509.

nere, nonnulli quidem censent ipsum non teneri conjugem conversam recipere, ex *cap.* 9, *De divortiis*, et ex *cap. ult.*, *De haereticis* (1) ; quo posito, consensus uxoris non foret necessarius pro viri promotione. At communis sententia est maritum debere conversam conjugem recipere, ex *cap.* 7, *De divortiis* (2) ; et consequenter sine uxoris consensu videtur maritus promoveri non posse.

529. Quid vero si vir sine uxoris consensu promotus fuit? Si uxor de nolente fiat volens et modo consentiat, aliaeque canonum praescriptiones quas infra exponemus, serventur, vir poterit in susceptis ordinibus ministrare et altiores etiam recipere (3). Uxore in suo dissensu persistente, Joannes XXII in *cit. extrav. un.*, *De voto et voti redemptione*, distinguit inter casum quo matrimonium est consummatum, et casum quo matrimonium est ratum tantum.

Si matrimonium est consummatum, ex una parte uxor potest virum repetere, qui redire ad ipsam debet, etiamsi esset Papa, juxta Glossam in *can.* 9, *dist.* 79, in Decreto, *v. non apostolicus* (4). Si est in minoribus constitutus, potest petere et reddere, et habetur, tamquam laicus, incapax ad beneficia ecclesiastica obtinenda, nec gaudens privilegiis clericalibus, nisi in casibus *cit. cap. un.*, *De clericis conjugatis*, *in* 6°. Si vero ordinem sacrum recepit, reddere potest et debet, sed non potest petere, ex *cap.* 3, *De conv. conjugatorum* ; item prohibetur in suscepto ordine solemniter ministrare, ad altiores promoveri, aut aliquod beneficium vel officium ecclesiasticum obtinere. In casu bonae fidei haec prohibitio erat simplex prohibitio ex ipsa lege quae vetat conjugatum sine consensu uxoris ad ordines promoveri ; nam haec lex eo ipso vetat taliter promotum in suscepto ordine solemniter ministrare, beneficium aut officium ecclesiasticum assequi, vivente uxore (*n. 153*), sive conjugatus promotus fuerit bona sive mala fide. In casu autem malae fidei haec prohibitio habebat etiam rationem poenae

(1) Sanchez, *De matr.*, *X*, *XV*, *n.* 19.
(2) Engel, *IV*, *XIX*, *n.* 21.
(3) Fagn., *l. c.*, *n.* 18.
(4) Fagnanus, in *comm. cap.* 5, *De conv. conjugatorum*, *n.* 15.

suspensionis, quia perdurabat, soluto quoque matrimonio, ut expresse tradit Joannes XXII, *l. c.* Hodie poena suspensionis suppressa est, cum non legatur in const. *Apostolicae Sedis*, ideoque in omni casu est simplex prohibitio, licet in casu malae fidei promotus graviter peccaverit; quae prohibitio cessat, soluto matrimonio, nec secumfert irregularitatem, si ordinatus, graviter peccans, in ordine suscepto, vivente uxore, solemniter ministraverit (1).

Si vero matrimonium est ratum tantum, episcopus, ex *cit. extrav. un.*, instanter moneat et inducat ordinatum, praesertim si est in sacris constitutus, ad religionem solemniter profitendam : quo facto vinculum matrimoniale solvitur et vetitum, de quo supra, cessat. Quod si forsan, addit Joannes XXII, vir renuerit adimplere, episcopus, si uxor institerit, ipsum compellet per censuram ecclesiasticam contractum matrimonium consummare : quo in casu ea quae supra diximus repetenda sunt. At juxta praesentem disciplinam aliud etiam foret remedium ; scilicet si vir est in sacris, matrimonium probatur non fuisse consummatum et mulier instat, vir potest petere a Sede Apostolica dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

530. At non sufficit juxta sacrorum canonum dispositiones uxoris consensus pro mariti promotione ; sequentes enim regulae prae oculis habendae sunt :

531. 1° Si uxor consentit quidem ordinationi viri, sed ipsa renuit sive religionem cum votis solemnibus ingredi et profiteri, sive votum perpetuae castitatis in congregatione religiosa aut in saeculo emittere, vir, si matrimonium est consummatum, numquam promoveri potest. Id traditur expresse in *cap.* 6, *De conv. conjug.* : « Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus ». Quamquam vero in hoc canone Alexander III agat de conjugis promotione ad ordines sacros, tamen prohibitio intelligenda est etiam de minoribus ordinibus et ipsa prima tonsura, ut notat Glossa, *l. c.*, *v. ad sacros*, et patet ex dictis *n. 523*. Dixi-

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXXI, sect. 1, n.* 54 *sequ.*

mus *si matrimonium est consummatum*, quia si est ratum tantum, vir religionem solemniter professus posset ordinari, utpote solutus a vinculo matrimoniali : insuper dispensatio a vinculo matrimoniali peti posset a Sede Apostolica.

532. 2° Si maritus est juvenis, aut est quidem aetate provectus seu senex, sed ob alias circumstantias est suspectus de incontinentia, numquam promoveri potest, nisi prius religionem cum votis solemnibus professus fuerit : uxor vero (si matrimonium est consummatum) si ratione aetatis aut aliarum circumstantiarum est suspecta de incontinentia, debet et ipsa religionem ingredi et solemniter profiteri ; secus satis est si voto simplici perpetuae castitatis in congregatione religiosa aut etiam in saeculo sese obstringat : de qua re fusius canonistae agentes de regularibus. Id traditur in *can.* 6, *dist.* 77, in Decreto : « Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est ut, sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur ». Quamquam enim Glossa, *l. c.*, *v. sequestrato* et *v. religione*, hunc canonem intelligat de solo voto castitatis ab utroque conjuge in saeculo emisso, tamen sensus obvius est uxoris voluntatem esse requirendam, ita ut, dissoluta communione vitae, uxor religionem profiteatur, et tunc vir, postquam et ipse conversus pariter fuerit ad religionem, ordinetur. Hinc S. C. C., in *Veronensi*, 18 *Dec.* 1728, non permisit uxorem XXIV annorum vota solemnia religiosa nuncupare, et virum XL annorum ad ordines in saeculo promoveri : « propterea quod existimatum non fuerit, ait Benedictus XIV, *De syn.*, *XIII*, *XII*, *n.* 14, virum qui a florente, quam agit, aetate ad voluptatem allicitur, per susceptos in saeculo sacros ordines dici posse ab incontinentiae periculo prorsus abesse, atque adeo opportunis cautionibus, praesidiisque munitum, qualis evaderet, si se in monasterium abderet, ibique religiosam emitteret professionem. Haud tamen diffitemur, quin aliqua afferri possint exempla episcoporum qui nuptae mulieri facultatem fecerint se dicandi Deo in monasterio, dum vir sacerdotio inter saeculares initiaretur,

licet is haud grandiorem, sed virentem ageret aetatem. Hoc autem ideo fortasse factum, quod perspectissima fuerit viri probitas certoque praecognitum, quantum quidem humana conditio patitur, fore ut sacris ordinibus obstrictus illibatam castitatem servaret ; quod potissimum intendunt sanctiones canonum jubentium virum aetate florentem religionem ingredi, quoties uxor inter moniales ad religiosam vitam ducendam se recipit ». Deinde sapientissimus Pontifex addit hos episcopos non satis tuto egisse longeque rectius fuisse facturos, si, ubi peculiares facti circumstantiae id suadere viderentur, oratores monuissent, ut opportunam a Sede Apostolica dispensationem implorarent, cum nulla de hoc extet pontificia dispositio ordinationem in casu permittens.

533. Si autem quaeratur quandonam vir (aut mulier) dicatur juvenis, vel potius senex aut aetate provectus, respondemus id remitti prudenti judicio episcopi. Ad rem folium S. C. C. in *Florentina* seu *Volaterrana*, 28 *Aug.* 1830: « Senectus non est annorum numero computata, et jure cautum non habetur quot anni exigantur ad senectutem, ut conjuges in saeculo manentes a quovis libidinis periculo et incontinentiae suspicione sint immunes, ideoque senectutem a valetudine, a viribus, ab anteactae vitae consuetudine, potius quam ab annorum dumtaxat numero, patet esse aestimandam. Fagnanus, in *cap. Cum sit, De conv. conjug. n.* 17 ; S. C. C. in *Barcinonen.*, 28 *Sept.* 1765. § *Juristae. Senectus enim*, inquit Cajetanus, in 2. 2, *q.* 147, *art.* 4, *ad* 1^um^, *non est evidenter omnibus una, sicut aetas augmenti ; quoniam aetas augmenti determinatur ab ortu, qui certus est* ; *aetas vero senectutis a naturali occasu qui incertus est. Sunt enim quidam sexagenarii ita fortes, ut alii quadragenarii, et unus altero habet multo plures circulationes coelestes* ». Exempla desumpta ex thesauro S. C. C. habes infra, praeter exemplum in *Veronensi*, quam *n. praec.* citavimus. Attamen tum pro hoc primo casu, tum pro casibus subsequentibus illud notandum est, nempe S. C. C. aut episcopum, admittentes conjugati ordinationem, posse parti vel partibus in saeculo manentibus nonnullas condi-

tiones imponere quibus observantia continentiae et fidelium aedificatio magis magisque caveatur, sive jure praevisas, e. g. ut simul non habitent in eadem domo, sive jure non praevisas, e. g. ut uxor quae votum castitatis emisit, habitet, durante vita mariti, in domo religiosa, quin professionem faciat.

534. Votum simplex castitatis perpetuae emissum ab uxore, viro sacrum ordinem suscipiente, irritare matrimonium quod uxor, defuncto viro, attentaverit sine dispensatione, vide in cit. nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 575*.

535. 3° Si ex una parte vir provectus aetate est, nec ratione aliarum circumstantiarum est de incontinentia suspectus, et ex alia uxor parata est religionem cum votis solemnibus profiteri, vir promoveri potest in saeculo remanens, etsi matrimonium fuerit consummatum. Id patet ex *rel. cap.* 6, *De conv. conjug.*, collato cum *rel. can.* 6, *dist.* 77 ; ex quibus juribus deducitur prius uxorem debere professionem emittere, et deinde virum ordinari. Idem eruitur etiam ex *cap.* 4, *De conv. conjug.*, ubi Alexander III tradit posse conjugem ad religionem transire, altero in saeculo remanente et castitatem profitente, si senex est. Hoc autem posito, « ambigi jure nequit, ait Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 13, quod in hac... facti specie possit vir, si velit, ad sacrum ordinem, indeque ad sacerdotalem gradum in saeculo conscendere ; si enim lex ipsi in tali casu indulget ut simplici castitatis voto illigatus in saeculo permaneat, cumulatior legem implet, si sacris ordinibus initietur, cum castitatis votum sacris ordinibus adnexum solemne sit et habeatur... »

536. 4° Tandem vir in saeculo permanens, promoveri etiam potest ad omnes ordines infra episcopatum, licet matrimonium fuerit consummatum, si uterque conjux ab incontinentiae suspicione immunis est ratione provectae aetatis aliarumque circumstantiarum, et uxor renuit quidem religionem solemniter profiteri, sed parata est votum simplex perpetuae castitatis in congregatione religiosa aut in saeculo emittere. De hoc casu folium S. C. C. in *cit. Florentina* seu *Volaterrana*, 28 *Aug.* 1830, haec habet : « Utrum..

viro licitum sit sacris se initiari ordinibus et in saeculo manere, quando ejus uxor paratam quidem se exhibeat perpetuae castitatis voto se devincire, sed in monasterio Deo se devovere abnuat, vehemens inter doctores fervet quaestio, quemadmodum videre est apud Sanchez, *De matrim., lib. VII, disp. XXXIX*; Gonzalez, in *comm. ad caput Sane, De conv. conjug.*, et S. C. in *cit. Veronensi*, § *At vero*. Attamen *verior ac tutior*, scribit Fagnanus in *cap. Conjugatus, De conv. conjug., n.* 10, *sententia est, si mulier sit senex et non suspecta de incontinentia, sufficere votum simplex castitatis in saeculo*; *sin autem sit suspecta de incontinentia, aut sit juvenis, sive sit suspecta sive non, desiderari solemnem professionem.* Atque huic quoque sententiae adhaesisse videtur S. Thomas, in *4, dist.* 37, *q.* 1, *a.* 2 *ad.* 2, scribens : *Uxorem de cujus licentia vir ordinem sacrum suscepit, teneri perpetuam continentiam vovere, non tamen teneri religionem ingredi, si sibi non timeat de incontinentiae periculo* ». Stante vero hac controversia, nec non et pluribus difficultatibus circa verificationem circumstantiarum requisitarum in hypothesi, tutius est ut casus deferantur ad S. C. C., quae aliquando preces respuit, aliquando admittit, nonnullis additis clausulis. Ita in *Parisiensi*, 6 *Maii* 1645, S. C. reposuit : « Si Sanctissimo Dno placuerit, dispensationem petitam suscipiendi ordines sacros de consensu uxoris concedendam esse Joanni de Moheron in forma tamen commissaria, verificatis aetate ipsius sexaginta duorum annorum, et aetate uxoris quinquaginta octo annorum, quodque ipsa emiserit votum solemne castitatis in manu Archiepiscopi Parisiensis, et quod ex attestatione ejusdem in dicta uxore cesset omnis incontinentiae suspicio, et ipse sit benemeritus Sedis Apostolicae ab servitium praestitum S. C. de Prop. Fide » (*lib.* 17 *Decr., pag.* 171) (1). In *Constantiensi*, 31 *Maii* 1766, rogata : « An et quomodo praevia Apostolica dispensatione ab irregularitate (*functus erat vir officio judicis criminalis*) sit con-

(1) Folium S. C. C. in *Barcinonensi*, 28 *Sept.* 1663, ubi fuse de hac materia.

cedendum Carolo Dominico Jutz (*annos septuaginta jam nato*) ut ascendere possit ad sacros ordines in casu »; S. C. censuit: « Consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate et pro facultate in casu de quo agitur ascendendi ad sacros ordines, emisso per Rosam (*in anno quinquagesimo constitutam*) voto perpetuae continentiae, nec non permanentiae usque ad obitum viri in aliqua religiosa domo sub approbatione Eminentissimi Archiepiscopi ». In saepius *cit. Florentina* seu *Volaterrana*, 28 *Aug.* 1830, conjuges liberis quos ex legitimo habuerant matrimonio, orbati, perfectionis viam agressi, votum castitatis perpetuae in curia Florentina emiserunt; deinde vir, peractis theologicis studiis, recepit ab episcopo Volaterrano primam tonsuram et minores ordines, assentiente uxore, nullo impetrato Summi Pontificis beneplacito. In anno quinquagesimo octavo constitutus (uxore annum quinquagesimum secundum agente) vir, indubia vocationis signa praebens et vitam viro ecclesiastico dignam agens, facultatem petiit a S. C. C. ascendendi ad sacros ordines; quae rescripsit: « Affirmative, dummodo habitent in separatis domibus, et renovato per mulierem consensu et voto castitatis, antequam orator ad sacros ordines promoveatur, per breve facultativum ». Tandem Benedictus XIV, *De syn., XIII, XII, n.* 16, refert se facultatem tribuisse spectato viro Ulyssiponensi, licet aetate non admodum provecto, conscendendi ad sacros ordines, dummodo uxor simplex castitatis votum nuncuparet, postquam tamen se in aliquod monasterium recepisset cavissetque idonee se professionem emissuram, cum primam congruam dotem monasterio persolvendam fuisset consecutura.

537. Imo non desunt canones qui in nostra hypothesi permittunt etiam uxori castitatem professae cohabitare cum viro ad ordines jam promoto. « Volumus, inquit *can.* 24, *dist.* 81, in Decreto, ut sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, excepta dumtaxat matre, sorore, vel uxore quae caste regenda est ». Glossa, *l. c., v. vel uxore*, sibi objicit hoc esse contrarium *cit. can.* 6, *dist.* 77, qui praecipit juvenes conjugatos non esse ad ordines

promovendos, nisi uterque conjux solemnem professionem religiosam emittat, et respondet : « Sed hoc de senibus, illud de suspectis. Vel loquitur secundum antiqua tempora ». Revera Thomassinus, *l. c.*, *cap. XLI*, *n.* 1, refert primis Ecclesiae saeculis episcopos, presbyteros et diaconos uxorem quam ante ordinationem duxerant, secum passim retinuisse in eadem domo, in qua tamen sua singulis et diversa erant conclavia, addens : « Ea porro erat sacerdotum integritas, religio, gravitas, ea vis legis ecclesiasticae, quae clericorum famam et continentiam adversus calumnias omnes et tentationes munitissimam tutissimamque haberet ». At haec nostris diebus non amplius verificantur, et haec cohabitatio clerico magnum periculum, et fidelibus gravissimum scandalum profecto praeberet. Hinc S. C. C. eamdem numquam permittit, ut satis patet ex dictis ; et clarius in *Lucana*, 18 *Julii* 1793. Vir enim habebat LXX annos, uxor LXIV et ab omni incontinentiae suspicione uterque immunis erat. Vir petebat ad ordines promoveri, et uxor parata erat ad emittendum votum simplex continentiae extra claustra ut posset indigentiis corporalibus senis mariti praesto esse sub eodem tecto. S. C. reposuit non expedire ut orator ad sacros ordines ascenderet.

538. Nonnumquam S. C. admisit etiam virum ordinari in casu nostro, uxore nomen dante Tertiariis S. Augustini, aut alterius Ordinis, loco voti perpetuae castitatis. Ita in *Panormitana*, 20 *Maii* 1752. Ambo conjuges annos LXVII attingebant, filium habebant matrimonio copulatum, et optimis moribus imbuti a quindecim annis castitatem servabant simul habitantes in propria ac ampla domo una cum filio. Vir optabat ad sacerdotium ascendere ; uxor autem licet ad id consensum ultro praeberet, tamen ad id tantummodo, et vix adduci poterat ut Tertiariis S. Augustini aliisve nomen daret (1). Proposito dubio : « An sit locus dispensationi in casu »; S. C. reposuit : « Affirmative, dummodo habitent in separatis domibus ». Hanc responsionem confirmavit litteris in forma Brevis datis, 13 *Sept. ejusd. anni*

(1) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 16.

Benedictus XIV, qui, *l. c.*, addit : « Tunc autem necessaria habita fuit dispensatiò propterea quod decretali *Conjugatus*, *De conv. conjug.*, cautum legatur : *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus* ; relata autem verba *continentiam profitente* minime congruere visa sint Tertiariarum instituto, quod uxor amplecti cupiebat ».

539. Diximus autem in hoc ultimo casu virum juxta meliorem sententiam promoveri posse *ad ordines infra episcopatum*. Ut enim maritus consecrationem episcopalem recipere valeat, necesse omnino est ut uxor, utcumque vetula et ab incontinentiae suspicione immunis, religionem solemniter profiteatur. Ad rem Alexander III, in *cit. cap.* 6, *De conv. conjug.* : « Auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum praesumatis in episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat ». Ubi Glossa, *v. sacrum* : « Sed quid si esset vetula ? Numquid sufficit si continentiam profiteatur ? Respondeo : non sufficit, nisi convertatur, et est speciale in uxore episcopi, etc. ».

6° — *Militia saecularis ac servitus* (1).

540. De personis addictis militiae saeculari ac servituti nos sub eodem agimus numero, quia omnes libertate carent quae clericis necessaria est, earumque conditio, licet alia et alia de causa, statum clericalem dedecet.

541. 1° Militem, dum actu militiae servit, non posse ad ordines promoveri traditur in *can.* 2 *et* 5, *dist.* 51 ; *et can. un.*, *dist.* 53, in Decreto. Ratio est quia vita militaris cum clericali vita conciliari non potest, et ideo, *can.* 82 inter Apostolicos, decernitur ut deponatur episcopus, presbyter et diaconus qui militiae vacaverint, et utrumque officium, ecclesiasticum scilicet et militare, retinere voluerint. Derelictis autem stipendiis, per se nil prohibet quominus miles promoveatur. *Per se*, inquam ; nam aliud potest adesse

(1) Vide canonistas in tit. *De servis non ordinandis et eorum manumissione, XVII, Lib. I Decret.*

impedimentum, et nominatim irregularitas ex homicidio, de qua *n. 448 sequ.* Episcopus autem antequam virum qui stipendiis saecularibus militavit, ad primam tonsuram aut ordines admittat, speciali prudentia et inquisitione opus habet; nam ipse pravos mores et clerico indignos facile contrahere potuit.

542. Nostris diebus militare servitium fere ubique locorum est pro omnibus obligatorium, ne illis quidem exceptis qui a Deo vocati altaris ministerio se dicare exoptant, aut religionem profiteri. Haec lex est injusta: sed ea posita, enixe adnitendum ut qui divinam vocationem ad statum clericalem aut religiosum habebant, ab illa non distrahantur, et simul speciales cautelae adhibendae sunt in admissione illorum qui servitium militare peregerunt aut peracturi sunt, ad ordines vel ad religiosam professionem. Opportunum igitur erit heic referre normas quas Sedes Apostolica hac de re indicavit; quae licet Italiam tantum respiciant, tamen omnium regionum Ordinariis ac superioribus regularibus tanquam prudentialis regula inservire possunt, et ideo eas in Latinam linguam versas subijcimus.

543. In primis S. C. S. Officii, statim ac lex servitii militaris ad clericos in Italia extensa fuit, sequentem omnibus Italiae Ordinariis dedit instructionem: « Suprema Congtio S. Officii..... opportunum duxit Rmis Ordinariis dioecesum Italiae indicare nonnullas normas, cautelas, aut praescriptiones pro diversis casibus, quae sequentibus articulis continentur:

» I. Illis alumnis ecclesiasticis qui infeliciter ad primam militum categoriam pertinent, neque spem habent fore ut ceu inhabiles excludantur a militia, neque ex defectu subsidiorum ut stipendiis voluntariis unius anni mancipentur, promotio ad sacros ordines necesse est ut differatur quousque defungantur militari servitio trium vel quinque annorum, ac praeviis indubiis vocationis atque idoneitatis argumentis.

» II. Nec videtur expedire ut in casibus peculiaribus ceu gratia postuletur dilatio usque ad annum XXVI ad subeundum servitium militare voluntarium unius anni ante trien-

nale, sicut fit pro juvenibus a lege consideratis in *art. VII* usque ad *IX*, eo fine ut compleantur studia et sacri ordines recipiantur; nam, etiamsi hae postulationes admitterentur, ex eis sequi possent effectus perniciosi et irreparabiles Ecclesiae atque ipsis personis, si fieret ut intra militiae tempus vocationem amitterent et depravarentur.

» III. Utilius videtur favere voluntario servitio militari unius anni. Ad hunc autem scopum Rmi Episcopi curabunt ut in suis dioecesibus promoveatur pia quaedam associatio cleri et laicatus catholici, seipsis praesidentibus, ex cujus largitionibus aut totaliter aut partialiter pro alumnorum conditione persolvatur taxa a gubernio exacta atque etiam in decursu voluntariae militiae iisdem subveniatur.

» IV. Hujusmodi beneficium impertiendum esset iis dumtaxat alumnis qui ob perspectam indolem atque anteriorem vitae rationem maximam spem faciunt quod perseveraturi sint in vocatione, non obstante anno militaris vitae, et deinceps in ecclesiastico statu sint prosecuturi; cum aliter fieri possit ut foveatur negligentia et impendatur inutiliter liberalis largitio in eos qui refugiunt a servitio militari triennali et deinde, completo anno servitii voluntarii, recedunt a statu ecclesiastico, vocationis defectum adducendo.

» V. Alumni qui ob physica vitia obnoxii sunt exclusioni a militari vita, poterunt promoveri ad Ordines Sacros etiam inter biennium in quo possunt vocari ad aliud tribunal pro militum delectu (*consiglio di leva*), si vitium physicum ejusmodi sit ut praecedens judicium inhabilitatis ad militiam certo non sit immutandum.

» VI. Firmae tamen remanent praescriptiones SS. Canonum pro illis qui praeseferunt vitia physica irregularitatem inducentia, propter quae in singulis casibus impetranda est dispensatio Pontificis.

» VII. Majores cautelae requiruntur pro minoribus clericis qui coacti sunt stipendia militiae facere trium aut quinque annorum quique deinde ad resumendum statum ecclesiasticum veniunt.

» Criteria pro ipsorum admissione esse poterunt:

» *a*) Vocatio ad statum ecclesiasticum satis antea comprobata ;

» *b*) Vitae ratio in decursu militiae ab ipsis habita ;

» *c*) Firmum propositum resumendi statum ecclesiasticum statim ac ipsis redeundum sit domum.

» VIII. Sed ut habeatur moralis certitudo circa bonas dispositiones ab iis juvenibus clericis custoditas in decursu militiae et inter pericula praesidiorum, Rmi Episcopi non parcent zelo atque industriae operosae, utentes omnibus adjumentis aptis, nisi ad superandas, saltem ad minuendas difficultates occurrentes : quorum inter multa haec suggeruntur :

» *a*) In juvenibus qui proficiscuntur cum proposito perseverandi in vocatione, praeter salubria monita spiritum ecclesiasticum conservandi per eam, quae possibilis sit, frequentiam religiosae observantiae et lectionem librorum ecclesiasticorum, non excluso libro de imitatione Christi, auctore A Kempis, imponenda esset obligatio, si necesse est, etiam per epistolam, certiorem semper faciendi proprium Episcopum de iis locis ubi in praesidiis futuri sint, ut ita commendentur vigilantiae, charitati et consiliis Ordinarii localis et ab ipso habeantur opportunae notitiae, per concursum alicujus boni ecclesiastici aut etiam laici, inter eos speciatim qui sint adscripti piae associationi contributionis pro taxa militiae voluntariae annualis de qua in *art. III.* Hujusmodi tutela videtur necessaria ac summe proficua ; et Rmi Episcopi non aegre ferre deberent ad hoc reciprocum officium se paratos praebere.

» *b*) Illi de quibus habitae fuerint notitiae bonae, redeuntes poterunt rursus adscribi statui clericali, sed non tam facile ordinibus sacris initiari. Prius enim exquirendae essent probationes sufficientes eorum vocationis per commorationem unius anni vel amplius in aliquo convictu ecclesiastico aut seminario, seorsim tamen ab alumnis ; atque ubi talia loca deessent, deberent subjici directioni et vigilantiae activae alicujus pii, docti et discreti sacerdotis, ut in eis reviviscat spiritus ecclesiasticus, et emendentur ii defectus quos, quidquid dici velit, valde difficile est ut in decursu militiae ipsi non contraxerint.

» *c*) Tandem major vel minor necessitas ministrorum deberet esset ratio plus minusve faciliorem ipsis reddendi promotionem ad sacros ordines, ne exponantur uncti Christi ad resumendum militare servitium plus minusve activum juxta diversas militiae categorias in casu belli et ad subeundos etiam perniciosos ejus effectus.

» IX. Iisdem de causis non minores cautelae requiruntur pro collatione beneficiorum, idest canonicatuum ecclesiae cathedralis, ac praesertim theologalis, et poenitentiarii et beneficiorum parochialium. Ex hisce postremis, excepto casu absolutae necessitatis, deberet assumi de regula collatio inter eos tantum qui exempti sunt ab omni militari servitio ob transactum XXXIX annum aetatis.

» X. Hoc ut facilius consequi possint, utile ac laudabile esset quod Rmi Episcopi omni zelo studerent promovendis vocationibus juvenum adultorum ab omni periculo subeundi militare servitium immunium, eos educando ad sacrum sanctuarii ministerium seorsim ab alumnis aut alio modo quem idoneum censebunt felici exitui.

» XI. Si autem necessitas cogeret conferre paroecias aut alia ecclesiastica officia iis sacerdotibus qui, etsi antea defuncti servitio militari juxta proprias categorias, sunt tamen per legem obnoxii ad redeundum in castra in casu belli, erit prudentiae Rmorum Episcoporum uti cautelis in collationibus; declarando in similibus casibus provisum amovibilem, aut saltem curando ut ipse acceptet conditionem libere relinquendi portionem redituum et proventuum beneficii parochialis juxta prudens Episcopi proprii arbitrium in favorem ejus qui interim deberet eorum vicibus fungi.

» XII. Eadem conditio deberet exigi in provisione praebendarum theologalis et poenitentiarii.

» XIII. Cum causa mensium aut aliorum titulorum provisio reservabitur S. Sedi, expediet etiam ut Rmi Episcopi in commendatitiis quas concedent, expressam mentionem faciant de concurrentium conditione, utrum scilicet obnoxii adhuc sint legi militari necne.

» XIV. Iidem modi vigilantiae notati in *artic. VIII*, adhibendi essent pro ecclesiasticis de quibus in *lit. a*, *b*,

artic. XI, quoties, occurente bello, militare cogerentur; statim autem ac a militia reversi sint, expediet ut aliquandiu recedant ad sacra exercitia peragenda, antequam resumant sacrum ministerium, ut spiritus ecclesiasticus in ipsis reviviscat.

» XV. In casibus superius consideratis Rmi Episcopi poterunt dispensare a lege residentiae parochos aut alios praebendatos qui ex suo officio ea essent adstricti ; sicut etiam clericos aut sacerdotes ab ea irregularitate quam forte militando contraxerint.

» XVI. Occurrentibus casibus cum extraordinariis atque impraevisis circumstantiis, erit prudentiae Rmorum Episcoporum recurrere ad S. Sedem ad habendas analogas instructiones.

» Romae die 16 *Septembris* 1875.

» C. Card. Patrizi ».

544. Recenter S. C. super disciplina regulari, speciatim pro alumnis regularium institutorum, hanc aliam instructionem promulgavit : « S. C. super disciplina regulari semper intenta bono institutorum regularium, nequit juvenes qui in illorum spem succrescunt, negligere : hinc auctoritate Summi Pontificis confirmat apostolicas constitutiones decursu temporum promulgatas pro eorum ordinario regimine, et Superioribus Generalibus, pro eorum subditis conscriptioni militari addictis, sequentes speciales praescriptiones impartitur :

» I. His qui pertinent ad primam categoriam et nequeunt esse certi de exclusione a servitio militari, professio solemnis et admissio ad ordines sacros debent retardari usque dum compleverint respectivum servitium activum unius anni aut aliud temporis necessarii.

» II. Utile est favere servitio voluntario unius anni, etiam subsidium concedendo juvenibus pauperibus aut integrum aut partiale, juxta facultates quas unusquisque Ordinum habere potest, ut ipsi valeant persolvere taxam requisitam a gubernio et providere aliis expensis in decursu militiae ; hoc tamen subsidium concedendum est tantum juvenibus bonae spei, docilibus et obedientibus.

» III. Expedit ut priusquam inchoent servitium voluntarium aut aliquod servitium militare majus, vacent exercitiis spiritualibus saltem per decem dies, atque jam expleverint partem studiorum theologicorum (praemisso cursu regulari studiorum), quo magis in ideis religiosis atque in religiosa institutione sint fundati.

» IV. Ut juvenes facilius conservent vocationem eidemque moribus vitae respondeant, praeter salutaria monita, possibilem sacramentorum frequentiam, et lectionem bonorum librorum, injungatur eis ut se conferant ad viros ecclesiasticos designatos ab Ordinariis locorum ad eorum spiritualem institutionem ; hi autem in utilitatem conscriptorum non recusent meliori, quo fieri potest, modo, pro varietate circumstantiarum, operam suam ultro conferre.

» Ut autem hoc facilius fiat, Superiores Generales praecipient Provincialibus ut suorum subditorum notitiam exhibeant dictis Ordinariis, indicando locum eorum stationis et commendando eos ipsorum vigilantiae. Ordinarii autem vicissim indicabunt Provincialibus sacerdotes ad quos se conferre debent juvenes conscripti.

» In omni mutatione stationum juvenes debent exhibere analogas notitias Provinciali et referre, quoad fieri potest, de ratione suae vitae.

» Si in decursu servitii militaris obtinent aliquam hebdomadam vacationis ab eo, debent peragere, saltem per triduum, spiritualia exercitia. Supervacaneum autem esset dicere quod in civitatibus ubi adsunt domus ejusdem religionis, Provinciales possunt deputare aliquem suorum religiosorum ad curam spiritualem horum conscriptorum : sed semper firma remanet obligatio certiorem faciendi Ordinarium de loco quo in ejus dioecesi juvenes pergunt ad servitium militare peragendum.

» V. Qui, expleto servitio militari unius anni aut longioris temporis, perseverant in sancta vocatione, si hoc constet ex recta vitae ratione ab ipsis servata, recipientur in Ordinem ; in quo imprimis exercitiis spiritualibus vacabunt, nec promovebuntur ad professionem solemnem aut ad ordines sacros nisi post tempus sufficiens, non brevius uno anno, ut

interim specimen praebeant perseverantiae in vocatione, resumant studia sacra et, remanentes per hoc tempus aut in professorio aut in alio loco strictae observantiae sub directione religiosi gravis aetate ac moribus ad id deputati, argumenta exhibeant suae virtutis.

» Summa cautela adhibenda erit pro iis qui, loco servitii voluntarii unius anni, expleverint servitium ordinarium longioris temporis.

» Pro omnibus necessariae erunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum territorio saltem per tres menses commorati fuerint. Et semper firmae remanent praescriptiones sacrorum canonum pro illis qui praeseferunt defectus inducentes irregularitatem, ob quos in singulis casibus imploranda est pontificia dispensatio.

» VI. Normae circa cautelam servandam indicatae in *num. IV* observabuntur etiam pro illis qui post professionem et ordines sacros revocati fuerint ad militare servitium ad tempus notabile.

» VII. Tandem occurrentibus casibus extraordinariis atque impraevisis, Superiores Generales Ordinum recurrent huic Sacrae Congregationi ad habendas analogas instructiones et derogationes.

» Romae, 27 *Novembris* 1892.

« I. Card. Verga, *Praefectus*.

« Joseph, Arch. Caes. Ponti, *a secretis* ».

545. 2° Plures distingui servorum classes, explicavimus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 635*, scilicet *servos servitute proprie dicta*, *servos glebae addictos sive adscriptitios sive originarios*, *famulos conductitios* et *servos poenae*. Heic sermo est de primis et alteris tantum relate ad ordinationem ; nam famuli conductitii per se nullo modo prohibentur a statu clericali, et servi poenae, idest damnati ad carcerem perpetuum aut triremes, arcentur sive ob ipsam in carcere reclusionem, sive ob infamiam ; de qua alias diximus.

546. Licet Ecclesia servitutem proprie dictam, qualis vigebat apud Romanos juri naturali aperte repugnans, num-

quam probaverit, tamen, ne ordo publicus tunc existens susdeque verteretur et privatorum bonum enormem pateretur jacturam, Ecclesia hanc servitutem uno momento non prohibuit, et ideo aliquam ejusdem rationem habere debuit in sua disciplina, talia principia simul proclamans, quibus humana dignitas in servis restauraretur et servitus reduceretur ad perpetuum et necessarium famulatum, donec sensim sine sensu evanesceret in nationibus civilibus et spiritu christiano informatis (1). Hinc cum ex una parte conditio servilis repugnaret omnino dignitati et muneribus status clericalis, et ex alia Ecclesia nollet, servos ordinando, eosdem et invitis dominis subducere et libertate donare, prohibuit servos ordinari, nisi prius manumitterentur a domino, aut dominus consentiret expresse vel tacite ordinationi ; quo servus eo ipso liber evadebat. Id traditur in omnibus fere capitibus citati tituli, et pluribus canonibus in Decreto Gratiani. Imo, Alexandro III teste in *cap.* 5, *cit. tit.*, episcopus consecrator in consecratione episcopali dicebat consecrando : « Vide ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere præsumas ». Haec prohibitio erat positiva et prudentialis, ut satis patet ex dictis, cum servitus jure naturae non existat et in libertatem vocaverit omnes nos Dominus. Hinc R. P. qui legibus Ecclesiae positivis non subest, potuisset stricto jure aliquem ordinare liberumque declarare etiam contra domini voluntatem.

Gregorius IX, in *cap. ult.*, *cit. tit.*, rescribit natum ex patre servo et matre libera liberum esse, et ideo posse ordinari.

547. Quid vero si servus non manumissus, nesciente aut contradicente domino, fuisset ordinatus? Berardi, *Comm. in jus can. un., tom. IV, p. II, diss. IV, cap. IV*, respondet : « Non eadem ubique et perpetuo disciplina viguit. Siquidem in Italia, temporibus Gelasii Papae, discrimen erat inter servum sacerdotio insignitum, et servum in ordinem diaconorum ablectum, et servum in inferioribus ordinibus initiatum. Si de sacerdotio ageretur, restituebatur peculium domino, retento servo inter clericos, sive in collegio clerico-

(1) De Angelis, *I, XVIII, n.* 2.

rum, tanquam persona semel Deo dicata : si de diaconatu, praeter peculium, domino dari debebat vicarius, atque, hoc deficiente, diaconus ipse restitui : si de inferioribus ordinibus, rejecto ordinato à clericali coetu, incolumia erant dominis jura universa, *can.* 9, 10 et 11, *dist.* 54. In Gallia, ordinato servo aut in presbyterorum aut in diaconorum gradu, duplum domino luebatur ab ordinante, quoties ordinans conscius fuisset conditionis ordinati ; secus duplum pendebatur domino ab iis qui servum ab episcopo ordinari petiissent, *can.* 19, *dist.* 54 ; quamquam deinde in *capitulari* Ludovici Pii, an. 816, *can.* 6, statutum fuerit ut ordinati suis dominis restituerentur, quod legimus in *Capitularium lib. I, cap.* 82, et *lib.* 5, *cap.* 210, et sub nomine concilii Toletani in *can.* 6, *dist.* 54, et in *cap.* 2, *De servis non ordinandis.* Ubi viguit jus Justinianeum, quod praesertim usuveniebat apud Graecos, recipiebatur in primis ut si servus, sciente et non contradicente domino, ordinaretur, eo ipso et libertatem et ingenuitatem acquireret, recasurus tamen in potestatem domini, si ecclesiastica ministeria deseruisset et ad vitam saecularem transiisset ; deinde ut servus, ignorante domino, ordinatus repeti posset a domino, dummodo hic intra annum servilem ordinati conditionem suamque dominicam in ordinatum potestatem demonstraret..; denique ut si de servis ageretur ad episcopatum promotis, tunc ordinati eo ipso ab omni dominica potestate eximerentur, eadem ratione qua filiusfamilias ordinatus episcopus patriam potestatem evadit, *Novel.* 81, *cap.* 3 et *Novel.* 123, *cap.* 4..... In decretalibus Gregorii IX, quae generalem saeculi XIII disciplinam stabilivisse videntur, res ita definita est ut perpetuo quidem prohiberetur episcopis, ne servus invitis aut insciis dominis ordinaretur, *cap.* 1, 5, et 8, *De serv. non ord.* ; quoties vero ageretur de servis contra canones ordinatis vel restituendis vel non restituendis, distingueretur, an ageretur de ordinibus majoribus et sacris, an de minoribus et minus sacris, adeo ut in prima specie non restituerentur dominis, restituerentur in altera, *cap.* 13, *v. Praeterea, Qui filii sint legit.* ». Attamen etiam jure decretalium vigebat Gelasiana dispositio, ut scilicet loco servi

ordinati in presbyterum daretur domino pretium, et si id erat impossibile, ordinatus quod poterat, praestabat domino etiam in spiritualibus officiis, sed numquam redibat in servitutem; loco servi ordinati in diaconum daretur servus vicarius vel pretium, et si utrumque erat impossibile, ordinatus restitueretur. Cum vero temporibus Innocentii III subdiaconatus inter sacros ordines certe receptus fuisset, hinc laudatus Pontifex, in *cap.* 7, *De servis non ordinandis*, respondet privilegium diaconorum applicandum esse etiam subdiaconis. Ceterum servi ordinati redeuntes in servitutem non poterant ministerium sacrum exercere; et etiam non redeuntes, si mala fide ordinandos se curaverant, poterant suspendi, ex *can.* 11, *dist.* 54.

548. Porro dominus consentiens ordinationi servi sui et ita eum libertate donans poterat nonnullas conditiones honestas et cum statu clericali compossibiles apponere; e. g., ut uni potius quam alteri ecclesiae ordinatus ab episcopo addiceretur; ut a designata ecclesia, invito domino, non avocaretur, *can.* 10, *dist.* 54, *cap.* 6, *cit. tit.*; ut ordinatus quaedam clericalia officia ipso domino praestaret, etc. In *cap.* 4, *cit. tit.*, statuitur esse degradandum presbyterum ex domini consensu taliter ordinatum, qui postea in superbiam elatus domino suo canonicas horas psallere noluerit. At si dominus ordinationi tacite vel expresse consentiens nullas apposuisset conditiones, nihil exigere poterat, et ordinatus non tam libertatem quam ingenuitatem ordinatione acquirere censebatur, ex *Novel.* 123, *cap.* 17.

549. Sicuti servi servitute proprie dicta, ita nec servi *glebae addicti* seu *adscriptitii* eorumque filii, qui *originarii* appellabantur, ordinari poterant. Quamquam enim absolute loquendo essent homines liberi, tamen cum a cultura agrorum sine consensu domini eos manumittentis recedere non valerent, eorum conditio repugnabat statui clericali (1). Nihilominus Justinianus, *Novel.* 123, *cap.* 17, constituit ut possent quidem ii servi etiam praeter voluntatem domini promoveri, dummodo agriculturam sibi a domino impositam

(1) Pirhing, *I, XVIII, n.* 8; Schmalz., *n.* 2.

adhuc implerent, subrogato aliquo, quem maluerint (1). Haec quoque species servitutis, in populis nordicis usque ad nostra tempora servata, omnino evanuit.

7° — *Negotia saecularia et ratiocinia reddenda* (2).

550. Quaenam negotia *saecularia* in jure canonico appellentur et prohibeantur clericis, non est hic fusius exponendi locus, et videri potest apud sacrorum canonum expositores, in *tit. Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis sese immisceant, L, lib. III Decret.* Obligatus autem ad ratiocinia (rationes) reddenda dicitur ille qui gestae administrationis alienae pecuniae seu publicae seu privatae rationem reddere debet.

551. Jam vero in *cap. un., De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non*, refertur *canon* 8 concilii Carthaginensis *an.* 348. Magnus, episcopus Astiagensis, quaesivit num « procuratores, actores, executores seu curatores pupillorum debeant ordinari. Gratus episcopus dixit: *Si post deposita onera et reddita ratiocinia, actus vitae ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei (si postulati fuerint) honore munerari : si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* Universi dixerunt: *Recte statuit Sanctitas vestra ideoque ita est nostra sententia* ». Huc spectant quoque *can.* 1, *dist.* 53, in Decreto, qui est Gregorii Papae, et *can.* 1, *dist.* 55, qui est Gelasii Papae. Ex quibus omnibus deducitur principium generale non posse ordinari illos qui aliquod officium gerunt clericis interdictum, vel aliquam administrationem clericis vetitam, cujus rationes reddere debeant, nisi prius deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi evaserint. Ratio est quoad deponenda officia et administrationem, quia *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Quoad vero rationes prius reddendas ratio est duplex ; tum scilicet quia hic administrator doli in administratione commissi forsan

(1) Berardi, *l. c.*

(2) Vide canonistas in tit. *De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non, XIX, lib. I Decret.*

redargui potest et multis magnisque litibus vexari, quod frequentissimum est quodque cedere posset in grave damnum et infamiam Ecclesiae ; tum quia suspicio est his administrationibus implicatos ad ordines ascendere non vocatione divina, sed ad obtinendum privilegium fori et competentiae in praejudicium creditorum.

Modo illud principium fusius enucleandum est.

552. Ex una parte qui gerunt officia aut administrationes quae clericis non prohibentur, possunt promoveri, retento etiam officio ac administratione et nondum rationibus redditis (1). « Hinc quia in *can. Pervenit, dist.* 86, clericis conceditur quod juxta leges possint agnatorum suorum tutelas et curationes in se suscipere, sicque ipsorum tutores et curatores esse, licet ad hoc cogi non possint, ut notat Glossa *ibid., v. tutelas* ; et quia juxta eumdem canonem, qui repetitur in *can.* 1, *caus.* 21, *qu.* 3, iidem clerici propter timorem Dei possunt esse administratores rerum ecclesiae, sicut et pupillorum, viduarum aliarumque miserabilium personarum, quae maxime ecclesiastico indigent adminiculo, consequenter etiam talia munia gerentes atque in officio suo perseverantes poterunt ad ordines promoveri, si ceteroquin digni reperiantur ; Glossa magna *in cap. un. h. t.*, ubi plura circa praesentem materiam breviter resolvit ». Ita Reiff., *l. c.* Pariter principum saecularium cancellarius aut consiliarius, membrum consilii municipalis, deputatus in camera deputatorum, etc., promoveri possunt, non dimisso officio.

553. Ex alia autem parte, licet in *cit. cap. un.*, *De obligatis* etc., nonnulla tantum negotia et administrationes recenseantur, tamen haec recensentur exempli gratia, et lex applicatur omnibus negotiis et administrationibus clericis prohibitis, cum ratio eadem prorsus sit (2). Nonnulli distinguunt inter administratores rerum publicarum, et administratores rerum quae ad personam privatam spectant ; et illos quidem, rationibus nondum redditis, ab ordinibus arcent,

(1) Schmalz., *I, XIX, n.* 3 ; Reiff., *n.* 7 ; Pirhing, *n.* 3 ; S. Alph., *III, n.* 838.

(2) Pirhing, *I, XIX, n.* 2 ; Reiff., *n.* 5 *et* 6 ; Suarez, *Disp. LI, sect. III, n.* 15.

hos vero admittunt, deposita administratione, etiam ante redditas rationes, nisi periculum sit infamationis vel vexationis, quam pati possent ecclesia cui candidatus est adscriptus, vel ejusdem ecclesiae clerici, ut si de dolo seu perfidia in administratione commissa lis jam mota esset aut brevi movenda timeretur, cum hac de re condemnatus fieret infamis (1). Haec distinctio nullum habet in jure fundamentum ; eadem enim est ratio de omnibus administrationibus, et insuper in *cit. cap. un.*, *De obligatis* etc., non solum de obligatis ad publica, sed etiam de obligatis ad privata ratiocinia (quales sunt tutores pupillorum qui ibidem enumerantur) dicitur non esse admittendos ad ordines nisi post deposita onera et reddita ratiocinia. Igitur in genere implicatus in negotiis seu publicis seu privatis, aut in administrationibus seu publicis seu privatis, quae clericis interdicuntur, prohibetur ordinari ante depositum negotium aut administrationem et ante redditas rationes. Deposita administratione, posset ordinari ante redditas rationes, si sufficienter domino principali, seu probabilibus creditoribus cautum sit, ita ut, omnibus inspectis, judicio episcopi, nullum sit periculum neque causae criminalis, neque gravium litium civilium, quibus Ecclesia gravari et infamari posset (2).

554. Redditis rationibus, administrator potest certe promoveri, si constet ipsum in hac administratione delictum non commisisse et nulla debita contraxisse, aut debita quae forte contraxit, solvisse vel soluturum esse, vel saltem pro his debitis quae forte solvere non potest, futurum non esse obnoxium molestiis et litibus, e. g. si creditor id affirmet, expectans meliorem sui debitoris fortunam. E contrario promoveri nequit, si actio de dolo mota est aut movenda ; vel citra dolum multae gravesque lites secuturae sunt ; vel citra dolum et lites secutura est bonorum cessio eorumdemque venditio ex publica auctoritate : nam ex his omnibus Ecclesia aliqua infamia vel dedecore afficeretur. At, venditis bonis, cessante tractu temporis illa infamia facti qua

(1) Berardi, *tom. IV, p. II, diss. IV, cap. IV.*
(2) Schmalz., *l. c.*, *n.* 4 ; Pirhing, *n.* 3 ; S. Alph., *III, n.* 838 ; Salm., *De censuris, cap. IX, n.* 63.

hujusmodi viri in communi opinione afficiuntur, praesertim si cessio bonorum vulgo non habeatur dolosa, videtur posse ordinari (1). S. C. C. in *Atriensi*, 23 *Jun.* 1725, reposuit Michaelem G. qui bonis cesserat, non esse promovendum ; sed notandum est ipsum a quatuor tantum annis bonis cessisse, insuper habuisse uxorem quae defuncta a tribus tantum annis duos filios eidem reliquerat. Ceterum qui aliquid debet ex alio contractu, puta mutui, emptionis etc., per se non arcetur a statu clericali (2), licet aliquando etiam in hoc casu prudens episcopus ordinationem merito differet ob imminentes graves causas criminales vel civiles quibus Ecclesia forte gravari et infamari posset.

555. Unus R. P. permittere potest ut implicatus adhuc negotiis saecularibus et obligatus ad rationes reddendas, ante harum rationum redditionem promoveatur : quae tamen permissio non facile conceditur (3). Quid vero si quis sine dispensatione promotus fuit ? Certe per se peccavit mortaliter ; certe exinde non contrahit censuram latae sententiae, aut irregularitatem (4). D'Annibale, *I*, § 412 *ter*, tradit ipsum nullo jure prohiberi ab exercitio ordinum susceptorum contra regulam generalem (*n. 153*) : licet Glossa ac auctores citati a D'Annibale id non doceant. Tandem promotus debet, eo modo quo potest, indemnes reddere creditores. Quod si quis post receptam ordinationem suscipiat administrationem, potest ab episcopo cogi ad illam deserendam ; sed interim non prohibetur ab ordinum exercitio, cum id nullibi cautum sit (5).

8° — *Defectus debitae scientiae.*

556. Scientiam suo gradui proportionatam esse clericis necessariam ex jure divino, ideoque ignorantes non posse

(1) Schmalz., *n.* 5 ; Suarez, *n.* 23.
(2) Schmalz., *n.* 6 ; Salm., *De irregularitatibus*, *X*, *IX*, *n.* 63.
(3) Schmalz., *l. c.*, *n. ult.* ; Corradus, *Praxis disp. apost.*, *III*, *VIII*, *n.* 2.
(4) Reiff., *I*, *XIX*, *n.* 11 ; Glossa in *cit. cap. un.*, *De obligatis etc.*, *v. infamatur*.
(5) S. Alph., *III*, *n.* 838, cum aliis.

promoveri, per se patet; quia nec rite nec utiliter propria clericalia munera adimplere possent, nostris praesertim temporibus, quibus habetur scientiae cultus. Hinc Deus apud *Oseam*, *IV*, 6, ignaros a sacerdotio absolute excludit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et Gelasius Papa, in *can.* 1, *dist.* 36, in Decreto, illitteratos, sicuti corpore vitiatos, prohibet a statu clericali (*n. 251*). Et in *cap. ult.*, *De temp. ord.*, *in* 6°, Bonifacius VIII episcopum primam tonsuram illitterato conferentem declarat suspensum a collatione tonsurae per annum. Et Innocentius III, in *cap.* 7, *De electione etc.*, ait in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis esse aetatis maturitatem, gravitatem morum, et *litterarum scientiam* inquirenda, sed maxime in episcopo (*n. 491*). Sacerdotes ignorantes forent *duces caeci*, dum ipsi debent esse lucerna ardens quae indicat aliis viam, tum exemplo tum doctrina, juxta illud *Mal.*, *II*, 7: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus.* Et similia leguntur 1ª *Petri*, *III*, 15.

557. Videamus potius quaenam scientia pro singulis gradibus requiratur. Principium generale his verbis tradit S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 3, *qu.* 2: « In quolibet actu hominis, si debeat esse ordinatus, oportet quod adsit ordinatio rationis. Unde ad hoc quod homo ordinis officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia quae sufficiat ad hoc ut dirigatur in actu illius ordinis: ideo talis scientia requiritur in eo qui ad ordines promoveri debet, et non quod universaliter in tota scriptura sit instructus; sed plus et minus secundum quod ad plura vel pauciora se ejus officium extendit: ut scilicet illi qui aliis praeponuntur, curam animarum suscipientes, sciant ea quae ad doctrinam fidei et morum pertinent, et alii sciant ea quae ad executionem sui ordinis spectant ». Attamen si ampliorem scientiam habent, melius est, et Ecclesia potest ampliorem exigere.

558. In specie, Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. IV*, *de ref.*, tradit non esse initiandos prima tonsura illos qui « fidei rudimenta edocti non fuerint quique legere et scribere nesciant ».

559. De minoribus ordinibus, *l. c.*, *cap. XIII*, statuit:

« Minores ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videatur, conferantur ». Nonnulli putant episcopum posse et illum in minoribus ordinare qui hic et nunc ignorat linguam latinam, sed spes est ut postea addiscat, quia Conc. Trid. rem remittit arbitrio episcopi. Immerito prorsus; nam illa verba : *nisi aliud etc.*, referuntur ad interstitia, non ad scientiam (1). Addit S. Alph., *l. c.* : « Verum non videtur improbabile, cum Sanchez et Rebuff., *ibid.*, quod si ordinandus non adhuc sciat linguam latinam quantum oportet, sed de brevi certo speretur fore ut addiscat, tunc poterit episcopus eum ordinare ; sed melius quidem meo judicio faciet, si non ordinabit ».

560. De subdiaconatu et diaconatu, *l. c.*, *cap. XIII*, Conc. Trid. haec habet : « Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi ». Subdiaconus posset ordinari, etsi adhuc nesciat ordinare officium divinum ; sed probabiliter praesumitur de brevi instructum iri, ut promittit, dummodo interim ab alio adjuvetur ad recitandum (2).

561. De presbyteratu Tridentinum, *l. c.*, *cap. XIV*, ait in presbyteros esse assumendos qui « ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ». Illud *ad ministranda sacramenta* significat candidatum ad sacerdotium debere esse idoneum ad sacrificium Missae celebrandum, et ad administranda sacramenta quorum est minister, quaeque probabiliter administraturus est, nempe generatim loquendo ad administrandum sacramentum baptismi, extremae unctionis, eucharistiae et etiam poenitentiae saltem pro casibus necessitatis in quibus confessionem excipere tenetur (3). Hinc Innocentius XIII, in const. *Apostolici ministerii*, 13 *Mart.* 1723, hortatur episcopos ut, quantum fieri potest, eos tantum ad

(1) S. Alph., *VI, n.* 790; Salm., *De ordine*, *V*, *n.* 43.
(2) S. Alph., *l. c.*
(3) S. Alph., *l. c.*

sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint. « Unde concludo, ait S. Alph., *l. c.*, quod promovendi ad sacerdotium non possunt tuta conscientia ad ordinationem accedere, nisi sciant saltem universaliora principia quibus solvant dubia saltem communiter occurrentia proxime moribundis; necnon tenentur distincte scire quomodo se gerere debeant circa moribundos, nempe quando possint eos absolvere; an in articulo vel periculo mortis et quali periculo; an praesente confessario approbato; an absolute vel conditionate; quando moribundum possint censere dispositum ad absolutionem; quid debeant imponere illi si habeat casus vel censuras reservatas. Hinc consequenter episcopus, ne communicet peccato illius qui petit sine tali scientia ut ordinetur, debet, antequam ordinet, certus fieri de tali ejus idoneitate, vel saltem quod de brevi illa addiscet; alias nescio quomodo posset esse tutus in conscientia ». Quod si agatur de religiosis professis vitam mere contemplativam, uti sunt Camaldulenses, Carthusiani, etc., qui proinde fidelibus sacramenta non erunt administraturi, nec propositas quaestiones in praxi solvere debebunt, mitius cum ipsis agendum est (1).

562. Porro hoc est minimum scientiae pro singulis gradibus clericalibus necessarium, infra quod Conc. Trid. prohibet candidatos promovere. Attamen episcopus potest profecto a promovendis pleniorem doctrinam, gradui tamen proportionatam, exigere quam quae a Tridentino indicatur, praesertim ab illis promovendis qui in seminario degunt, maxime si necessitas sacerdotum in dioecesi non sit. Romae requiritur ut candidatus ad subdiaconatum uno anno, candidatus ad diaconatum duobus annis, candidatus ad presbyteratum tribus annis integris studuerint theologiae morali aut scholasticae, vel saltem juri canonico; et hoc studium se explevisse, debent testimonio comprobare, ut constat ex Notificatione Cardinalis Vicarii diei 2 *Dec.* 1740. Etiam S. C. EE. et RR. in recentissimo decreto diei 4 *Nov.* 1892 sub *n. VI* (*n. 588*) idem statuit pro ordinandis regularibus in

(1) S. Alph., *l. c.*

universa Ecclesia. Ceterum candidatus admissus in examine potest tuta conscientia se quoad scientiam idoneum habere.

563. Tandem Conc. Trid., *sess. XXII, cap. II, de ref.*, pro episcopo haec statuit : « Scientia vero... ejusmodi polleat ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere ; idcoque antea in Universitate studiorum magister sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suae religionis similem fidem habeat ». Haec deinde confirmavit S. Pius V in const. *Quamvis*, 1 *Jan.* 1568, ubi statuit non sufficere doctoratum aut licentiam datam a comitibus palatinis, aut a quibusvis officialium Romanae curiae collegiis, vel ab aliis personis. In *cap. ult., De aetate, etc.*, Honorius III deposuit episcopum Calinensem ob defectum scientiae, quia, ait, contra Deum esset et canonicas sanctiones tantum in episcopo tolerare defectum.

9° — *Defectus requisitae sanctitatis.*

564. In primis pro licita ordinum susceptione necessarius est status gratiae sanctificantis, non solum pro susceptione ordinum hierarchicorum qui totidem vivorum sacramenta sunt, sed etiam pro susceptione aliorum ordinum qui sacramentalia constituunt. Quale autem peccatum committat qui in statu peccati mortalis recipit ordines aut primam tonsuram, vide *n. 448*.

565. At illis qui ad gradus clericales aspirant non solum necessarius est status gratiae simpliciter, sed etiam requiritur vitae bonitas habitualis major quam in laicis. Ad rem S. Hieronymus, in *epist. ad Titum*, apud S. Thomam, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 3, *qu.* 1 : « Non solum episcopi et presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui praesident, sermone et conservatione praecedant, verum etiam inferiores gradus et omnes qui Domini oraculo deserviunt ; et quia vehementer Ecclesiam

Dei destruit, meliores esse laicos, quam clericos ». Et S. Dionysius, *cap. III, De ecc. hier.*, pariter a S. Thoma, *l. c.*, relatus : « In divino omni non audendum aliis ducem fieri, nisi, secundum omnem habitum suum, factus sit Deiformissimus et Deo simillimus ». Atqui qui habet sanctitatem ordinariam, nempe solam gratiam habitualem, dici non potest *secundum omnem habitum suum Deiformissimus et Deo simillimus*. Ratio horum omnium est quia clerici propius, juxta suum gradum, accedunt ad divinissimum eucharistiæ sacrificium et sacramentum ; insuper in primis gradibus sacrae hierarchiae ordinis constituti habent dispensationem sacramentorum et sacramentalium ; tandem esse debent non solum sermone, sed etiam, ac praesertim, operum exemplo duces hominum ad eorum sanctificationem. « Sicut illi, ait S. Thomas, in *Supp.*, *qu.* 35, *art.* 1, *ad* 3^um^, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis ». Omnibus clericis cum proportione applicantur ea quae Christus D. dicebat Apostolis, Matth., *V*, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Recte igitur docet S. Alph., *VI*, *n.* 803 : « Certi fieri debent (episcopi ordinaturi) non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas conversationes, etc. ; sed etiam quod ille sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in ecclesiis, sacramenta frequentet et orationem, vivat a saecularibus segregatus, sociis morigeratis comitetur, studio vacet, modesta utatur veste, etc. ».

566. At facile patet non eundem sanctitatis gradum exigi pro omnibus ordinibus. Sanctitas necessaria pro prima tonsura recipienda, satis erit etiam pro ordinibus minoribus ; sed certe non sufficit pro subdiaconatu aliisque majoribus ordinibus : item sanctitas requisita pro subdiaconatu videtur sufficere etiam pro diaconatu et presbyteratu. Sed videamus quemnam gradum sanctitatis sacri canones, et nominatim Conc. Trid., pro singulis gradibus requirant.

567. Pro prima tonsura Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap.*

IV, de ref., requirit talem vitae rationem ut probabilis conjectura sit eos *ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse*. Id autem jam supponit aliqualem vitae tum internae tum externae perfectionem et aliqualem zelum gloriae Dei et salutis proximi; secus enim conjectura probabilis non haberetur ab episcopo et confessario. Vide *n. 661* quae Benedictus XIV exigit ab illis qui extra seminarium degunt, quique in clerum adscribi aut ad minores majoresque ordines promoveri cupiunt.

568. Pro minoribus ordinibus Tridentinum, *l. c.*, *cap. XI*, requirit ut promovendi dignoscant quantum sit hujus disciplinae pondus « ac in unoquoque munere juxta praescriptum episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti sunt ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu ad gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat; quod et bonorum morum exemplum et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines reverentia et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat ». Concilium Romanum, habitum *an.* 1725 sub Benedicto XIII, in *tit. XVI, cap. V*, praescribit ut clerici Romani in minoribus aut majoribus ordinibus constituti singulis quindenis diebus sacramentali mundentur exomologesi, et sacratissima, quotiescumque fieri poterit, intra Missarum solemnia, communione reficiantur : clerici vero alii inferiores id semel quolibet saltem mense efficiant, optat. Benedictus XIV, *l. c.*, omnibus externis praescribit confessionem et communionem saltem bis in mense praeter alia opera religionis ibi enumerata; sed hodie non exigitur ut communio fiat *infra Missarum solemnia*.

569. Ex dictis jam patet pro subdiaconatu eximiam requiri vitae probitatem. Conc. Trid., *l. c.*, *cap. XII*, episcopos monet non omnes in aetate canonica constitutos debere ad majores ordines assumi, « sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus est ». Et in *cap. XIII*, vult ut

« subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus jam probati, ac in litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent instructi, qui sperent, Deo auctore, se continere posse ». Quid autem sit senectus probatae vitae habetur in *Sapientia*, *IV*, 9 : *Aetas senectutis vita immaculata.* Rursus illud : *In minoribus ordinibus jam probati*, indicat probationem probitatis externae, sed quatenus est indicium probitatis internae, cum Concilium utramque probitatem requirat (1). Et in *cap.* 9, *De aetate et qualitate* etc., legitur : « Erubescant impii et intelligant judicio Spiritus Sancti eos qui in sacris ordinibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate ». Et iterum : « Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatae castitatis ». Ex his aliisque pluribus quae habet S. Alph., *l. c.*, *n.* 65 *sequ.*, concluditur ad subdiaconatum juxta sacrorum canonum normam requiri magnam et praecellentem vitae sanctitatem, quia subdiaconus propius accedit ad altaris ministerium et gravissimas perpetuasque contrahit obligationes.

570. Pro diaconatu ea quae supra diximus a fortiori repetenda sunt. Omnes auctoritates citatae diaconis applicantur. Insuper Apostolus, in 1ª *ad Tim.*, *III*, 8 *sequ.*, diaconos vult : *Pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes... Unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint et suis domibus.* Et Conc. Trid., *cap. XIII*, docet : « Ecclesiis quibus adscribentur, inserviant (subdiaconi et diaconi), sciantque maxime decere si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint ». Et Siricius Papa, in *epist.* 1, *cap.* 9 : « Subdiaconus ad diaconi gradum, si se, ipsa primitus continentia praeeunte, dignum probarit, accedat ». Et S. Gregorius M., *lib. I*, *epist.* 42 :

(1) S. Alph., *VI*, *n.* 66.

« Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata ». Igitur subdiaconus qui vult ad diaconatum ascendere, non solum debet bonitate eximia pollere, sed insuper expedit ut, adjutus gratia recepta in ordinatione subdiaconatus, tempore interstitiorum sacrum ignem amoris Dei et proximi magis magisque in semetipso accendat.

571. Pro presbyteratu, praeter textus supra relatos, Apostolus, in 1ª *ad Tim.*, *III*, 2 *sequ.*, docet : *Oportet... episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Et rursus, in *epist. ad Tit.*, *I*, 5 *sequ.* : *Hujus rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriae aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut sit potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* Jam vero Apostolus nomine *episcopi* et *presbyteri* tum episcopos proprie dictos tum presbyteros simplices comprehendit. Insuper Conc. Trid., *cap.* XIV, vult ut diaconi ordinandi in presbyteros comprobentur « ita pietate et castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari ». Et S. Carolus Borromaeus, in concilio Mediolanensi V, praescribit ut candidati ad sacerdotium examinentur « an pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, an spectata pietate, atque castis moribus, an praeclarorum bonorum operum exemplum et vitae documenta ab iis expectari possint, etc. ». Et sane cum sacerdos aliis debeat esse dux et magister ad salutem,

et maxime cum debeat divinum sacrificium offerre, numquam satis sanctus esse poterit. Ad rem S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 60 *ad pop. Antioch.* : « Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio ? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem ? Os quod igni spiritali repletur, lingua quae tremendo nimis sanguine rubescit, etc. ».

572. Tandem pro episcopatu quamnam sanctitatem Apostolus exigat, ex dictis patet. Innocentius III, in *cap.* 7, *De electione* etc., ait : « Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia inquirenda, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus, in seipso debet ostendere qualiter alios in domo Dei oporteat conversari..... ». Conc. Trid. de qualitatibus eligendorum in episcopos pluribus in locis agit. In *sess. VI*, *cap. I*, *de ref.*, confidit « per Domini ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum ut ad ecclesiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae stipendia ecclesiasticae laudabiliter actae testimonium praebeat, secundum venerabiles sanctorum patrum sanctiones assumantur... ». In *sess. VII*, *cap. I*, *de ref.*, confirmat *cit. cap.* 7, *De electione* etc. In *sess. XXII*, *cap. II*, *de ref.*, haec omnia repetit, insuper exigit in candidato ordinem sacrum antea saltem sex mensium spatio receptum, scientiam competentem gradu academico comprobatam, indicans etiam modum inquirendi in promovendorum qualitates. Tandem in *sess. XXIV*, *cap. I*, *de ref.*, ait : « Si in quibuslibet Ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum, multo magis elaborandum est ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur ; nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.. ». Deinde praecipit, ut, sede vacante, preces a capitulo indicantur ad bonum pastorem a Deo impetrandum ;

declarat peccare mortaliter illos qui aliquod jus in provisione ecclesiae habentes, non curaverint praefici quem digniorem et magis utilem ipsi judicaverint, praeditum omnibus qualitatibus a sacris canonibus requisitis ; et demum de forma examinis seu inquisitionis plura statuit. Infiniti autem essemus si omnium Patrum ac conciliorum sententias referre vellemus, quae sanctitatem eminentem in episcopo inculcant. Sufficiat citare auctorem *Ecc. Hier., cap. I*, qui ait : « Qui summum sacerdotem appellat, Deo intime unitum ac divinum plane virum significat, omni sacra cognitione perpolitum ». Unde illud gravissimum S. Gregorii M. : « Vitium in episcopo est non quam optimum esse ». Haec cum proportione vera sunt etiam de episcopis mere titularibus.

573. Ex huc usque dictis sequitur non levis momenti corollarium : nempe si quis est recidivus et habituatus in aliquo peccato etiam occulto, e. g. luxuriae, non est dignus ordine sacro aut episcopatu, licet hic et nunc praestiterit simplicia contritionis signa, ideoque capax sit absolutionis, quia longe diversum est esse simpliciter in statu gratiae, et magnam bonitatem possidere (1). Necesse igitur est ut antequam ad sacrum ordinem aut ad episcopatum ascendat, efficiatur dignus, habitum malum prius evellendo et convenientem probationem exhibendo. Quod si ipse vult nihilominus ad ordinationem accedere, non est capax absolutionis : ipse enim vult peccatum mortale perpetrare, tum quia vult ordinem recipere sine necessaria qualitate in materia gravi (quae ratio valet de omnibus vitiis relate ad quemlibet ordinem sacrum et episcopatum) ; tum quia ipse vult sese exponere periculo perpetrandi sacrilegia (quae ratio valet de vitio luxuriae relate ad subdiaconatum). Neque dicas clericum exinde infamari, praesertim si est alumnus seminarii, aut professus religiosus qui a suo superiore ad ordines appellatur, quia, clerico recusante ex consilio sui confessarii, superior vitium occultum statim divinabit. Nam clericus, si

(1) Vide omnino S. Alph., *III*, *n.* 63 *sequ.*, ubi disserit ex professo *de clerico habituato in vitio turpi cupienti statim initiari in sacris.*

vult hanc infamiam evitare, se corrigat, et deinde ad ordines ascendet. Excipe si hic clericus consuetudinarius et recidivus habeat extraordinariam contritionis gratiam ; hac siquidem non solum fit capax absolutionis, sed etiam illam sanctitatem sine praevio experimento obtinere potest quae requiritur ad ordinem sacrum aut ad episcopatum ; et ideo si confessarius illam extraordinariam contritionis gratiam cognoscit, debet poenitenti et absolutionem impertiri et permittere ad ordinem aut ad episcopatum accedere. Id in praxi difficultates aliquando confessario pariet, quia poenitens semper affirmabit se habere extraordinariam contritionem ; sed in theoria haec doctrina a S. Alphonso, *l. c.*, propugnata minime dubia videtur. Quod si candidatus ad ordines sacros aut ad episcopatum ex mera fragilitate cecidit absque habitu vitioso, per se non est ratio cur ordinatio aut consecratio impediri aut retardari debeat, remisso peccato per absolutionem sacramentalem.

574. De Lugo, *Resp. Mor.*, *lib. I*, *dub.* 28, ad examen revocat hunc casum : « Novitius quidam in religione observante et perfecta patiebatur frequentes lapsus carnis voluntarios, quos confessario in confessione manifestabat, et postea reincidebat. Confessarius itaque judicans eum non esse aptum religioni cujus alumni castitatis puritatem observabant, suadebat illi frequenter ut ad saeculum rediret vel superiori fragilitatem suam extra confessionem aperiret ; imo ad id tandem poenitentem obligare tentavit, significans se deinceps, nisi obediret, absolutionem ei negaturum. Quaesitum fuit an confessarius jure id facere potuerit, an vero suae potestatis limites fuerit praetergressus ». Et rationes omnes quas confessarius ad suam sententiam defendendam prompsisse perhibetur, ad trutinam revocans, putat eas rem non evincere. Jam vero nonne idem casus est ?

Respondemus casum non esse eumdem. Nam in primis non verificatur prima ratio superius allata, quia pro emittenda professione religiosa necessaria non est sanctitas praecellens prius acquisita, quae requiritur ex dictis pro ordine sacro et episcopatu. Celebre est illud S. Augustini dictum : « Aliquando bonus monachus vix bonum facit clericum ».

Item S. Hieronymus ad Rusticum : « Sic vive in monasterio ut clericus esse merearis ». Item S. Joannes Chrysostomus, *De sacerd.*, *lib. II*, *cap. II* : « Multo major vitae integritas huic (idest clerico), quam illis (nempe monachis) necessaria ». Aliis omissis, haec est doctrina D. Thomae in pluribus locis tradita. Ita 2, 2, *qu.* 184, *a.* 8, haec habet : « Per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior quam requirat etiam religionis status ». Rursus in *qu. sequ.* 185, *art.* 1, *ad* 2^um^ : « Ad statum episcopalem praeexigitur vitae perfectio : quod patet per hoc quod Dominus a Petro quaesivit, si plus ceteris eum diligeret, antequam ei committeret pastorale officium. Sed ad statum religiosum non praeexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. Unde et Dominus, *Matth.*, *XIX*, non dixit : *Si es perfectus*, *vade*, *vende omnia quae habes*, sed : *Si vis perfectus esse.* Et hujus differentiae ratio est quia secundum Dionysium, *cap. V*, *Eccles. Hierar.*, perfectio pertinet active ad episcopum sicut ad perfectorem ; ad monachum autem passive, sicut ad perfectum. Requiritur autem quod sit perfectus aliquis ad hoc quod possit alios ad perfectionem adducere ; quod non praeexigitur ab eo qui debet ad perfectionem adduci ». Et in *qu.* 189, *art.* 1, *ad* 3^um^ : « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem, sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam. Unde ordinum pondus imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis ; sed pondus religionis desiccat parietes, idest homines ab humore vitiorum ».

Praeterea nec altera ratio superius allata verificatur, quia acolythus habituatus in vitio turpi recipiens subdiaconatum, sese exponit periculo perpetrandi sacrilegia absque ulla morali compensatione, si ita loqui fas est ; dum novitius emittens professionem, ex una parte sese exponit periculo committendi sacrilegia, sed ex alia se ponit in ea conditione qua rarius cadet et facilius se a vitio liberabit quam in saeculo, praesertim si non potest sine magno incommodo uxorem ducere.

Igitur casus non est idem ; et ideo utriusque solutio po-

test esse vera. Ceterum quidquid sit de solutione data a Card. De Lugo suo casui, nos de doctrina S. Alphonsi superius exposita minime dubitamus.

575. Haec de candidato ad subdiaconatum aut ordines hierarchicos habituato in aliquo peccato. Quod si ageretur de candidato ad tonsuram aut minores ordines pariter habituato in peccato, hic adeptus absolutionem propter ordinaria signa poenitentiae, et sperans Dei auxilio se emendaturum ante ordinationes in sacris, non peccat illos gradus recipiens ; quia pro illis gradibus non eadem sanctitas requiritur ac pro aliis ordinibus, et insuper promotus non tenetur lege ecclesiastica aut voto continentiae et ad saeculum redire potest. Consequenter confessarius prudenter quidem suadebit ut prius se emendet, sed non potest absolutionem poenitenti, nisi a proposito recedat, denegare.

576. Quaeri autem potest quodnam temporis spatium requiratur ad idoneam probationem illius qui in aliquo peccato, e. g. luxuriae, est habituatus, priusquam ad ordines sacros aut episcopatum accedere licite possit. Si ex peccato aliqua infamia sive juris sive facti orta est, vide quae supra diximus *n. 284 sequ.* Si vero peccatum est occultum, nequit regula generalis constitui propter varias tum criminum tum personarum tum ipsius poenitentiae circumstantias ; poenitentia quippe minus ex temporis diuturnitate aestimanda est, quam ex cordis dolore et multiplici bonorum operum fructu, ita ut extraordinaria poenitentia etiam statim candidatum capacem reddat ordinationis, ut supra dictum est. Prudens igitur confessarius, omnibus perpensis, judicabit quandonam radices mali habitus eradicatae sunt, et humores vitiorum desiccati. Insuper, si in dioecesi non est necessitas ministrorum, et ordinatio vel consecratio retardari sine magno incommodo potest, erit difficilior ; secus erit facilior, salva tamen reverentia debita ordinationi. Tandem si candidatus violentam habet inclinationem in res venereas, non ex causa transitoria, sed ex physica constitutione, etsi modo emendatus se contineat ob specialia auxilia quae habentur in seminario, confessarius prudenter aget eidem suadens conjugium potius quam ordines, *melius est*

enim nubere quam uri, praesertim si candidatus aliquando, etsi non frequenter, in peccatum cadit ; sed confessarius volenti ordines recipere, nequit in casu absolutionem denegare.

10° — *Sufficientia clericorum in dioecesi.*

577. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XVI, de ref.*, haec habet : « Quum nullus debeat ordinari qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta Synodus, vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit ut nullus in posterum ordinetur qui illi ecclesiae aut pio loco pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum, inconsulto episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur ». Proinde Conc. Trid. duo praescribit : in primis recolit legem, quod nemo debeat ordinari qui judicio sui episcopi non sit necessarius aut utilis suis ecclesiis ; deinde statuit ut quilibet promotus, etiam ad primam tonsuram, illi ecclesiae vel pio loco adscribatur pro cujus necessitate aut utilitate assumitur. Utramque decreti partem confirmavit Innocentius XIII in const. *Apostolici ministerii*, 13 *Mart.* 1723, pro restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum. Hanc constitutionem deinde Benedictus XIII, in const. *In supremo militantis Ecclesiae*, 23 *Sept.* 1724, ab omnibus per orbem episcopis pro norma haberi voluit ; et tandem in concilio Romano (*an.* 1725) *tit. VI, cap. II*, rursus utramque decreti Tridentini partem inculcavit. Praestat ut hoc decretum Tridentinum quoad utramque sui partem breviter declaremus.

578. In primis ne clerici inutiles, ideoque otiosi, ideoque vitiosi haberentur, Ecclesia semper prohibuit aliquem ordinari qui judicio sui episcopi non sit necessarius aut saltem utilis ecclesiis vel locis piis suae dioecesis. Proinde candidatus, si ejus promotio nulli ecclesiae nullique loco pio dioecesis necessaria et utilis foret judicio sui episcopi, promoveri non deberet ; atque ita haberetur impedimentum, ipsi personae candidati quodammodo extrinsecum, ordinationem prohibens, saltem ad tempus. Utrum vero candidatus sit necessarius aut utilis suis ecclesiis necne, episcopus defi-

nire debet ante primam tonsuram, ita ut sufficientia clericorum deinceps objici nequeat. Fatendum est, nostris diebus, clero ubique fere locorum deficiente, hoc impedimentum non facile verificari ; quod ceteroquin non est nisi pro clericis saecularibus.

579. Ut haec inutilium clericorum in dioecesi multiplicatio impediretur, vetitum semper fuit saecularem promovere etiam ad primam tonsuram, nisi adscriberetur determinatae ecclesiae, cui perpetuo remaneret addictus, et ex ea haberet honestam perpetuamque sustentationem, sacrum ministerium ibidem exercens (1). « Cum enim, ait Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 5, hi omnes (ministri ecclesiae) illius ecclesiae cui inserviebant, sumptibus alerentur, ecclesiarum autem reditus non excedentes aut immensi, sed certa demum mensura definiti essent, numquam fieri poterat, ut clericorum numerus plus aequo excresceret, cum ecclesiarum usui atque reditibus respondere deberet ». Ecclesia autem cui clericus adscriptus erat, dicebatur illius *titulus* ; quae appellatio adhuc servatur in titulis cardinalitiis, et ex ea ortum habuit vox *tituli ordinationis* ; clericus autem appellabatur *titulatus* vel *intitulatus*. Exinde intelligitur quid fuerit *promoveri absolute*, idest sine titulo, quod canones alte interdicunt, et quinam fuerint clerici *absoluti*, *vagi*, *acephali*. In genuino et integro *canone* 6 concilii Chalcedonensis (qui refertur a Gratiano, in *can.* 1, *dist.* 70, in Decreto, obscuris et fere inintelligibilibus verbis) vetatur : « Nullum absolute ordinari presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia civitatis, aut pagi, aut in martyrio (2), aut monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam haberi hujusmodi manus impositionem, et numquam posse ministrare ad ordinantis injuriam ». Irrita autem haec ordinatio declaratur quoad exercitium tantum. In nota correctorum ad

(1) Phillips, *I*, § 57 ; Thomassinus, *p. II*, *lib. I*, *cap. IX* ; Ben. XIV, *De syn.*, *XI*, *II*, *n.* 4.

(2) Nempe sacello in quo reliquiae martyrum servabantur (Glossa, *l. c.*, *v. martyrio*), aut cultui alicujus martyris dicato.

cit. can. 1, *dist.* 70, in Decreto legitur : « In ordine autem Romano fit mentio talis pronuntiationis episcopi nomine per archidiaconum factae : *De titulo S. Stephani eligimus Petrum ad lectorem ad eumdem titulum* ».

580. Hac provida legislatione non solum inutiles clerici, prout diximus, evitabantur, sed etiam duplex aliud insigne commodum obtinebatur, nempe ut clerici in propria ecclesia commorarentur et sacrum ministerium exercerent, nec vagarentur hac illac ; et ut haberent ex suo titulo honestam perpetuamque sustentationem. Ad rem Thomassinus, *Vetus et nova Ecc. disc., p. II, lib. I, cap. IX, n.* 2 : « Priscum illud et solemne statutum de non ordinandis sine titulo vel sine ecclesia clericis, duabus nitebatur gravissimis causis. Altera erat quae ad temporalem spectabat clericorum sustentationem. Altera autem longe potissima causa erat ipsa clericorum residentia, jugis et indefessa assiduitas ad ecclesiasticas functiones. Clericus sine titulo ordinatus inopia premebatur... Sed aliud erat praeterea quod in eo desideraretur, nimirum munus et officium aliquod juge, quo suam aliorumque salutem infatigato studio procuraret... ».

581. Subsequentibus temporibus lex quemlibet promotum servitio unius ecclesiae stabiliter adstringens in desuetudinem abiit pro ordinationibus usque ad presbyteratum inclusive ; episcopus autem et cardinalis semper promoti fuere ad titulum unius determinatae ecclesiae. Conc. Trid., *l. c.*, hanc legem, quantum mutatae circumstantiae patiebantur, innovavit ; ejusque decretum Pontifices quos *n.* 577 citavimus, confirmaverunt.

582. Quamquam vero Conc. Trid., *l. c.*, praescripserit omnium ordinandorum adscriptionem ad alicujus ecclesiae vel pii loci servitium, desumpto exemplo ab antiquorum canonum statutis, tamen haec adscriptio diversa omnino est ab illa quam antiqui canones et praecipue *canon* 6 concilii Chalcedonensis faciendam jusserunt (1). Hinc Tridentinum ait tantum : *Vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo*. Sane, juxta antiquorum canonum statuta, promotus alicui ecclesiae adscribebatur in perpetuum

(1) Ben. XIV, *De syn., XI, II, n.* 9.

ut ibidem residens sacrum ministerium exerceret, honestamque et perpetuam haberet sustentationem, et ita ipsa ecclesia erat ipsius titulus ordinationis. Hoc modo hodie adscribitur parochus parochiae, episcopus dioecesi, canonicus suae ecclesiae, etc. E contrario mens Conc. Trid., *l. c.*, haec tantum fuit, scilicet ut episcopus clericos non assumeret nisi pro necessitate aut utilitate suarum ecclesiarum suo judicio, et ita inutiles clerici evitarentur ; insuper ut episcopus cuilibet promoto sive ad primam tonsuram, sive ad ordines tum minores tum majores (quidquid sit de titulo ordinationis pro promotis ad ordines sacros), assignaret ecclesiam vel pium locum, ubi sacrum sui ordinis ministerium exerceret sub vigilantia suorum superiorum, et ita vagantes et otiosi clerici impedirentur. Proinde ex Conc. Trid., *l. c.*, ecclesia vel pius locus est pro exercitio sacri ministerii in loco determinato, et non est titulus ordinationis : ordinatus autem in sacris, licet possit ibidem habere suum titulum, potest tamen etiam non habere, e. g. si promotus fuit titulo patrimonii, aut titulo beneficii non residentialis alibi existentis. Hinc adscribuntur alicui ecclesiae vel pio loco non solum ordinati in sacris, sed etiam initiati prima tonsura ac minoribus ordinibus ; et ecclesia vel pius locus variari ab episcopo potest. Haec adscriptio fieri solet expleta ordinatione decreto episcopi (*n. sequ.*), et statim cessat quando obtinetur in alia ecclesia residentiale beneficium aut officium, e. g. rectoris seminarii.

583. In nonnullis dioecesibus decretum Conc. Trid. in viridi observantia est. Die praecedenti ordinationem episcopus edit decretum adscriptionis, quod publicatur post ordinationem, ut quilibet promotus, subditus episcopi ordinantis, videat in quanam ecclesia sacrum ministerium exercere debeat. Formulam hujus decreti dat Monacelli, *op. cit.*, *tit. III*, *form. XXI* (1). In plerisque vero dioecesibus, et etiam in

(1) « Nos N. Episcopus N.

» Ordinationem generalem in hac nostra cathedrali ecclesia die crastina, Deo dante habituri, infra descriptos, tamquam utiles et necessarios pro servitio ecclesiarum nostrae jurisdictioni subjectarum, idoneosque et habiles in examine repertos, ad primam clericalem tonsuram, ordines minores, et majores respective promovere in Domino statuimus. Quocirca

Urbe, decretum Tridentinum nullatenus servatur (1). Nos non audemus hanc consuetudinem late et a longo tempore etiam in Urbe inolitam damnare. Liceat tantum referre verba quae Benedictus XIV, *l. c.*, *n.* 13, habet : « Sequitur ut videamus de altero ex remediis superius indicatis, nimirum de ordinandis omnibus certae alicujus ecclesiae servitio adscribendis : quod quidem, nonnullorum judicio, propter immutatas rerum et temporum rationes aut omnino jam fieri non posse, aut nullius fructus aut utilitatis nunc fore videtur. Verum qui sic existimant, nullam idoneam causam afferre poterunt, cur ab ordinationibus clericorum excludi debeat eorumdem adscriptio ad ecclesiarum servitium. Haec enim, ut supra dictum est, a sacro Conc. Trid. praescribitur. Haec ipsa nuperrime a duobus summis pontificibus Innocentio XIII et Benedicto XIII in ejusdem decreti Tridentini executionem facienda statuitur et inculcatur, tam scilicet quoad illos qui clericali tonsurae, et minoribus ordinibus initiantur, quam quoad illos qui ad majores ordines provehuntur : hoc insuper adjecto, ut, si omissa fuerit in ordinationibus sive a praedecessoribus episcopis, sive ab ipsis tunc existentibus praesulibus, antea peractis, omissio isthaec per novam ac generalem clericorum omnium adscriptionem ad ecclesiarum ministeria suppleatur. Quod si praesentibus temporibus adscriptio hujusmodi non eos omnes effectus operetur, ac illa quae a concilio Chalcedonensi aliisque antiquis canonibus praescripta fuit, non tamen omni utilitate destituta censeri debet,

decretis sacrosancti Conc. Trid. inhaerentes, nunc pro tunc, et quando ordinati et promoti jam fuerint, sciant eos (qui alias adscripti non sunt) fuisse et esse per nos adscriptos servitio infrascriptarum ecclesiarum, in quibus et alibi ubi jam adscripti forsan alias fuerunt, saltem diebus festis inservire, et functiones suorum ordinum exercere debebunt, prout praesenti nostro decreto, immediate post ordinationem promulgando, adscribimus, et illis inservire et functiones ordinum fungi mandamus, videlicet:

» N.N. clericus primae tonsurae ecclesiae parochiali N. loci N.
» N.N. clericus acolythus ecclesiae collegiatae N. loci N.
» N.N. subdiaconus ecclesiae collegiatae N. loci N.
» N.N. diaconus servitio ecclesiae cathedralis ».

(1) Hodie in Urbe decretum Tridentinum non amplius servatur ; saeculo praeterlapso servatum fuisse, vide apud Honorante, *cap. II*, *not. II* et cit. Concilium Romanum, *tit. VI*, *cap. II*. Ratio contrariae consuetudinis ferme universalis est fortasse institutio seminariorum.

et maxime si parochialis fuerit ecclesia, cui ordinatus adscribitur, atque huic, quemadmodum par est, injungatur ut susceptum ordinem in ea exerceat, ut ecclesiasticis functionibus in eadem celebrandis inserviendo assistat, ut in christiana catechesi exponenda parocho suppetias ferat, ut eidem sanctissimum Eucharistiae sacramentum ad infirmos deferenti subserviat ; collationes de sacris ritibus et de casibus conscientiae cum ipso parocho habendas frequentet ; neque vero in clerum admittantur, aut ad superiores ordines aliqui promoveantur, nisi qui hujusmodi servitium diligenter a se praestitum fuisse ecclesiis quibus adscripti fuerint, authenticis testimoniis et monumentis docuerint. Quia vero lex ista ad continendos quidem in officio inferiores clericos et ministros qui ad sacerdotium aspirant, satis valida et efficax esse poterit, sed parem vim minime habebit quoad presbyteros jam ordinatos, qui ulteriores sibi gradus ab episcopo conferendos non esse sciunt ; huic tamen alia opportuna media non deerunt, quibus sacerdotes etiam adducere valeat, ut debitum servitium praestent ecclesiis, quibus hos in ordinatione adscripsit, seu aliis quarum ministeriis, sic exigente dioecesis necessitate, eosdem forsan addixerit. In occurrentibus enim beneficiorum ecclesiasticorum collationibus, aliorumque officiorum et administrationum provisionibus, atque deputationibus, facile ipsi erit sacerdotes sibi obtemperantes, ac sedulam ecclesiasticis muneribus operam navantes, inobedientibus ac desidiosis praeferre, ac debito honore remunerari, nec ullam unquam rationem habere illorum, qui sibimetipsis ecclesiaeque inutiles, satis sibi occupationis esse putant, si quotidie Missarum sacra faciant, in quo idcirco assiduos et diligentes se praestant, ut quotidianam eleemosynae stipem non amittant.

» Et quidem his omnibus, quae hactenus dicta sunt, nihil impedimenti afferre potest aut introducta disciplina beneficiorum simplicium, aut recepta consuetudo ordinandi clericos ad titulum patrimonii. Numquid enim beneficium simplex aut patrimonium exemptionem alicui tribuere potest ut... peculiaris ecclesiae ministeriis adscribi, eique inservire nequeat ? »

11° — *Defectus tituli canonici pro ordinatione in sacris* (1).

584. Ne umquam accidat, quod necessitas clericos in sacris ordinibus constitutos pro vita sustentanda impellat emendicare aut viles artes exercere cum magno dignitatis clericalis dedecore, Ecclesia statuit neminem ad sacrum subdiaconatus ordinem esse promovendum *sine titulo*, idest sine cautione sufficientis et perpetuae sustentationis (2). Canones qui id continent, infra relatos habes. Unica est exceptio in nonnullorum auctorum sententia putantium episcopum proprium ratione familiaritatis posse suum familiarem acolythum ad subdiaconatus ordinem promovere sine titulo, locum tituli tenente beneficio quod infra mensem eidem conferre debet, ut alias exponemus (3). Hanc exceptionem non omnes admittunt; sed ipsa tum intrinsece, tum extrinsece probabilis videtur, quod satis est ut in praxi teneri valeat. Olim titulus erat necessarius etiam pro ordinibus minoribus et prima tonsura (*n. 579*); sed hodie requiritur tantum pro ordinibus majoribus, ut patebit ex dicendis: quae limitatio « peut être comptée au nombre des causes les plus actives de la dépréciation où tombèrent plus tard les ordres inférieurs, et qui firent abandonner peu à peu aux simples laïques les fonctions de ces ordres »; Phillips, *op. cit.*, *tom. I*, § 57. Imo canones non solum praescripserunt in genere titulum esse necessarium pro ordinatione in sacris, sed etiam determinaverunt titulos idoneos, ita ut ii tantum et non alii admitti possint; qui proinde, canonum statutis undequaque conformes, dicuntur *tituli canonici*.

Nostrum est hos canonicos titulos pro ordinatione in sacris describere.

585. Ante omnia animadvertimus titulum in jure canonico plures habere sensus, quos ita exponit Glossa, in *cap.*

(1) Vide in *Alleg. I* instructionem S. C. de Prop. Fide, 17 *Apr.* 1871.

(2) Schmalz., *I*, *XI*, *n.* 52. Melius titulus ordinationis diceretur id quod honestam perpetuamque sustentationem promoto praebet.

(3) Honorante, *cap. I*, *not. XI in fine*; Vasquez, *p.* 3, *tom.* 3, *disp.* 245, *n.* 49.

54, *De electione* etc., *v. intitulatum :* « Titulus quandoque dicitur *signum*, ut *c.* 16, *q.* 6, *c. Consuetudo*. Et dicitur titulus omnis causa acquirendi dominii, ut titulus pro emptore, pro donato, pro haerede, pro suo, pro dote, pro legato, pro derelicto ; unde dicitur quod in praescriptionibus ecclesiasticis bona fides et justus titulus exiguntur, *tit. De praescript.*, *c. Si diligenti*, et qui aliquem talem habet titulum, habet causam praescribendi. Item dicitur titulus *ipsa ecclesia*, ut titulus S. Petri. Unde singuli tantum clerici per singulos tantum titulos sunt ponendi, id est ecclesias, 80 *dist.*, *c. Episcopi*. Unde in ordinationibus, quando vocantur clerici, dicitur : *Talis ad titulum talis plebis*. Item titulus dicitur clericatus vel canonicatus in aliqua ecclesia ; unde dicitur intitulari idest inclericari, vel canonicari. Et dicitur titulus quilibet ordo ecclesiasticus, et quaelibet dignitas, vel praelatio. Unde dicitur quis intitulari in aliqua ecclesia, idest ordinari vel praefici, 10 *dist.*, *c. Sanctorum* ». Ceteris omissis, ad rem nostram faciunt tantum tertius et quartus sensus. Sed haec melius declaranda sunt et complenda, relatis mutationibus decursu temporum factis in hac materia.

586. Titulus ordinationis *regularium* semper fuit *monasterium*, de quo in *can.* 6 concilii Chalcedonensis (*n. 579*), seu ut hodie dicitur, fuit *titulus paupertatis* vel *professionis religiosae*, vi cujus ipsa religio tenetur necessaria ordinato subministrare.

587. Nomine vero *regularium* intelliguntur professi votorum solemnium, ut constat ex S. Pii V const. *Romanus Pontifex*, diei 14 *Oct.* 1568. Hinc titulo paupertatis nequeunt in sacris ordinari novitii qui in omnibus, quoad ordinationem, aequiparantur saecularibus, salvo privilegio particulari instituti regularis. Item nec professi votorum simplicium triennalium in ordinibus religiosis cum votis solemnibus. Id jam edixerat Pius IX in declaratione diei 12 *Jun.* 1858, sub *n. VII* : « Superiores regulares ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et praesertim quae circa or-

dinationes regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt ». Et clarius propositis dubiis ab archiepiscopo Mexicano : « 1° Possuntne novitii post emissa vota simplicia ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante const. *Romanus* S. Pii V, die 12 *Oct.* 1568 in lucem edita ?... 4° Si novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur, quid cum eis agere debet Ordinarius, si aut ad sacros ordines, aut ad matrimonium forsitan aspirent ? » S. C. EE. et RR., die 20 *Jan.* 1860, reposuit : « Ad 1^{um} : negative quoad ordines sacros... Ad 4^{um} : si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab ordine, sive per apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat (episcopus) cum illis, prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet ». Et eadem die 20 *Jan.* 1860 eadem S. C. rescripsit episcopo Melitensi hos professos ab ordine dimissos non posse ad ordines sacros promoveri, nisi praescriptum (saecularibus) titulum habeant. Tandem nec professi votorum simplicium in institutis religiosis cum votis simplicibus ordinari in sacris possunt titulo paupertatis. Non pauca ex istiusmodi institutis habent a Sede Apostolica privilegium seu indultum ut eorum professi ordinari in sacris valeant titulo *mensae communis*, aut titulo *congregationis*, aut titulo *missionis*, qui respondent titulo *paupertatis* institutorum regularium cum votis solemnibus. Ii autem tituli illis tantum inservire possunt qui vota quidem simplicia sed perpetua jam emiserunt et proprio instituto stabiliter aggregati sunt ; vel qui saltem per triennium permanserunt in votis simplicibus temporanеis quoad ea instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem.

588. Haec confirmat et tradit auctoritate Summi Pontificis S. C. EE. et RR. in recenti decreto diei 4 *Nov.* 1892, addens quid juris si professus ex instituto regulari discedat aut dimittatur. Hoc decretum non videtur applicari Societati Jesu, quae specialibus gaudet privilegiis. Praestat illud ex integro referre :

« Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua

parit incommoda facilis alumnorum hujusmodi societatum egressus, et consequens, ex jure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli sacri locorum antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SS. D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Emi Patres in conventu plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 *mens. Aug. anni* 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia die 23 *Sept. hujus anni* 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

» I. Firmis remanentibus constitutione S. Pii V diei 14 *Oct. anni* 1568, incipient. *Romanus Pontifex,* et declaratione s. m. Pii PP. IX edita die 12 *mens. Junii anni* 1858, quibus superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad sacros ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad instituta votorum simplicium, ita ut horum institutorum superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensae communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus

indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a Sede Apostolica approbatae.

» II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud inposterum dispensatum iri, ut ad majores ordines alumnus congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium ; quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi instituti constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

» III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii jussu s. m. Urbani VIII edito 21 *Sept.* 1624, incipien. *Sacra Congregatio*, ac in decreto ejusdem S. C. jussu s. m. Innocentii XII edito die 24 *mens. Julii anni* 1694, incipien. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam superioribus institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo ; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem : qua nihil proficiente, superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive

per se, sive per alium ejusdem instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior seu tribunal defensorem, ut supra, alumnum respectivi instituti ex officio constituere debebit. Post haec superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C.

» IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

» V. Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

» VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, praeter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem

per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

» Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

» Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 1 *novembris* 1892.

» I. Card. Verga, *Praef.*

» Jos. M., Arch. Caesarien., *Secretarius* ».

589. Fusius nunc de titulo seu titulis sacrae ordinationis pro clericis *saecularibus*. Jam diximus (*n. 579*) antiquitus unum fuisse pro omnibus promovendis titulum *ecclesiae* ; qui titulus deinde recessit ab aula, ita ut hodie admitti non possit sine speciali Sedis Apostolicae concessione, ut patebit ex canonibus citandis, et praesertim ex Conc. Trid., *sess. XXI, cap. II, de ref.* Obsoleto autem titulo ecclesiae, pro ordinatione in sacris saecularium hodie sunt tres tituli, *beneficii* qui titulo ecclesiae successit, *patrimonii* et *pensionis* ; sed titulus beneficii est ordinarius et praecipuus, titulus vero patrimonii aut pensionis est pro iis tantum quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum. Haec indigent declaratione.

590. Institutis in ecclesia beneficiis, titulus significavit beneficium in ecclesia ; et canonum prohibentium saecularem promoveri sine titulo sensus erat non esse ordinandum saecularem, qui beneficium ecclesiasticum non haberet. Hoc modo intelligi debet *can.* 2, *dist.* 70, in Decreto, et celebre *cap.* 4, *De praebendis.*., quod est concilii Lateranensis III sub Alexandro III (*an.* 1179) : « Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis assignet, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere ». In hac decretali titulus, idest beneficium, exigitur tantum pro diacono et presbytero ; sed Innocentius III, in *cap.* 16, *De*

praebendis, etc., illud exigit etiam pro subdiacono; imo vult in genere omnibus ordinatis conferri ecclesiasticum beneficium; et cohaeret *cap.* 2, *ejusd. tit.*, et *cap.* 13, *De aetate*, etc. At in Ecclesia Romana, et postea in Ecclesia universali praxis invaluit, ut beneficium ecclesiasticum esset necessarium tantum promovendis ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum, juxta Innocentium IV, in *cit. cap.* 4, *De praebendis*: « Sed Romana Ecclesia non cogit providere nisi constitutis in sacris ».

591. Porro citatus canon Lateranensis proprie non tradit posse promoveri sine beneficio clericum saecularem, si habeat ex sua vel paterna haereditate subsidium vitae; sed tantum in hoc casu episcopum, qui eum sine beneficio sacris initiavit, non teneri eidem necessaria vitae subministrare (1). At illud clare tradere videtur *cap.* 23, *De praebendis*, continens responsionem Innocentii III archiepiscopo Bisuntino: « Tuis quaestionibus respondemus quod clericos in minoribus ordinibus constitutos, de patrimonialibus bonis habentes unde possint congrue sustentari, etsi nondum fuerint beneficium ecclesiasticum assecuti (dummodo aliud canonicum non obsistat), ad superiores poteris ordines promovere (2) ». Imo nonnulli interpretes, attentis hujus decretalis verbis, censent neque necesse fuisse, quod patrimonialia bona in titulum sacrae ordinationis constituerentur. Hinc factum est, ut licet verus et proprius sacrae ordinationis titulus esset beneficium, tamen clerici, sufficiens habentes patrimonium, passim ad ordines sacros promoverentur, et etiam vocabulum *tituli patrimonii* invectum fuerit.

592. Exinde commoda et incommoda; nam « que cette innovation ait contribué à gagner à l'état ecclésiastique des hommes possesseurs de grandes richesses, mûs uniquement par le désir de se vouer, corps et biens, au service de Dieu et de son Église, c'est là un fait incontestable; mais son résultat le plus positif fut de pousser dans les rangs du clergé une foule de riches oisifs, qui trouvaient facilement

(1) Phillips, *I*, § 57; Fagnanus, in *comm. cit. cap.* 4, *De praebendis*, etc.
(2) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 24.

le moyen de se soustraire à la surveillance de l'évêque » ; Phillips, *l. c.*

593. Et sicut patrimonium, ita etiam *pensio*, non solum ecclesiastica cujuscumque speciei, sed etiam laicalis, admittebatur tamquam canonicus ordinationis titulus. Nimirum pensio alia est ecclesiastica, idest ex bonis ecclesiasticis, alia laicalis ex bonis laicalibus. Pensio autem ecclesiastica est duplicis speciei. Alia in perpetuum constituitur decreto episcopi ex reditibus ecclesiae, conferenda clerico canonica institutione ; et haec est verum ac proprie dictum beneficium ecclesiasticum. Alia constituitur ad tempus super fructibus ecclesiae, et alicui assignatur auctoritate superioris ob rationabilem causam, et haec beneficii ecclesiastici nomen nonnisi lato sensu meretur (1). Pensio autem laicalis inter bona patrimonialia pure et simpliciter recensenda est. Clerici igitur saeculares titulo pensionis cujuscumque passim ordinabantur in sacris.

594. Succedit Conc. Trid., *sess. XXI, cap. II, de ref.* Quidam ex Patribus putabant solum beneficii titulum esse admittendum, et ideo illos tantum quos possessio proventus ecclesiastici ad ecclesiae ministrandum compelleret. At acriter obstitere illarum regionum antistites, ubi ecclesiastici reditus paucissimi sunt et plerumque tenuissimi, ideoque insufficientes, nisi multi simul conjuncti, ad alendum presbyterum qui eos possidet ; quare si plures illic sacerdotes non essent quam quotquot illis proventibus ali possent, rudes earum nationum populi nimis silvescerent ex cultorum penuria, et paulatim Dei notitia vix in illis permaneret (2). Concilium, utriusque sententiae quodammodo rationem habens, sequens tulit decretum :

« Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, compertumque sit complures plerisque locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus et fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum

(1) Fagnanus, in *comm. cap.* 31, *De rescriptis, n.* 40 *sequ.*

(2) Pallavicini, *Hist. Conc. Trid., lib. XVII, cap. IX* ; Ben. XIV, *De syn., XI, II, n.* 14.

aut etiam idoneas facultates obtinere ; statuit sancta Synodus ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur nisi constito quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum ; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quae eis ad vitam sustentandam satis sint ; atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari aut extingui aut remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint, antiquorum canonum poenas super his innovando ».

Hoc decretum Tridentinum in re nostra adhuc viget, et fusiorem exigit expositionem, praeeunte S. C. C.

595. Ex hoc decreto apparet in primis ratam haberi praxim jam ubique receptam (*n. 590*) ut titulus canonicus jure communi non sit necessarius nisi pro ordinationibus in sacris. Attamen ex una parte putamus episcopum per se posse, si id necessarium aut opportunum pro bono suae dioecesis judicaverit, illum exigere etiam pro ordinibus minoribus et prima tonsura conformiter antiquae disciplinae. Honorante, *cap. I, not. V*, quoad clericos Romanae dioecesis haec habet : « Cum de anno 1718 cl. me. Card. Paracciani tunc temporis Vicario Urbis relatum esset nonnullos clericos Romanos ob deficientiam beneficii et patrimonii sufficientium pro suscipiendis sacris ordinibus vilissima quaedam munia et artes cum dedecore ordinis exercere, sub die 25 *Febr.* ejusd. anni... praecepit et ordinavit, facto prius verbo cum SSmo, ut de cetero nemo ex Romanis prima clericali tonsura initiaretur, nisi prius per legitima documenta constaret eum de patrimonio provisum esse, seu expectativa vere

esset beneficii aut capellaniae proxime obtinendae, omni et quacumque fraude remota: quod a Vicariis pro tempore usque ad praesens observatum fuit... Hujusmodi autem patrimonium, etsi ejus non sit reditus ut taxam aequet scutorum sexaginta monetae Romanae juxta stylum et laudabilem consuetudinem almae Urbis pro sacris ordinibus, solet nihilominus ab Emo Vicario admitti, dummodo defectus talis non sit ut medietatem praememoratae taxae excedat: et aliquando justis ac legitimis intervenientibus causis, et ex speciali gratia, solet loco patrimonii, admittere alimentorum obligationem per parentes vel alios proximos consanguineos praestandorum ». Hoc autem decretum Card. Paracciani in Urbe non amplius servatur: sed hodie, si aliqua est dubitandi ratio, exigitur tantum a parentibus vel ab alia persona quae promovendi curam habet, obligatio in scriptis praebendi eidem promovendo alimenta ac vestes usque ad illius ordinationem in sacris. In dioecesi Melevitana ex speciali pontificio jure titulus requiritur pro ipsa habitus ecclesiastici susceptione: de qua re vide folium S. C. C. in *Melevitana, Cooptationis ad clericalem coetum et institutionis ad beneficia*, 9 *Aug.* 1890. Ex alia autem parte titulus canonicus necessarius est pro singulis ordinationibus in sacris, licet unus idemque titulus pro omnibus sufficiat, ita ut nec subdiaconatus, nec diaconatus, nec presbyteratus conferri sine titulo possit; e. g. non posset ad ulteriores ordines admitti is cujus titulus post subdiaconatus ordinationem periit, aut qui subdiaconus promotus fuit sine titulo. Id satis indicat numerus pluralis: *Ad sacros ordines* in decreto Tridentino (1).

596. Praeterea ex relato decreto evidens est titulum ordinarium ordinationis clericorum saecularium esse titulum beneficii, sed episcopum posse titulo patrimonii vel pensionis illos ordinare, quos assumendos judicaverit, pro necessitate aut commoditate suarum ecclesiarum. Proinde Conc. Trid. videtur hac in re correxisse *cit. cap.* 23, *De praebendis* (2). Id deinde confirmavit et inculcavit Innocentius XI

(1) Fagnanus, in *cit. cap.* 4, *De praebendis*, *n.* 4.
(2) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 24.

litteris ad singulos episcopos per S. C. C. missis die 13 *Maii* 1679 : « Deinde per has circulares litteras episcopis omnibus sanctissimum Tridentinum decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud sancte custodiant, sciantque non aliter ordinandum ad titulum patrimonii vel pensionis, nisi cum Ecclesiae necessitas vel commoditas id exigat : *qua in re prudens episcopi timoratumque judicium servari debebit* ». Imo aliquando obtinetur ab Apostolica Sede privilegium ordinationis extra tempora cum clausula : *Ut parentibus tuis solatio esse possis, et fervore devotionis accensus, ad sacros ordines extra tempora ac interstitiis non servatis, ad titulum patrimonii tui, seu perpetui beneficii ecclesiastici, dummodo illud pacifice possideas, promoveri possis, concedimus.* Quaesitum fuit an vigore Brevium hujusmodi quis promoveri possit ad titulum patrimonii, non obstante quod non concurrat ecclesiae necessitas vel commoditas, quum causa motiva hujusmodi concessionum videatur solatium parentum ; et S. C. C. die 9 *Sept.* 1789 respondit *negative* (1).

Porro judicium de hac ecclesiarum suarum necessitate vel commoditate remittitur prudentiae ipsius episcopi, uti S. C. C. in ultimis verbis superius relatis docet. Episcopus igitur in genere debet titulum beneficii exigere ; sed potest etiam titulum patrimonii vel pensionis admittere, quoties id necessarium aut utile suae ecclesiae judicaverit. Cum vero in Galliis beneficia ordinationis titulum constituentia deficiant, patet necessitatem aut utilitatem ecclesiae pro admittendis patrimonii vel pensionis titulo semper verificari. Qui vero est de beneficio ad congruam sustentationem sufficienti provisus, nequit promoveri titulo patrimonii vel pensionis, sed debet promoveri titulo ejusdem beneficii (2).

597. Ut vero beneficium, patrimonium, pensio constituere valeant ordinationis titulum, necesse est ut reditus sint *sufficientes* ad honestam sustentationem ; honestam

(1) Giraldi, *p. II, sect.* 55.

(2) Honorante, *cap. III, not. III*, citans S. C. C. in *Sorana*, 26 *Jan.* 1669, et in *Camerinen.*, 4 *Aug.* 1685.

scilicet in se, ne clericus emendicare aut viles artes exercere cogatur, non autem etiam pro qualitate candidati (1).

Haec autem sufficientia non potuit jure determinari ita ut eadem sit pro omnibus locis, cum a regionum pendeat varietate; sed episcopi fere omnes in suis synodis aut extra synodum certam praescripserunt quantitatem redituum qui in sua dioecesi censentur sufficientes ad honestam clerici sustentationem; quae proinde quantitas dicitur *taxa synodalis*, licet extra synodum ab episcopo determinata sit (2). Imo haec taxa synodalis potest in eadem dioecesi alia constitui pro iis qui in oppidis aut montibus degunt, et alia pro iis qui in civitate (3). Pariter potest taxa synodalis variari; et merito ab episcopo in synodo vel etiam extra synodum variatur juxta circumstantias temporum quae forte majores vel minores reditus pro honesta sustentatione exigunt. Deficiente taxa synodali, attendendus est mos dioecesis.

Igitur reditus beneficii, patrimonii, pensionis debent saltem pertingere ad synodalem taxam, aut dioecesanam consuetudinem, sed nil profecto vetat quominus illam excedant, non obstante responsione relata ob Honorante, *cap. III, not. III.* Quid si aliquid deest? Datur parvitas materiae, qualis erunt duo vel tria respectu triginta (4), aut etiam quinque respectu vigintiquinque (5), ita ut si haec parva quantitas titulo deficeret, ordinans et ordinatus non peccarent mortaliter poenasque statutas effugerent. In archidioecesi Bononiensi tempore quo Lambertinus eam regebat, taxa synodalis exigebat reditus quadraginta scutatorum Romanorum (6); in dioecesi Romana exigit sexaginta scutatorum Romanorum (7); in dioecesi Parisiensi quadringentorum francorum (8).

(1) Garcias, *De beneficiis, p. II, cap. V, n.* 114.
(2) Ben. XIV, *De syn., XII, IX, n.* 1.
(3) Ben. XIV, *Inst. Ecc. XXVI, n.* 4.
(4) Marchin., *De sacram. ord., tract. II, p. VI, cap. VII, diff.* 2, apud Honorante, *cap. VIII, not. XI.*
(5) Sanchez, *Opusc. Mor., tom. II, lib. I, dub.* 75, *n.* 8.
(6) Ben. XIV, in *cit. Inst. Ecc., n.* 4.
(7) Honorante, *cap. I, not. V.*
(8) Rituel de Paris, an. 1839, *pag.* 749.

Semel autem constituta synodali taxa, episcopus nequit in eadem dispensare, clericumque ad sacros ordines admittere cum titulo qui habet reditus pauciores in notabili quantitate; id enim idem esset ac ipsum ordinare sine titulo canonico (1).

Quod si clericus in una dioecesi habet beneficium quod est titulus suae ordinationis, et domicilium obtinet in alia dioecesi a cujus episcopo ordinatur, attendi debet taxa synodalis vel consuetudo dioecesis domicilii, nisi beneficium sit residentiale; idemque repetas si in prima dioecesi habet patrimonium (2).

Porro quod beneficium, patrimonium, pensio talis sint reditus ut ad taxam synodalem vel morem regionis attingant, probari debet idoneis testimoniis vel documentis: praxim quae servatur in Urbe circa hanc probationem, vide apud Honorante, *cap. III, not. II.*

598. At vero si beneficium non habet reditus sufficientes, suppleri potest ex patrimonio, praesertim si necessitas aut commoditas ecclesiae verificetur. Hinc proposito dubio: « An clericus, alioquin idoneus, habens beneficium de per se insufficiens, sed, juncto patrimonio, habeat quod sufficiat ad honestam vitae sustentationem, possit promoveri »; S. C. C. respondit, die 24 *Oct.* 1589, posse juxta formam Concilii, *sess. XXI, cap. II* (3). At clericus in casu ordinari non potest, nisi ab episcopo proprio ratione originis, aut domicilii vel ex ejus licentia; nam beneficium insufficiens satis non est ad habendum episcopum proprium ad normam const. *Speculatores*; de qua re alias. Pariter nil vetat quominus beneficium insufficiens suppleatur ex alio beneficio sive in eadem sive alia dioecesi obtento, dummodo utrumque simul unitum taxam adaequet (4).

599. Et quidem reditus debent esse sufficientes, detractis expensis; secus enim honestae sustentationi satis jam

(1) Honorante, *cap. VIII, not. X.*

(2) Innocentius XII, in const. *Speculatores* (*Alleg. III*).

(3) Giraldi, *p. II, sect.* 54; Honorante, *cap. III, not. II*; Garcias, *De beneficiis, p. II, cap. V, n.* 111; Ben. XIV, *Inst. Ecc. XXVI, n.* 10.

(4) Giraldi, *l. c.*

non forent. Id vero intelligendum est de oneribus certis et fixis, non vero de extraordinariis (1). Utrum etiam onera Missarum beneficio adnexarum sint detrahenda necne, disputatum praesertim fuit in S. C. C. quo tempore Lambertinus erat a secretis. Opinabantur plerique onera Missarum esse detrahenda, cum liberum est beneficiario illis per se vel per alium satisfacere ; secus vero cum Missas per se ipsum celebrare tenetur, dummodo ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, loco eleemosynae Missarum aliunde habeat quo vivere possit. Siquidem in primo casu, si in morbum incidat, quo a celebrando praepediatur, debet alteri sacerdoti consuetam eleemosynam elargiri ut Missas celebrare faciat ; ac proinde si morbus diuturnus sit, periculum erit ne beneficiarius ad extremam redigatur paupertatem, cui sacri canones et praecipue Tridentinum obviare voluerunt, cum titulum sive patrimonii sive beneficii in clerico saeculari exegerunt ut ad sacros ordines valeat promoveri. Hujusmodi autem periculum iidem doctores abesse aiunt in secundo casu ; qui enim tenetur Missas celebrare per se ipsum, tempore quo aegrotat, aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione celebrandi per alium, ut nonnulli censent. Hanc distinctionem probaverat S. C. C. in *Tiburtina*, *Ordinationis*, 8 *Jul.* 1690 ; quam resolutionem confirmavit, et sequi posse post Bullam Innocentianam declaravit eadem S. C. in *Signina*, *Ordinationis*, 14 *Apr.* 1696, et in *Neapolitana* seu *Scalen.*, 19 *Febr.* 1701. Alii autem arbitrabantur onera Missarum in neutro casu esse detrahenda : etenim cum eleemosyna quae sacerdoti datur, sit *quasi stipendium suae sustentationis*, ut ait D. Thomas, 2. 2. *q.* 100, *a.* 2, *ad* 2^um^, nulla ratio patitur eam excludi a censu redituum qui sufficientem sustentationem sacerdoti suppeditant. Neque in contrarium facit quod tempore infirmitatis sacerdos, cui liberum est celebrare per alium, huic teneatur elargiri stipem ad sui ceteroquin alimoniam necessariam. Hic siquidem casus infrequens est,

(1) Riganti, *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 126 ; Lamperez, in const. *Speculatores*, *n.* 366 ; Monacelli, *Formularium etc.*, *tom. I*, *pag.* 345, *n.* 1 et 2 ; Card. De Luca, *De beneficiis*, *Disc.* 90, *n.* 80.

quem jura non respiciunt ; secus in constitutione patrimonii habenda pariter esset ratio ingruentis belli, imminentis alluvionis, similisque infortunii cui obnoxia sunt praedia in patrimonium assignata. Praeterea sacerdotem ad quem onus incumbit celebrandi per se ipsum, si impediatur infirmitate quae sit diuturna, teneri suae obligationi satisfacere per alium, rectius docent De Lugo, *De sacram. Eucher.*, *disp. XI, sect.* 3, *n.* 48, 49 ; Diana, *in edit. coord. tom. II, tract. I, res.* 59 ; Passer., *De stat. hom.*, *tom. II, quaest.* 287, *art.* 4, *n.* 1120 ; quorum sententiam sectata est S. C. C. in *Romana*, *Celebrationis Missarum*, 4 *Jun.* 1689, et in alia *Romana*, 2 *Oct.* 1721 : ac proinde nullum, quantum attinet ad rem praesentem, videtur ponendum discrimen inter eum qui tenetur Missas per se ipsum celebrare, ac alterum cui potestas est celebrandi per alium. In hac opinionum varietate quaestio proposita fuit S. C. C. die 8 *Aug.* 1722, et die 24 *Apr.* 1723, et tandem die 17 *Julii ejusdem anni* decisum fuit rem esse relinquendam conscientiae et arbitrio Ordinariorum, qui, spectatis locorum et personarum conditionibus, vel in particularibus casibus statuant, vel etiam in synodo per modum legis decernant, utrum onera Missarum sint detrahenda necne e reditibus beneficii, a quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus (1).

600. Praeterea reditus beneficii, patrimonii, pensionis, ut titulus sit canonicus, debent esse *perpetui*, ita ut ordinatus in sacris hos sufficientes fructus a tempore ordinationis perenniter ac stabiliter reipsa faciat suos per totum vitae curriculum, aut saltem donec de alio canonico titulo provideatur. Ad rem facit responsio S. C. C., 14 *Maii* 1671. Expositum fuerat : « Clerico N. habenti annua decem, N. laicus, supplendo usque ad viginti quinque, promisit annua quindecim, ut ad sacros ordines promoveri posset, eique super ejus proprio fundo donavit sub infrascriptis conditionibus et declarationibus, quod praedicta annua quindecim essent in supplementum patrimonii ecclesiastici, quod sol-

(1) Ben. XIV, *De syn.*, *XII, IX, n.* 3 *sequ.*

verentur de sex mensibus ad sex menses a die subdiaconatus, et quod statim ac ipse clericus donatarius beneficium ecclesiasticum consequeretur, vel aliter haberet unde viveret, donatio hujusmodi intelligeretur cessasse. Dictus clericus per multos annos vixit sine praefatis annuis quindecim, eaque per dictum tempus numquam petiit, et hodie etiam scholasticam habet industriam cum qua vivere posset, si vellet. Quaeritur primo an talis laicus teneatur pro dictis annuis quindecim praeteritis : an excusari possit in futurum a dicta scholastica industria » ; S. C. reposuit : « Ad 1^um^ affirmative ; ad 2^um^ negative ». Tantum fertur S. C. C. declavisse posse ordinari subdiaconum et diaconum cui collatum est beneficium, cujus fructus percipiet, quando futurus est presbyter (1) : sed, ni fallimur, id potius ex indulgentia et dispensatione, attentis peculiaribus circumstantiis, cum et subdiaconus ac diaconus honestam habere debeant sustentationem.

601. Post haec facile intelligitur responsio S. C. C. (et postea S. C. EE. et RR.) in *Brugensi*, 24 *Aug.* 1850. Nam episcopus Brugensis exposuit episcopos nonnullos in praesentibus Ecclesiae angustiis novam tituli formam excogitavisse, in eo sitam ut omnes et singuli ordinandi determinatam pecuniae summam, biscentum nempe libellas, veluti eleemosynam una vice solverent, ad constituendum censum communem vel aerarium ecclesiasticum, cujus fructus episcopi cura sacerdotibus, qui morbo immature correpti, vel fractis viribus aliisque rerum humanarum vicissitudinibus a sacro ministerio ad tempus aut pro tota vita arcerentur, aequa lance dividerentur ac distribuerentur. Hinc quaesivit : « 1° An approbanda sit haec forma tituli clericalis quae *quasi-patrimonium* dici poterit, adeoque episcopo indultum sit concedendum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo nec sufficienti titulo, ita ut sit approbanda institutio novi hujus ordinationis tituli ; et quatenus affirmative ; 2° An permittenda sit insertio ejus novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani ». S. C.

(1) Schmalz., *I, XI, n.* 54 ; Garcias, *De beneficiis, p. II, cap. V, n.* 110.

reposuit : « Ad 1^um^ negative, et providebitur in casibus particularibus. Ad 2^um^ provisum in primo ». At episcopus institit iterum ; et S. C. EE. et RR. responso dato die 14 *Maii* 1860 ipsi facultatem concessit « ut cum aliis centum clericis a titulo sacrae ordinationis dispensare valeat, ita tamen ut eos curet de aliquo beneficio vel ecclesiastico officio providere, vel saltem meliori, quo potuerit, modo ad mentem S. Tridentini Concilii eorum sustentationi consulere, ne cum ordinis dedecore mendicare teneantur ».

602. Pariter ex dictis apparet curnam beneficium, patrimonium, pensio, numquam possit canonicum ordinationis titulum constituere, nisi vere et pacifice ab ordinato possideantur, omni fraude cessante. Conc. Trid., *l. c.*, expresse exigit beneficium *pacifice possideri*. *Possideri* : unde non sufficit nominatio, praesentatio, electio aut etiam institutio, sed clericus debet esse inductus in possessionem. *Pacifice* : ita ut nulla sit controversia neque super proprietate neque super possessione (1). At ordinari quis potest etiam ad titulum beneficii litigiosi, si quoad aliquos tantum fructus sit litigiosum, et reliqui satis sint (2). Patrimonium vero vel pensionem Concilium ait debere *vere ab eis obtineri* ; quod S. C. C. *an.* 1573 magis declaravit dicens *vere*, *absque ulla fraude*, *et in forma juris valida*. His verbis excluditur patrimonium *falsum*, *fictum*, *fiduciarium*, *nullum*, *injustum*, *restitutioni aut resolutioni obnoxium* : quae omnia ita breviter explicat D'Annibale in const. *Apostolicae Sedis*, *n.* 144, *not.* 32 : « Patrimonium *falsum* accipio, quod non extat, seu praedia supposita sint, seu instrumenta, seu nomina constituentium. *Fictum*, quod revera consistit, sed constitutum est dicis causa, idest sine intentione illud constituendi. *Fiduciarium*, quod ea lege constitutum est, ut ab ordinatione restituatur vel ut ne ordinatus fructus percipiat. *Nullum* dicitur quod irritum omnino infectumque est, veluti si in re mobili sit constitutum, vel ab amente, vel donatione non acceptata, vivo eo qui donavit.

(1) Honorante, *cap. III, not. II* ; Schmalz., *I, XI, n.* 53.
(2) Schmalz., *l. c.*

Injustum, quod non jure, idest non servata juris forma, factum est, ut puta hodie donatione privato instrumento confecta... *Obnoxium restitutioni*, scilicet in integrum, veluti si a minore sit constitutum, vel dolo aut vi extortum : *resolutioni*, ut puta si ab eo constitutum sit, qui constitutionis tempore liberos non habebat ; vel ex praediis emptis cum pacto revenditionis, quamdiu tempus retractui jure vel pacto definitum non effluxerit... ».

Etiam Benedictus XIV, in *Inst. Ecc. XXVI*, *n.* 14, falsitates et fraudes quas Conc. Trid. et S. C. vetant, describit his verbis : « Sequitur nec legitima, nec juri canonico congruentia ea patrimonia judicari quae ex bonis ad alium vel integre vel magna ex parte spectantibus conficiuntur ; ita ut ordinatus eos fructus annuos percipere nequeat, qui a synodo statuti fuerunt ; quod pariter de illis bonis statuendum est, quae adjecto redimendi pacto prius divendita fuerant, celatis aut conventionibus aut contractu. Postremo a sacris sanctionibus aliena sunt ea patrimonia, in quibus expressa vel tacita conventio intercedit, ut fundi possessio semper ad eum pertineat, qui ratione solum patrimonii eumdem fundum contulit, sive ut ordinatus nullos fructus vel illorum tantum partem ex eo fundo desumat, licet publicae tabulae obsignatae contrarium declarent. Nemo quippe non videt fraudem quae objicitur, cum de re gravissima negotium habeatur. Disceptatur etiam utrum parens omnia sua bona filio pro suscipiendis ordinibus legitime assignare possit, licet partes haereditatis, quae ceteris liberis jure naturae debentur, hoc pacto ipsis auferantur ; deinde utrum id parens exequi possit, si unicum habeat filium, eamque conditionem interponat ut sibi ad vitae necessaria suppeditentur. Primum quidem, cum detrimentum reliquis filiis inferatur, nulla ratione permittitur ; secundum vero legitimum haberi nequit, nisi in bonorum resignatione omnia singillatim explicentur, ut illorum summa fructusque annui deprehendantur, atque inde, quid ordinato ad vitam sustentandam libere supersit, certo probetur ».

603. Hinc in constitutione tituli ordinationis vetitum est pactum de fructibus beneficii aut patrimonii non percipien-

dis vel restituendis, de beneficio aut patrimonio resignando ante mortem et provisionem ordinati, etc. Innocentius III, in *cap.* 37, *De simonia*, ait illum, qui ut beneficium obtineret pro sua subdiaconatus ordinatione, promiserat se fructus non esse percepturum, non posse sine dispensatione ad superiores ascendere, nec in suscepto ordine ministrare. Haec suspensio post const. *Apostolicae Sedis*, in qua non legitur, cessavit ; sed titulus beneficii, taliter constitutus, non foret canonicus. Idem repetas de titulo patrimonii sub analogis conditionibus. D'Annibale, *l. c.*, *n.* 143, de patrimonio subdit (idemque applices etiam beneficio et pensioni) : « Si constitutum fuerit sub conditione ne fructus a constituente decedant, vel ut ad ipsum redeant, ordinato adhuc vivente, nec aliter proviso, haec conditio, si apposita est, inscio episcopo, pro non scripta erit ; sin consentiente, actum vitiat ». Prima pars clare patet ex responsione data a S. C. C. die 11 *Maii* 1599, relata a Benedicto XIV, in *cit. Inst. Ecc. XXVI*, *n.* 18, qua declaravit has pactiones prohibitas decreto Conc. Trid., *cap. II, sess. XXI*, nec juramento firmari. Altera pars ex eo eruitur, quod talis conditio foret contra naturam tituli ordinationis.

604. Tandem ex dictis sequitur etiam inservire non posse pro canonico ordinationis titulo pensionem, patrimonium, beneficium, aere alieno gravatum, aut hypotheca affectum ; exinde enim contingere posset ut ordinatus honesta sua sustentatione careat (1). Excipe, si hypotheca, vel aes alienum hujusmodi est, ut in omni casu honesta sustentatio ordinato sarcta tectaque certe sit.

605. Dummodo autem reditus sint *sufficientes* et *perpetui*, juxta superius explicata, indifferens prorsus est quod beneficium sit simplex vel duplex, residentiale vel non residentiale, liberae collationis vel juris patronatus, et etiamsi beneficium non habeat alios reditus praeter distributiones (2). Potest esse beneficialis titulus ordinationis etiam commenda sive perpetua sive vitalitia pro vita commendata-

(1) Vecchiotti, *III, VIII*, § 28 ; Honorante, *cap. III, not. III.*

(2) Honorante, *cap. III, not. II* ; Giraldi, *p. II, sect.* 54 ; Barbosa, in *Conc. Trid., sess. XXI, cap. II, de ref.*

rii (1) ; imo etiam coadjutoria perpetua cum futura successione, dummodo interim coadjutori congrua portio a coadjuto assignetur ex fructibus praebendae (2) ; et etiam hospitale, et cappellania ecclesiastica sive perpetua sive vitalitia, idest pro sola vita ordinandi, etsi conferatur ad praesentationem laicorum (3) ; item praestimonia quae inter beneficia esse recensenda non amplius dubitari potest post S. Pii V const. *Ex proximo Lateranensi*, 20 *Sept.* 1571.

E contrario beneficium manuale nequit inservire pro ordinationis titulo, nisi ea lege conferatur, ut possessor non removeatur a munere suo, donec vita fungatur aut saltem donec de alio titulo canonico provideatur (4) ; item nec cappellania mere laicalis quae beneficii nomen nullatenus meretur, licet possit esse titulus patrimonialis (5) ; item nec coadjutoria temporanea sine futura successione, etiam assignata congrua redituum portione. Utrum et quaenam pensio beneficialem ordinationis titulum constituere queat, vide *n. 593*.

606. Pariter indifferens prorsus est quod patrimonium constituatur in bonis frugiferis stabilibus et certis, vel in rebus quae immobilibus aequiparantur (6). Ita potest esse titulus patrimonii cappellania laicalis, vitalitia, perpetua, et etiam amovibilis, dummodo qui nominandi jure potiuntur, fidem suam, episcopi interposita auctoritate, praestiterint, capellanum non esse revocaturos, donec vita fungatur, aut saltem donec de congruo beneficio, vel patrimonio provideatur (7). Confirmatur exemplo *patrimoniorum sacrorum*, quae in nonnullis regionibus frequenti in usu sunt. Patrimonia sacra dicuntur piae quaedam fundationes a testatoribus institutae ut certo cuidam personarum coetui adjudicentur ad sacros ordines suscipiendos. Sunt igitur haec

(1) Garcias, *De beneficiis*, *p. II*, *cap. IV*, *n.* 10.
(2) Garcias, *l. c.*, *n.* 7 ; Honorante, *l. c.* ; Giraldi, *l. c.*
(3) Honorante, *cap. VIII*, *not. VIII* ; Giraldi, *l. c.*
(4) Vecchiotti, *l. c.* ; Sanchez, *Cons. Mor.*, *lib. VIII*, *cap. I*, *dub.* 25, *n.* 5.
(5) Honorante, *cap. VIII*, *not. V.*
(6) Engel, *Coll. Jur. Can.*, *I*, *XIV* ; Vecchiotti, *l. c.*
(7) Ben. XIV, *Inst. Ecc. XXVI*, *n.* 11.

patrimonia sacra verae cappellaniae laicales in eum finem institutae ut clericis pauperibus titulum pro sacra ordinatione suppeditent. Hinc in genere illam conditionem adnexam habere solent, ut cappellanus, ubi primum aliter provisus fuerit, ipso jure a cappellania excidat, quae alteri clerico conferatur (1). Pariter titulus patrimonii esse potest officium vacabile, cujus fructus libere pertineant ad ordinandum (2). Item bona in hunc finem ab alio in forma juris valida donata (3). Si autem quaeras, num patrimonialis titulus esse valeat census, respondemus cum distinctione. Nam quoad censum realem omnes hoc admittunt ; census vero personalis reducitur ad obligationem persolvendi reditus ordinato, de qua infra. Sed si census est redimibilis, debitor promittere debet vel se censum non redempturum, vel sortem apud virum probum ac fidelem depositurum, ut iterum in novis censibus aut praediis collocetur (4) : quae tamen promissio in nostra civili legislatione hodie nullius momenti foret (5). Hinc titulus ordinationis constitui potest ex censibus publicis (*rente publique*) (6). Tandem notamus nil vetare quominus bona patrimonialia, ordinationis titulum praebentia, sita sint in alia dioecesi, ut reposuit S. C. C. in *Lauretana*, 6 *Dec.* 1749.

E contrario non possunt pro ordinationis titulo inservire proventus qui ex industria et honesto labore comparantur, e. g., si promovendus esset pictor, magister, etc. ; ii enim proventus in variis casibus et multis ex causis deficere possunt, atque ita declaravit etiam S. C. C. in *Seguntina*, *mense Oct.* 1589 (7). Nec bona mobilia aut semoventia, quae perire facile queunt, ut declaravit etiam S. C. C. die 29 *Nov.*

(1) Lucidi, *tom. I, n.* 400, *pag.* 450.
(2) Lucidi, *l. c.*, *pag.* 454, *n.* 409 ; S. C. C. in *Romana seu Nepesina, Patrim. eccl.*, 27 *Jun.* 1711.
(3) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 13, citans S. C. C.
(4) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 12 ; Lucidi, *l. c.*, *pag.* 454, *n.* 408 ; S. C. C. in *Nullius*, 21 *Jun.* 1629.
(5) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 26.
(6) D'Annibale, *l. c.*
(7) Schmalz., *l. c.*, *n.* 56 ; Garcias, *De beneficiis*, *p. II, cap. V*, *n.* 125 ; Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 7.

1670 (1). Nec obligatio personalis alendi clericum quoad provideatur, quamvis regia, prout in terminis a S. C. C. definitum fuit die 8 *Jun.* 1704 (2); nisi haec obligatio personalis firmetur congrua cautione (3). Haec vero cautio sufficit ut sit tantum instrumentaria, si obligatio assumatur a personis principibus, a magistratibus et a communitatibus; requiritur autem ut sit realis, assignata videlicet re libera et frugifera, si haec obligatio assumatur a personis privatis piis ac divitibus (4). Putamus autem in hoc casu sufficere etiam cautionem hypothecae, nisi episcopus sit qui seipsum obligans hypothecam offerat super bonis mensae episcopalis (5), quia haec hypotheca non afficeret successorem. Insuper notandum est, quod si monasterium vel ecclesia hunc titulum dederit, consensus capituli debebit accedere; cum secus successor in dignitate promissione antecessoris minime obligaretur (6). Nec pro ordinationis titulo idonea esset futura patris haereditas, quae donec delata non fuerit, nullum haeredi parit emolumenta (7) : vide etiam doctrinam Benedicti XIV, cujus verba dedimus *n. 602*. Nec bona, in quibus ordinatus habeat solum dominium directum, et alter utile; quia cum nullos fructus inde percipiat, nihilominus pauper erit (8).

607. Item nil interest quod pensio sit perpetua an vitalitia, scilicet saltem duratura ad vitam pensionarii. Hinc sufficit etiam portio seu participatio, quam ex alicujus ecclesiae, praesertim receptitiae, reditibus percipiunt ii qui eidem adscripti sunt. Pignatelli, *Cons. Can.* 77, *tom.* 5, *n.* 34, docet S. C. EE. et RR. de mandato Clementis VIII saepius rescripsisse has portiones seu participationes legitimum ordinationis titulum afferre, si haec verificentur, scilicet:

(1) Schmalz., *l. c.*, *n.* 55 ; Vecchiotti, *l. c.* ; Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 8.
(2) Riganti, *Reg. XXIV Canc. Apost.*, § *V*, *n.* 122 ; D'Annibale, in *const. Apostolicae Sedis*, *n.* 143, *not.* 27.
(3) Ben. XIV, *l. c.*, *n.* 11.
(4) Schmalz., *l. c.*, *n.* 57.
(5) Lucidi, *tom. I*, *pag.* 458, *n.* 419 ; S. C. C. in *Suanen.*, 28 *Jul.* 1838.
(6) Schmalz., *l. c.*, cum aliis.
(7) Lucidi, *l. c.*, *pag.* 457, *n.* 416 ; Schmalz., *l. c.*, *n.* 56 ; Folium S. C. C. in *cit. Brugensi*.
(8) Schmalz., *l. c.*, cum aliis.

« quod reditus sint fundati super rebus stabilibus et tutis ; quod numerus participantium sit certus ; et pars, cuique contingens, tanta quae sufficiat ad congruam sustentationem; quod taliter ordinati intelligantur obligati illi ecclesiae tamquam beneficiati ejusdem ; quod permitti possint ad celebrandum, licet patrimonium amiserint per antiqua debita ; quod iis sufficiens seu congrua pars negari non possit, donec vixerint, modo velint inservire ; quod illis detur ad instar distributionum quotidianarum, etiam quando sunt impediti sine propria culpa, puta propter infirmitatem ; secus si voluntarie absint, etiam studiorum causa ». Imo ipse Sixtus V in decreto diei 28 *Febr.* 1590 tradit : «... Possint episcopi promovere clericos adscriptos ad participationem massae communis alicujus ecclesiae, dummodo isti permaneant servitio mancipati, et participatio sit in fructibus bonorum stabilium, et redituum certorum tutorumque, quique satis sint congruae eorum sustentationi, ita tamen ut proportionatus redituum numerus praefiniatur qui excedi nequeat, ac promovendi pro eo tempore quo de massa communi participare non poterunt, securitatem pro alimentis obtineant ope publici contractus ».

Hinc intelligitur responsio S. C. C. in *Chiapensi*, 21 *Jun.* 1879. Fideles in Mexicana Ecclesia quasdam determinatas praestationes, occasione quorumdam ecclesiasticorum officiorum, parocho facere tenentur, quae dotem beneficii parochialis constituunt. Parochus ex his praestationibus portionem, in unaquaque dioecesi determinatam, illis sacerdotibus solvere debet, qui ab episcopo missi sunt in parochiam uti coadjutores ipsius parochi. Porro destinatio ad hoc aliudve officium quasi ad partem administrationis ecclesiasticae cum jure ad praefatam pensionem vel ad aliam assignandam, *titulus administrationis* appellata est. Haec praxis in Mexicana Ecclesia est immemorabilis, et sacri ordines passim hoc titulo conferuntur. Proposito dubio : « An praxis Ecclesiae *de Chiapas* clericos ad sacros ordines titulo administrationis promovendi sustinenda sit in casu » ; S. C. reposuit *affirmative*.

Attamen pensio quae ab episcopo in favorem clerici super

aliquo beneficio reservatur, pro canonico ordinationis titulo non sufficit; quia nequit esse perpetua, sed pendet illius duratio a vita titularis qui pensionario praecedere potest (1).

608. Tandem Conc. Trid., *l. c.*, statuit clericum non posse resignare beneficium, cujus titulo promotus fuit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. Propositis dubiis: « 1° An ordinatus ad titulum beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere se fuisse ad illius titulum ordinatum; 2° An haec individua expressio suppleatur per assertivam: *Forsan ordinatus;* 3° An constare debeat per probationes concludentes resignantem habere quo commode vivere possit; 4° An haec probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis; 5° An resignans teneatur aliud beneficium habitum, vel alia bona subrogare beneficio resignato; 6° An haec subrogatio facienda sit per episcopi declarationem »; S. C. reposuit in *Lancianen.*, 9 *Febr.* 1726: « Ad 1^{um} affirmative; Ad 2^{um} negative, et ad mentem: mens fuit ut haec resolutio habeat locum in futuris resignationibus; Ad 3^{um}, 5^{um}, et 6^{um} affirmative; Ad 4^{um} negative ».

Pariter Trid. Conc., *l. c.*, vetat patrimonium aut pensionem sine licentia episcopi alienari, extingui, aut remitti, donec clericus promotus beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit. S. C. C. pluries declaravit titulum patrimonii, quamvis ordinatus acquirat beneficium, non extingui, nisi ab episcopo titulus beneficii subrogetur titulo patrimoniali (2). Eodem modo ordinatus absque licentia episcopi nequit bona sua patrimonialia in emphyteusim concedere (3); nec alienare pro-

(1) Folium S. C. C. in *Suanen.*, *Titulus sacrae ordinationis*, 28 *Julii* 1835; Riganti, *Reg. XXIV Canc. Apost.*, § *V*, *n.* 153.

(2) S. C. C. *die* 14 *Febr.* 1662; 12 *Jul.* 1687; in *Oretana*, *Aug.* 1604; in *Terracinen.*, 20 *Jul.* 1619; Monacelli, *op. cit.*, *tit. III*, *form.* 8, *n.* 1 et *tit. XIII*, *form.* 3, *n.* 18.

(3) S. C. C. in *Parmensi*, 20 *Jul.* 1641, cit. in folio S. C. in *Tusculana*, 5 *Apr.* 1783.

prietatem, retento usufructu (1) ; nec eadem bona aut permutare, nisi facta aliorum bonorum subrogatione (2), aut obligare sponsione, seu fidejussione : quod si fecerit, creditori licet ab eo illud tantum unice repetere quantum quotannis superest ex sumptibus necessariis pro clerici sustentatione, parca quidem, sed tamen convenienti juxta judicis ecclesiastici arbitrium. Creditor tamen potest accipere in solutionem debiti, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad ipsum creditorem, uti res haereditaria, pertinebit (3).

Porro patrimonii aut pensionis alienatio etc. facta sine licentia episcopi, et quin promotus habeat unde vivere possit, est nulla ipso jure (4) ; facta cum licentia episcopi, sed quin promotus habeat unde vivere possit, episcopo id sciente, est valida, et episcopus tenetur alimenta ordinato praestare (*n. 612*) (5) ; tandem facta sine licentia episcopi, promoto habente unde vivere possit, videtur valida, etsi illicita, et episcopus ad nihil tenetur (*cit. n. 612*).

Ceterum ordinatus resignans vel alienans etc. beneficium, patrimonium, pensionem, contra cit. Tridentinum decretum peccat quidem graviter, puniri ab episcopo potest, et cogi debet ad alterius tituli subrogationem ; sed censuras latae sententiae non contrahit (6), nec per se prohibetur in ordinibus ministrare (*n. 613*). Et Monacelli, *op. cit., tit. XIII, form.* 3, *n.* 22, advertit quod ordinati ad titulum beneficii « si delinquant, vel non resideant, vel aliud demeritum habeant, possunt, servatis servandis, beneficiis privari, non obstante, quod ad eorum titulum promoti fuerint, aut loco patrimonii subrogatis, ut pluries declaravit S. C. C. et in specie in *Firmana*, 30 *Maii* 1665, *lib.* 24 *Decret.*, *pag.* 495, *Romana*, 15 *Mart.* 1684, *lib.* 34, *pag.* 80, et *Vercellen.*, 15 *Dec.* 1696.

(1) S. C. C. *Dub. patr.*, 10 *oct.* 1676, cit. in folio dictae *Tusculanae*.
(2) S. C. C. 20 *Julii* 1619, apud Ben. XIV, in *cit. Inst. Ecc. XXVI*, *n.* 29.
(3) S. C. C. 5 *Febr.* 1604, apud Ben. XIV, in *cit. Inst. Ecc. XXVI*, *n.* 30 ; et fol. cit. *Tusculanae*.
(4) Honorante, *cap. III*, *not. II*, cum communi.
(5) Honorante, *l. c.*
(6) Honorante, *l. c.*

609. Ii igitur quos huc usque enumeravimus, sunt tituli canonici, idest a sacris canonibus requisiti pro ordinatione in sacris seu *regularium* seu *saecularium*. Deinde ex Apostolicae Sedis dispensatione pro saecularium ordinatione alii etiam tituli subsidiarii et extraordinarii inducti sunt, scilicet : titulus *missionis* pro missionariis, titulus *mensae communis* aut *congregationis*, praesertim pro alumnis congregationum religiosarum cum votis simplicibus, titulus *servitii ecclesiae*, etc. (1). Cum vero sacri canones prohibeant quempiam ex saecularibus promoveri nisi titulo beneficii aut patrimonii aut pensionis, sequitur hos neotericos titulos non posse inservire nisi pro ordinatione illorum qui hoc indultum a Sede Apostolica obtinuerunt.

610. Cum agatur de lege generali prohibente ordines sacros conferri sine titulo, episcopus nequit ab eadem dispensare et ordinare in sacris sine canonico titulo, nisi habeat apostolicum indultum : quo deficiente, recurrendum est pro dispensatione ad S. C. C. Haec dispensatio dari solet cum clausula ut *episcopus curet meliori quo potest modo eorum sustentationi consulere, ne cum ordinis dedecore mendicare cogantur*. Indultum vero solet concedi vel ad tempus determinatum, vel pro determinato numero casuum : proinde ea quae in *Tractatu canonico de matrimonio, n. 421*, dicimus de simili indulto dispensandi in impedimentis matrimonialibus, huc transferre potes.

611. Quid vero si ordinatio in sacris absque canonico titulo collata fuit sine debita dispensatione ? Conc. Trid., *l. c.*, concludit decretum : *Antiquorum canonum poenas super his innovando*. Videamus quorum canonum poenas Concilium innovaverit ; et immutationes subinde inductas.

612. In primis contra *ordinantem* est in const. *Apostolicae Sedis, art.* 3, inter suspensiones latae sententiae R. P. reservatas : « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel

(1) Vide cit. instructionem S. C. de Prop. Fide relatam *in Alleg. I* ; et folium S. C. C. in *Valentina*, 17 *Jan.* 1761, ubi plura istiusmodi indulta referuntur ; Honorante, *cap. XII, not. XII*, et *cap. XVII* per totum.

patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo ».

Praeterea ex relato (*n. 590*) *cap.* 4, et *cap.* 16, *De praebendis*, et *cap.* 37 *ejusd. tit.*, *in* 6°, episcopus ordinans tenetur promoto sine titulo alimenta praebere, donec ordinatus beneficium sufficiens consecutus non sit. Hanc canonum dispositionem Conc. Trid. relatis verbis innovavit (1), ipsaque adhuc viget. Porro episcopus hoc onere non tenetur, si non fuit in culpa, quia « res quae culpa vacat, in damnum vocari non debet », ex *cap.* 2, *De constitutionibus* ; quo in casu si alius est in culpa, e. g. archidiaconus qui praesentavit, vel coadjutor qui ordinavit, ipse tenebitur. Et si episcopus ordinans et praesentator fuerint in culpa, praesentator hoc onus habet ; episcopus autem tunc tantum, cum praesentator promotum alere nequit. At nemo tenetur, si ordinatus habeat ex sua vel paterna haereditate unde vivere possit, ex *cit. cap.* 4, *De praebendis*. Hoc onus afficit etiam episcopum proprium dantem subdito litteras dimissorias sine titulo ; et episcopum alienum, cui episcopus proprius, nullis personis expressis, in genere commisit ut vice sua ordinationes in dioecesi celebraret, ex *cap.* 37, *De praebendis*, *in* 6°. Ceterum hoc onus transit ad successores, ut tradit expresse Innocentius III in *cit. cap.* 16, *De praebendis*, quia non tam poena est in ordinantem, quam obligatio ecclesiae in ordinatum, ne hic cum ordinis dedecore mendicare cogatur (2). At si episcopus ordinans renuntiavit episcopatui, tunc ipse, et non successor tenetur alimenta praestare (3). Imo, sicut ad successorem, ita et ad haeredes quoque ordinatoris hoc onus descendit : in optione autem ordinati est hos vel illum convenire (4).

Tandem Gregorius IX, in *cap.* 45, *De simonia*, agit de casu quo episcopus ordinaverit clericum, aut alius, e. g. ar-

(1) Fagnanus, in *cap.* 16, *De praebendis*, *n.* 66.

(2) Glossa, in *cit. cap.* 16, *De praebendis*, *v. successores* ; et fusius Fagnanus, *l. c.*, *n.* 27 *sequ.*

(3) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 34.

(4) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 36 *sequ.*

chidiaconus, eumdem praesentaverit ad ordinem, sine titulo, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod alimenta non petet; et statuit episcopum esse suspensum a collatione ordinum, et praesentantem ab ordinum exercitio per triennium, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint. In const. *Apostolicae Sedis*, *art.* 2, inter suspensiones latae sententiae R. P. reservatas legitur : « Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta ». Igitur suspensio in ordinantem est limitata ; suspensio in praesentantem est suppressa.

613. Contra *ordinatum* absque titulo erat antiquo jure, ex *can.* 1 et 2, *dist.* 70, in Decreto, suspensio latae sententiae ab exercitio ordinis. Haec censura jam abrogata fuerat ex *cap.* 4, et 16, *De praebendis*, et *cap.* 37, *ejusd. tit.*, *in* 6°, ubi ne verbum quidem de eadem, dum ordinatori imponitur onus alendi promotum sine titulo (1). Eadem suspensio in *cap.* 37, *De simonia*, et *cap.* 45, *ejusd. tit.*, ubi Sedi Apostolicae reservatur, statuitur in clericum, qui promotus sine titulo promisit se alimenta non petiturum. Jam vero Fagnanus, *l. c.*, *n.* 63 *sequ.*, ostendit Conc. Trid. relatis verbis innovavisse antiquam suspensionem *can.* 1 et 2, *dist.* 70, in Decreto, tantum pro casu, quo clericus, adhibito dolo confictoque titulo, ordinatorem deceperit ; et dubitandum minime est innovavisse quoque suspensionem *cit. cap.* 37 et 45, *De simonia*. Has, inquam, censuras Concilium non tulit directe, sed tantum indirecte, canones illas irrogantes innovans. Cum igitur eae censurae in ordinatum sine titulo in const. *Apostolicae Sedis* minime legantur, sequitur eas fuisse abrogatas : et inde fit quod nostris diebus non amplius Sedes Apostolica aditur pro absolutione censurarum (2). Proinde ordinatus sine titulo peccat per se graviter, potest et debet juxta culpam ab episcopo puniri, sed poenas latae sententiae non contrahit, et nec per se prohibetur ab ordinum exercitio, sive bona sive mala fide ordines

(1) Fagnanus, in *cit. cap.* 16, *De praebendis.*, *n.* 19, 63 *et* 68.
(2) De Angelis, *I*, *XI*, *n.* 8 ; D'Annibale, *I*, § 412, *not.* 42.

susceperit. Haec confirmantur ex his quae habet S. C. de Prop. Fide in instructione relata in *Alleg. I, n. 11 sequ.*; sed pro professis regularibus hodie vide decretum S. C. EE. et RR. quod *n. 588* dedimus.

614. Tandem quaeritur num contra legem huc usque explicatam, quae titulum canonicum pro saecularium ordinatione in sacris exigit, inolescere possit consuetudo. Haec consuetudo viget in pluribus Galliae dioecesibus juxta Icard, *n.* 324, imo in tota Gallia juxta Bouix, *De episcopo, p. V, cap. XV, § VIII* ; ubi presbyteris senibus aut infirmis providetur *par les caisses de retraite, les caisses diocésaines*, vel alio modo. Jam vero in responsionem negativam propendet Vecchiotti, *tom. III, cap. VIII*, § 29 ; nec immerito, ni fallimur, cum haec consuetudo, utpote legem subvertens latam ad dedecus status clericalis impediendum, videatur irrationalis. Illud certum est, RR. CC. nullam rationem habere hujus consuetudinis ; sed vel urgere observantiam legis, vel dispensationem vel dispensandi indultum elargiri. Igitur tutius est ut episcopi hoc indultum obtineant pro casibus quibus ecclesiarum necessitas aut utilitas aliud exposcat.

SCHOLION

Quid juris si episcopus aliquem ad sacram ordinationem admittere recusat.

615. Huc usque vidimus quaenam persona admitti possit et debeat ad sacram ordinationem, nempe quae a Deo vocatur et nullo detinetur impedimento sive dirimenti sive impedienti, idest censura, irregularitate, impedimento simplici. Dices : Si nonnisi hae personae admitterentur, deficerent profecto in Ecclesia ministri. Respondemus in primis memoria esse retinendum Ecclesiam nolle clericos otiosos vagosque, et ideo prohibere clericos assumere nisi pro necessitate aut utilitate ecclesiarum dioecesis, ut supra exposuimus. Jam vero, uti observat S. Thomas, in 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 3, *qu.* 4, *ad* 1^{um} : « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni

repellerentur. Et si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut dicit beatus Clemens, etc. (1) ».

616. Quid vero si episcopus candidatum qui affirmat se a Deo esse vocatum, et publice dignus est, repellit? Distinguendum est inter jus Decretalium et jus Tridentinum ; et in jure Decretalium distinguendum est inter candidatum saecularem et candidatum regularem, idest professum votorum solemnium.

617. In jure Decretalium, si agitur de candidato *saeculari*, habetur in primis *cap.* 4, *De temp. ord.*, ubi « N. clericus adeo deliquit, quod si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab ordine quem suscepit et amplius non posset ad superiores ordines promoveri ». Quoniam vero ejus peccatum erat occultum, Alexander III mandat episcopo « quatenus poenitentiam ei condignam imponas et suadeas ut, parte poenitentiae peracta, ordine suscepto utatur, quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere ». Accedit *cap. ult. ejusd. tit.*, ubi cum quaesitum fuisset de sacerdotibus vel aliis clericis qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiae rectae perdiderunt, Gregorius IX respondet : « Si proposita crimina ordine judiciario comprobata vel alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri ; qui si non poenituerint, monendi sunt et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent ». Igitur si candidatus saecularis delictum publicum commiserat, episcopus in foro externo jure poterat ipsum repellere ; item si occultum delictum homicidii perpetraverat ex limitatione in relato *cap. ult.* introducta a Gregorio IX ; tandem si alterius delicti occulti reus erat, episcopus in foro externo poterat et debebat eum monere, sed non poterat eum re-

(1) Ben. XIV, *De syn., XI, II, n.* 2, qui canones citat idem docentes ; S. Alph., *VI, n.* 803, circa finem.

pellere ; attamen candidatus peccabat, si non obstante monitione, accedebat irretitus aliquo impedimento, e. g. irregularitate.

618. Si agitur de candidato regulari, est *cap.* 5, *ejusd. tit.*, ubi Lucius III, quoad clericos regulares qui desiderabant promoveri contra superiorum voluntatem, respondet : « Honestius et tutius est subjectis debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum appetere dignitatem. Nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum : quoniam esse potest quod praelati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis quod, salva conscientia, nequeunt sublimari ; quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei ». Proinde superior regularis poterat suum subditum regularem etiam propter causam occultam quamcumque ab ordinibus prohibere.

619. Conc. Trid., *sess. XIV, cap. I, de ref.*, statuit : « Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur ». Nostrum non est heic fusius declarare hanc potestatem a Tridentino praelatis traditam ferendi suspensiones ex informata conscientia, uti aiunt, circa quam sunt plures quaestiones ; sed potius insistimus in potestate eisdem praelatis facta interdicendi ascensum ad sacros ordines, quae facilior est.

620. Ex dictis jam patet, et S. C. C. apud Fagnanum, in comm. *cit. cap. 4, n.* 12, expresse etiam declaravit, relatum decretum Tridentinum correxisse dispositionem *cit. cap. 4*, in ea parte in qua determinat criminosum occultum

esse tantummodo commonendum, sed non prohibendum ascendere ad superiores ordines ; et dispositionem *cit. cap.* 5, quod de regularibus loquitur, extendisse etiam ad clericos saeculares relate ad suos praelatos ; et ampliavisse in eo quod praelatus non solum potest ob crimen occultum prohibere ascensum ad ordines, sicuti quoad regulares concedit *cit. cap.* 5, sed etiam potest ordinatos suspendere ab ordinibus, gradibus et dignitatibus jam susceptis, quod nec superioribus regularibus nec aliis praeter R. P. antea licebat. Hinc praelatus non solum potest subditis saecularibus interdicere ascensum ad ordines sacros proprie dictos, idest acolytho ascensum ad subdiaconatum, subdiacono ad diaconatum, diacono ad presbyteratum (1) ; sed etiam potest eisdem prohibere ascensum ad primam tonsuram et minores ordines, quia superior regularis, vi *cit. cap.* 5, id poterat in ordine ad suos subditos regulares. Igitur illud *ad sacros ordines* Conc. Trid., lato sensu accipiendum est ; nec mirum, cum Tridentinum, *l. c.*, concedat praelatis favorem ad saecularium indignorum promotionem impediendam.

621. Nomine autem *praelatorum* in prima parte decreti Tridentini veniunt omnes quorum est ordinare vel dare litteras dimissorias ; ii enim sunt *praelati*, idest clerici jurisdictionem ordinariam in foro externo habentes ; et quoniam Tridentini scopus fuit removere ab ordinatione indignos, dicendum est omnes istos praelatos sub suo decreto comprehendere. Ceterum cum idem sit contextus inter utramque decreti partem, iidem intelliguntur nomine praelatorum in prima parte qui in altera, et viceversa. Igitur potestatem, de qua nos agimus, certe habet *episcopus*. Item *superior regularis*, ex ipsomet *cit. cap.* 5 ; insuper superiorem regularem habere potestatem ferendi suspensiones ex informata conscientia, declaravit etiam S. C. C., apud Giraldi, *part. II*, *sect.* 43. Item *abbas nullius*, non solum quoad subditos regulares, quod ex dictis patet, sed etiam quoad subditos saeculares. Item *capitulum* et *vicarius capitularis*, sede vacante, tum ob rationem allatam, tum quia haec potestas episcopi est ordinaria, quae transiit ad capi-

(1) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 13 *sequ.*

tulum, cum contrarium in jure cautum non sit. Confirmatur ex sequenti responsione S. C. C. in *Bononien.*, ex archivio S. C. desumpta, *lib. XIX Decret., pag.* 416 : « Supplicat declarari an Ordinariis locorum vigore facultatis sibi concessae a S. Conc. Trid., *sess. XIV, cap. I, de ref.*, liceat ob legitimas causas suspendere etiam extrajudicialiter clericos et presbyteros saeculares etiam parochos sibi subditos, sublata eis facultate appellandi ». S. C. reposuit, 14 *Nov.* 1654 : « *Ordinariis*, ut supra, licere ». Atqui capitulum et vicarium capitularem venire nomine *Ordinariorum*, nemo ignorat. Tandem *vicarium generalem*, quando potest litteras dimissorias concedere, posse easdem ex informata conscientia denegare, non dubitamus ; sed tandem ad episcopum pertinebit candidatum admittere vel non ad ordines.

622. Hi igitur praelati possunt suis subditis ascensum ad sacros ordines interdicere *ex quacumque causa*, *etiam ob occultum crimen*, *quomodolibet*, *etiam extrajudicialiter*, ut ait Conc. Trid. Haec amplissima verba nullam patiuntur difficultatem. Cum dubitatum fuerit utrum prohibitio et suspensio hujusmodi esse possent perpetuae, die 3 *Febr.* 1593, S. C. reposuit : « *Cap. I, scss. XIV, de ref.*, habere locum in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis » (*lib. VII Decret., pag.* 89, in *Nullius*). Et quidquid sit de suspensione, prohibitio certissime ferri potest etiam viva voce tantum, negando ordinationem vel litteras dimissorias, absque ulla praevia monitione. Interdictus autem nequit deinde, tacito hoc interdicto, ordinationem vel dimissorias ab alio Ordinario proprio petere, quia id esset agere in fraudem legis. Praelatus debet quidem habere graves repulsionis causas, graviores si agitur de provisis aliquo beneficio, aut constitutis in aliquo clericali gradu ; sed non tenetur eas manifestare candidato ; cui non competit proprie dicta appellatio, cum hoc interdictum non sit judicialis sententia, sed recursus ad Sedem Apostolicam, ut pluries S. C. C. declaravit : insuper successor praelati potest utique interdictum revocare et candidatum admittere, sicuti de vicario generali in ordine ad episcopum

supra diximus. At clerico arctato ratione beneficii (*n. 637*) competeret appellatio. Ad rem Card. Petra in *comm. const. unicae Urbani II, sect. I, n.* 18 (*tom. I*) : « Procedendum est cum distinctione. Aut promovendus est arctatus ad suscipiendos ordines, puta ratione alicujus beneficii ad se spectantis et cui sit adnexus sacer ordo, et tunc quia implicite esset privare eum tali beneficio, daretur appellatio seu recursus ad superiorem : et in hoc casu tenetur episcopus concludenter probare causam rejectionis. Secus vero si agatur de non arctato... Hoc certum est quod in arctatis potest Nuntius seu Legatus a latere, Primas aut Metropolitanus cognoscere de gravamine ». Vide etiam Monacelli, *p. I, tit. IV, form.* 2, *n.* 11 *sequ.* et Bouix, *De episcopo, p. V, cap. XV,* § *VI.*

623. S. C. C. hujusmodi negotia remittere solet ad Metropolitanum. Ita cum Card. Antonius Barberinus archiepiscopus Remensis, apostolica limina visitans, hac ipsa de re S. C. C. sententiam sciscitavisset, S. C. respondit die 21 *Apr.* 1668 : « Cum nullus ordinari debeat, quem episcopus suae ecclesiae utilem aut necessarium non judicaverit, S. C. non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quae, juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII f. r. approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare, metropolitano aut viciniori episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis ; quo legitimam non allegante, licet illi eumdem ordinare. Itaque, si qui ex dioecesanis episcoporum Eminentiae Vestrae provincialium Sedem Apostolicam adiverint, juxta praenarratam formulam eorum quaerimoniis consuletur ; cui formulae ut unum in praesens addatur, censuerunt expedire EE. PP., videlicet ut metropolitanus aut vicinior episcopus, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent ut illi denuo apud suos episcopos per tres vices suppliciter petant (1) ». Remittere, inquam, solet S. C. hujusmodi negotia ad Metropolitanum, qui proinde ea expedit potestate delegata. At interdicto non

(1) Ben. XIV, *De syn., XII, VIII, n.* 4.

est jus appellandi a sententia sui praelati ad Metropolitanum, ut supra dictum est, et expresse declaravit S. C. C. in *Lucionen.*, *Suspensionis et appellationis*, 8 *Apr.* 1848. Praeterea aliquando hujusmodi negotia ipsa S. C. directe expedit.

624. Praelatus tenetur S. C. aut Metropolitano qui ejus vices gerit, rationes interdicti exponere. Hac in re duo vitanda sunt, nempe ut idoneus repellatur ob irrationabilem praelati oppositionem, et ut non-idoneus admittatur contra rationabilem praelati voluntatem. « Le Saint-Siège, dit Stremler, *Des peines ecc.*, *pag.* 338, ne reçoit pas comme légitimes ces accusations vagues qui ne sont pas appuyées sur des faits, comme serait par exemple de reprocher à l'aspirant qu'on repousse des ordres, de n'avoir pas l'esprit, la tournure ecclésiastique, d'être léger dans sa conduite, de n'avoir pas de vraie vocation, d'avoir mauvais caractère, et d'autres généralités de ce genre. Mais il faut citer des faits, des actes, desquels résulte la preuve de l'absence des vertus requises dans un ecclésiastique, ou de la présence des vices qui rendent dangereux ou inutile à l'église l'aspirant à qui l'on a cru devoir refuser l'admission aux saints ordres ». At necesse non est ut praelatus actus et facta probet judicialiter (1) ; e. g. satis esset si praelatus citaret actum vel factum coram se a candidato commissum. S. C. C. in *Lucana*, *Ordinationis*, 5 *Jul.* 1749, reposuit oratorem debere *recurrere humiliter ad archiepiscopum*, qui ipsum a presbyteratu interdixerat ; eamdemque dedit responsionem in *Asculana*, *Ordinationis*, 21 *Apr.* 1792.

SECTIO II

De intentione in subjecto sacrae ordinationis necessaria.

Articulus I

De intentione necessaria pro valida ordinatione.

625. Determinata persona ad ordines assumenda, modo juxta ea quae diximus, *n. 108*, videamus de intentione

(1) Honorante, *cap. III, not. IV.*

quam haec persona habere debet in primis pro validitate ordinationis, quo nomine hic comprehendimus etiam primam tonsuram. In qua materia sacramentum ordinis sequitur alia sacramenta et praesertim sacramentum baptismi, quia utrumque sacramentum et characterem imprimit et gravia onera ac jura infert; quod verum est etiam in gradibus non hierarchicis, quia in ipsis instituendis Ecclesia imitata est oeconomiam juris divini.

626. Igitur pro validitate ordinationis in subjecto adulto quod usum rationis obtinuit, requiritur intentio recipiendi ordinationem ; sicuti pro validitate baptismi aut alterius sacramenti requiritur intentio recipiendi sacramentum de quo agitur. Haec est doctrina communis, reprobata opinione Cajetani, in *D. Thomam*, *p.* 3, *q.* 68, *a.* 7, putantis ad valorem baptismi satis esse intentionem neutralem, nempe quod baptizandus neque consentiat, neque dissentiat (1). Ad rem S. Thomas, in 3 *p.*, *q.* 68, *a.* 7, *ad* 2^um^ : « Si in adulto deesset intentio recipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum : *Si non es baptizatus, ego te baptizo* ». Vide etiam verba ejusdem Angelici relata *n. 628*. Ratio theologica est quia obligationes positivae et individuales imponendae adultis non sunt sine eorum consensu ; et ideo nec Christus D. pro gradibus hierarchicis, nec Ecclesia pro aliis voluerunt adultum post semel adeptum usum rationis clericalibus obligationibus adstringi, nisi positive consentiret ; et statuerunt promotionem clericalem esse nullam, deficiente in eodem adulto hac positiva voluntate. Quod autem Christus D. et Ecclesia ita statuerint, confirmatur etiam ex communi auctorum doctrina. Haec eadem ratio affertur etiam pro sacramento baptismi a Benedicto XIV, in const. *Postremo mense*, 28 *Febr.* 1747, § 43, et ab Innocentio III in *cap.* 3, *De baptismo*, § *ult.*, praeter aliam rationem quam habet D. Thomas, *l. c.*, in corpore art.

627. Si autem quaeras quaenam intentio requiratur et sufficiat, respondemus cum communi requiri saltem habi-

(1) Ben. XIV, *De sacrificio Missae*, *III*, *X*, *n.* 8 *sequ.*

tualem, idest intentionem aliquando habitam, non retractatam, licet neque actu neque virtute hic et nunc adsit. Hinc non est necessaria intentio actualis, aut virtualis, sicuti est necessaria in sacramentis poenitentiae et matrimonii. Exinde sequitur immerito prorsus ex hoc capite scrupulis torqueri eos qui ad recipiendos ordines aut tonsuram accesserunt, et deinde in actu promotionis distracti de alia re cogitaverunt : nam ipsi evidenter virtualem habuerunt intentionem, et ex dictis sufficit habitualis. Insuper haec intentio potest esse etiam implicita, idest contenta in alia intentione ; e. g., si quis ignorans utrum et quid sit ordinatio, vult fieri Ecclesiae minister ; aut vult gradum superiorem, et de facto ei datur gradus inferior nondum receptus ; imo etiam si modo vult gradum inferiorem, et de facto ei datur superior, dummodo habeat positivam voluntatem ulterius pergendi. At hanc voluntatem implicitam recipiendi ordinationem non contineret intentio seu propositum vivendi christiane ; et ideo haec intentio non sufficeret pro validitate ordinationis, sicut sufficit pro validitate sacramentorum baptismi, confirmationis, eucharistiae et extremae unctionis.

628. E contrario si contingeret ordines seu minores seu sacros infanti conferri, « concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est validam, sed illicitam (ordinanti) censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in episcopo ordinante, non attenta contraria sententia quae raros habet asseclas et quae supremis Tribunalibus et Congregationibus Urbis numquam arrisit ». Ita Benedictus XIV, in const. *Eo quamvis tempore*, 4 *Maii* 1745, § 20, qui deinde exponit quid juris de obligationibus adnexis ordinationi in sacris ; de qua re vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n. 586*. Insuper haec doctrina colligitur aperte ex *cap. un.*, *De clerico per saltum promoto*. Cum enim ordinatio hierarchica imprimat characterem, induit naturam sacramentorum baptismatis et confirmationis quae infantibus valide conferuntur ; in aliis autem gradibus instituendis Ecclesia, ut supra dictum est, imitata est oeconomiam juris divini. Haec quae de infantibus diximus, repetenda sunt de

illis adultis qui usum rationis numquam assecuti sunt. Ad rem S. Thomas, in 4, *dist.* 6, *q.* 1, *a.* 2, *q.* 3 : « In adultis et in habentibus usum rationis in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur et contritio sive devotio ad percipiendam rem sacramenti et intentio vel voluntas ad recipiendum sacramentum. In pueris autem absque utroque percipitur et sacramentum et res sacramenti ; et similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, non actu ».

629. Ex dictis colligi debet quid dicendum de validitate ordinationis *dormientis ac ebrii, mentecapti, surdi-muti-caeci, coacti per vim aut per metum, ludentis, ficti.* De singulis breviter.

630. 1° Ad ordinationem *dormientis* aut *ebrii* quod attinet, supponimus dormientem aut ebrium esse adultum rationis usum assecutum. Jam vero si antequam in somnum aut ebrietatem inciderit, habuit intentionem recipiendi promotionem clericalem eamque intentionem non revocavit, promotio est valida, quia habetur intentio habitualis quae sufficit ; secus est irrita, quia nulla intentio adest. Et multo magis foret irrita, si promotus antea positive contradixisset. Haec eadem solutio datur ab Innocentio III, in *cit. cap.* 3, *De baptismo*, § *ult.*, pro baptismate collato adulto dormienti.

631. 2° *Mente captus* est vel amens, qui insanit circa omnia, vel demens, qui circa unam vel alteram rem tantum. Amens ab infantia aequiparatur infanti ; amens factus post adeptum usum rationis aequiparatur dormienti. Igitur illius ordinatio est valida ; hujus ordinatio est nulla, nisi antequam in amentiam incidisset, habuerit intentionem recipiendi ordinem. Ita Innocentius III, *l. c.*, quoad baptismum. Quod si ordinatio conferatur in lucido intervallo, est perinde ac si ordinaretur adultus compos sui. Demens aequiparatur amenti in his quae ad dementiam ipsius pertinent ; in aliis aequiparatur ratione utenti (1). Proinde si dementia sit circa ordinationem, repete quae de amente diximus ; si circa aliam

(1) D'Annibale, *I*, § 31.

rem, ordinatio valet, dummodo in subjecto fuerit saltem habitualis intentio. At nostris diebus non desunt medici, his miseris curam praestantes, qui contendunt eamdem vim esse dementiae et amentiae, et amentem non esse sui compotem ne in lucido quidem intervallo (1). Stupidi autem seu fatui, si non habent mentis discretionem, sunt infantes ; secus sunt ratione utentes.

632. 3° *Surdi-muti-caeci* simul a nativitate accensentur infantibus. Surdi-muti simul etiam a nativitate, si instituti sunt, habent usum rationis ; secus valde incertum est utrum infantibus an potius ratione pollentibus aequiparari debeant. Tandem qui sunt tantum vel muti, vel caeci, vel surdi, usu rationis non carent. Ex his judicium ferri potest de validitate aut invaliditate ordinationis horum omnium.

633. 4° Fusius de promotione hominis *coacti* vi physica, vel vi morali seu metu.

Promotio hominis vi physica coacti et prorsus reluctantis, e. g., si Titius ab aliis detinetur dum episcopus manus eidem imponit, profecto est non solum gravissime illicita ex parte ministri et ex parte cogentium, sed insuper est manifeste irrita, quia, ut ait Innocentius III, *l. c.*, agens de baptismo, « plus est expresse contradicere, quam minime consentire » ; ac proinde si promotio est irrita sine positivo consensu, prouti supra diximus, a fortiori erit irrita cum positiva contradictione. At promotio foret valida, si promotus, licet externe reluctans, tamen interne consentiret, quia intentio necessaria adesset ; secus ac in matrimonio in quo ratio contractus exigit ut internus consensus externe quoque manifestetur (2).

634. E contrario si quis ex metu quocumque, ne detrimentum aliquod patiatur, caput manibus episcopi supponit, promotio erit illicita ex parte cogentium, si metus est injustus, sed est certe valida, quia metus quicumque minuit, sed non excludit voluntarium, prouti resolvit etiam

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not.* 18, 3ª *edit.*
(2) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n.* 805.

Innocentius III, *l. c.*, pro baptismo. At si metus fuit gravis, promotus non tenetur in foro ir terno obligationibus clericalibus caelibatus et breviarii, nisi ordinationem tacite vel expresse ratam habuerit; quae doctrina post ea quae habet Benedictus XIV, *De syn.*, *XII*, *IV*, *n.* 2, vix non certa est. In foro autem externo ordinatio praesumitur rite facta, donec aliter probetur : et ideo cum in foro externo metus gravis difficilis sit probationis, hinc S. C. C. in hujusmodi causis solet pro majori securitate respondere locum esse adeundi Pontificem pro dispensatione (1). Praestat ut in duobus casibus hujus moralis coactionis parumper insistamus.

635. Primus casus verificatur quando parentes aliive in juvenem auctoritate pollentes, ut reditibus beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum perfruantur, paternum patrimonium non dividatur, et unio inter alios fratres servetur, praesertim si juvenis a natura infelicem physicam constitutionem aut obtusam intelligentiam sortitus sit, ipsum suasionibus aut minis adigunt tonsuram recipere et deinde sacris ordinibus se mancipari. Duo certissima sunt : nempe ex una parte parentes pie agunt, si filium Deo offerunt (*n. 485*) et deinde educant in pietate et bonis moribus intuitu status religiosi aut clericalis, et hunc statum ipsi suaviter suadent ; sed ex alia parte parentes simul debent eidem plenissimam in statu eligendo libertatem relinquere, utrum velit Deo in professione religiosa aut in ecclesiastico ministerio servire, an potius in saeculo remanere ; et simul debent pro viribus executionem peractae electionis eidem faciliorem reddere ; nam, ut docet Clemens II, in *cap.* 14, *De regularibus*, filii post annos discretionis « liberum habent arbitrium et in electione propositi (seu status) sequi parentum non coguntur voluntatem ». Abutuntur igitur propria auctoritate et gravissime peccant quando filium renuentem et asserentem se divinam vocationem non habere, ad statum clericalem impellunt. Equidem filius deberet parentibus in faciem resistere et propriae libertatis rationes vindicare, juxta illud : *Melius est obedire Deo quam homi-*

(1) Vide cit. nostrum *Tractatum*, *n.* 587.

nibus; sed ut verbis utamur notissimis S. Augustini: « Si ipse reus quia fecit vel invitus, illi innocentes qui coegerunt ut faceret? Nullo modo ». Ii parentes impii in Deum, crudeles in filium, « immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis; et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum quos sacrificaverunt sculptilibus Chanaan » (*Psalm. CV*, 27 *sequ.*), cupiditati scilicet, avaritiae, ambitioni, aeternam filii salutem postponentes. Tandem parentibus qui Deo reservant filium quem mundus fortasse rejiciet, applicari debent quae leguntur *Malach.*, *I*, 8: « Si offeratis caecum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam ». Ad rem S. Hieronymus, in hunc locum Malachiae: « Indignum est dare Deo, quod dedignatur homo ».

636. Alter casus coactionis moralis quae aliquando parum a physica distabat, legitur in historiae ecclesiasticae monumentis, cum nempe sancti viri rapiebantur ad ordines, praesertim ad episcopatum; quorum exempla cumulat Hallier, *p. I, sect. V, cap. I, § III et sequ.* Haec coactio frequentius ex eo eveniebat quod sancti viri totis viribus sese subtrahebant ordinationi aut consecrationi episcopali propter sacerdotii reverentiam suaeque, ut sibi ipsis videbatur, ineptitudinis et imperfectionis conscientiam; et ab episcopis vel a populo sive rationibus, sive clamoribus, sive imperio, sive precibus, seu etiam minis inducebantur ut ordinationi et electioni de se factae consentirent. « Ut episcopatum suscipiant, ait S. Augustinus, *epist.* 204, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur ». Lege etiam factum quod enarravimus *n. 261*. Nihilominus haec ordinatio vel consecratio erat valida, quia illi sancti viri in voluntate episcoporum aut populi divinam tandem voluntatem recognoscere solebant, et ita ad ordinationem vel consecrationem accedebant plene consentientes; imo erat etiam licita, quia tunc temporis licitum erat idoneos taliter compellere. Haec autem disciplina obsolevit: hodie episcopus, infra Romanum Pontificem, laicum aut clericum, utcumque idoneum, potest qui-

dem suasionibus inducere ad statum clericalem amplectendum, vel ad superiores ordines recipiendos ; sed in genere eum obligare in conscientia praecepto positivo nequit, et multo minus poenis cogere (*n. 114*). Nam « justum est ut nemo crescere compellatur invitus », ait S. Gregorius M., in *can.* 2, *dist.* 74, in Decreto, et concordant *can.* 1, 7, 8 et 9, *ejusd. dist.* Ita docet Benedictus XIV, *De syn.*, *XII*, *IV*, *n.* 1 *sequ.*, ubi reprehenditur archiepiscopus Calaritanus qui cum videret in sua dioecesi non paucos clericos conjugatos ad sordidas artes se abjicere aut se flagitiis contaminare, ut scandalis hisce obviam iret, secum constituerat, quemcumque deinceps minoribus ordinibus initiaturus esset, eumdem simul ad subdiaconatum promoturum ; item reprehenduntur alii episcopi qui, animadvertentes dioeceses suas refertas esse minoribus clericis in otio et luxu viventibus, id consilii ceperant ut eos ad sacros ordines suscipiendos compellerent, praefiniendo ipsis congruum tempus intra quod ad majores ordines ascendere deberent, quo elapso, si non obtemperassent, omnibus clericalibus privilegiis expertes et laicalis fori jurisdictioni subjecti futuri essent.

637. His autem duplex est exceptio ab ipsis sacris canonibus praevisa :

a) In primis exceptio est pro clerico *arctato* (ad ordinem) ratione beneficii recepti. Clericus dicitur arctatus ratione beneficii *recepti*, qui habet beneficium requirens ordinem sive ex jure sive ex statuto dioecesis sive ex tabulis fundationis, e. g. parochiam, canonicatum ecclesiae cathedralis. Dicitur arctatus ratione beneficii *recipiendi* qui habet jus per electionem aut per praesentationem ad beneficium aliquem ordinem requirens : sed non diceretur arctatus ille cui aliquis resignare velit beneficium requirens actu ordinem quo caret resignatarius (1).

Igitur clericus arctatus ratione recepti beneficii, debet ordinem beneficio adnexum recipere infra *tempus a jure statutum*, ut ait Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. XII*, *de*

(1) Riganti, in *Reg. XXIV Cancell. Apost.*, § *III*, *n.* 201 ; Garcias, *De beneficiis*, *p. V*, *cap. VII*, *n.* 102.

ref., seu infra *breve tempus*, ut legitur in *cap.* 5, *De aetate etc.*, nempe infra *annum*, ex *cap.* 14, 34, 35, *De electione* etc., *Clem.* 2, *De aetate etc.*, Conc. Trid., *sess. VII, cap. XII, de ref.* Bonifacius VIII, in *cit. cap.* 35, *De electione etc.*, addit : « Annus hujusmodi (qui a tempore illo incepit quo ipsius ecclesiae regimen commissum tibi extitit et possessionem ejus pacificam habuisti, vel per te stetit quominus haberes eamdem) tibi non currit, si promoveri, justo impedimento detentus, infra tempus hujusmodi nequivisti ». Quod verum est etiam de arctatis ratione beneficii non curati, ut patet ex cit. *Clem.* 2, *De aetate* etc., ubi excusatio justi impedimenti pro omnibus admittitur. Quodnam vero impedimentum habeatur justum et excusans, mox dicemus.

Si beneficiatus nullo impedimento detentus ordinem beneficio adnexum infra annum non recipit, applicatur responsio S. C. C. diei 26 *Jan.* 1608 : « Censuit non induci vacationem ipso jure, praeter quam in beneficiis curatis ob non susceptum presbyteratum vel alium ordinem sacrum adnexum infra annum, ex *cap.* 14, *De electione etc.*, *in* 6° ; ceterum obtinentem dignitatem et canonicatum debere et posse compelli etiam sub poena privationis ad recipiendum ordinem sacrum canonicatui et dignitati adnexum » (1). Nimirum clericus habens beneficium curatum et absque ullo impedimento negligens ordinem presbyteratus recipere infra annum, illud amittit ipso facto ex *cit. cap.* 14, *De electione*, *in* 6°. Clericus habens aliud beneficium, illud non amittit ipso facto (2), sed ab episcopo compelli disjunctive potest et debet ut vel ordinem beneficio adnexum recipiat, vel beneficio cedat. Quod si beneficiatus aliquo impedimento detentus ordinem infra annum non recipit, aliae distinctiones faciendae sunt. Nam si impedimento jam afficiebatur ante beneficii assecutionem illudque fraudulenter reticuit,

(1) Vide omnino Fagnanum, in *comm. cap.* 7, *De electione*, § *Inferiora*, *n.* 23 *sequ.*, ubi magna eruditione hac de re disputat.

(2) Fagnanus, *l. c.*, *n.* 41, probat vacare ipso jure beneficia quae non sunt in cathedrali vel collegiata ecclesia, nec comprehenduntur in *cap.* 22, *De electione etc.*, *in* 6°.

beneficio curato privatur ipso jure ; alio beneficio privandus est per judicis sententiam, nisi forte impedimentum brevi cessaturum sit. Si impedimentum invaluit post beneficii assecutionem, rursus videndum utrum sit ex culpa beneficiati, an non. Si primum, e. g. si clericus censura ligatur, ea quae mox diximus, repetenda sunt. Si alterum, e. g., si clericus toto illo anno aegrotavit, aut absens erat episcopus et commendatitias habere non potuit, aut episcopus eum ordinare noluit, item si manum amisit, factus est caecus, etc., beneficium nullatenus amittit ; sed si impedimentum est temporaneum, ut in primis exemplis allatis, eo cessante, episcopus potest et debet clericum disjunctive obligare, ut supra (1).

Tandem si clericus non intendens ad ordinem beneficio adnexum promoveri, illud obtinuit ut fructus unius anni perciperet, tenetur in conscientia ad perceptos fructus restituendos, nisi, mutata voluntate, ordinatus fuerit ; et si ipse fructus non restituit, qui beneficium contulit conscius hujus fraudis, obligatur loco ejus ad indemnem servandam ecclesiam, praeter peccatum mortale quod uterque committit. Ita Bonifacius VIII, in *cit. cap.* 35, *De electione etc.*, *in* 6°, qui addit idem beneficium clerico negligenti rursus conferri non posse.

638. *b*) Praeterea episcopus propter necessitatem aut utilitatem suae ecclesiae potest etiam clericos beneficiatos sed non arctatos praecepto et etiam poenis adigere ad superiores ordines recipiendos. Huc spectat *cap.* 6, *De aetate etc.*, ubi Alexander III ita statuit : « Si praedicti clerici perceptione majorum ordinum propter occulta sua peccata se indignos esse fatentur, inferiores in ecclesia quorum sit vita probabilis, praeferantur eisdem. Et nisi forte illi qui ordinari pro jam dicta causa recusant, in aliis ecclesiae servitiis valde utiles fuerint, auferantur eis beneficia et aliis canonice conferantur. Quod si pro sola voluntate renuerint ordinari et suaserit utilitas ecclesiae aut necessitas, ipsos,

(1) Schmalz., *I*, *XIV*, *n.* 21, cum Glossa in *cap.* 1, *De aetate etc.*, *v. amittant* ; et in *cap.* 35, *De electione etc.*, *in* 6°, *v. justo impedimento*, et in *Clem.* 2, *De aetate etc.*, *v. justo impedimento*. Vide S. C. C. in *Anagnina*, *Beneficii*, 3 *Dec.* 1842.

dummodo idonei sint, ad majores ordines recipiendos per amissionem locorum et beneficiorum subtractionem, appellatione cessante, compellas ». Scilicet episcopus compellere potest in primis privando eos voce in capitulo et quotidianis distributionibus, ut habetur in *Clem.* 2, *De aetate etc.*; deinde subtrahendo ipsis reditus beneficiales; tandem eos privando ipsis beneficiis. Et non solum clericos beneficiatos, licet non arctatos, sed etiam clericos non beneficiatos potest episcopus propter necessitatem aut utilitatem suae ecclesiae obligare imperio ac etiam poenis, e. g. suspensione ab ordine, ut traditur in *can.* 3 *et* 4, *dist.* 74, in Decreto; imo, ni fallimur, potest obligare etiam laicos. De obligatione coelibatus hoc in casu vide S. Alph., *VI*, *n.* 811 in fine; sed si perpendis ultimam animadversionem quam *n. sequ.* subjicimus, videbis de hac obligatione dubitandum minime esse. At nequit episcopus cogere ordinatos a R. P. (n. 787.)

639. Haec autem quae diximus, melius determinant sequentes observationes.

Episcopus ad coactionem devenire non potest, nisi quando aliud remedium non suppetit subveniendi necessitati aut utilitati ecclesiae. Huc spectat responsio Gelasii Papae in *can.* 9, *cit. dist.* 74, in Decreto. Episcopus enim quidam eidem exposuerat quod diaconi suae ecclesiae ad presbyteri gradum quo ecclesia indigebat, venire detrectabant. Gelasius rescribit episcopum debere acolythos et subdiaconos maturiores aetate et quorum esset vita probabilis in presbyteros promovere, potiusquam cogere diaconos, cum invitos fieri ecclesiastica moderatio gravitasque non patiatur. Hodie, e. g. deficientibus presbyteris saecularibus, episcopus facile a Sede Apostolica obtinet indultum praeficiendi regulares ecclesiis saecularibus; et, episcopus deberet potius hoc indultum petere, quam renuentes non arctatos imperio aut poenis cogere ad ordinationem.

Imo nonnulli graves auctores negant episcopis in actuali Ecclesiae disciplina jus cogendi propter simplicem suae ecclesiae utilitatem citra absolutam necessitatem. Ita Hallier, *p. I*, *sect. V*, *cap. I*, *n.* 20, et etiam Benedictus XIV, *De syn.*, *XII*, *IV*, *n.* 7, solam meminit necessitatem. At certe

R. P. pro tota Ecclesia potest obligare non solum propter necessitatem, sed etiam propter simplicem utilitatem ; ipsique soli reservatur cogere ad episcopatum.

Quae coactio legitima, sive episcopi sive R. P., considerari potest et debet tamquam signum certissimum divinae vocationis et quidem praeceptivae.

At coactio eo tendit ut quis de nolente fiat volens et consentiens ordinationi ; si autem, non obstante imperio et poenis, in contumacia perseveraverit, ordinari non potest.

640. 5° Ordinatio *jocantis*, illius nempe qui ad ipsam accedit per jocum et risum, videtur esse nulla. Ad rem S. Thomas, in *supp.*, *q.* 45, *a.* 4, pro sacramento baptismi : « Si quis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed *ludum* et dolum facere, non esset baptizatus ». Et rationem exponit Billuart, *De sacram. in communi*, *diss. VI*, *art. I* : « Hanc autem intentionem debere esse internam, idest intentionem suscipiendi rem ut sacram in Ecclesia seu quod Ecclesia facit, nec sufficere intentionem recipiendi rem prophanam aut simulandi vel ludendi, est diserte S. Thomae (doctrina) in supplemento mox citato ; et patet quia qui intenderet recipere rem prophanam aut simulare vel ludere, non intenderet recipere sacramentum ».

641. 6° Difficilior est quaestio num valeat promotio illius qui *ficte* seu simulate accedit, seu qui « vultu ac oculis ac toto corpore ad modestiam composito, voluntate tamen alienissima ad hoc sacramentum veniat », ut verbis utamur Benedicti XIV, in cit. epist. *Postremo mense*, *n.* 47, agentis de baptismate ; vel « qui quamvis non ore, corde tamen dissentit », ut ait Innocentius III, in *cap.* 3, *De baptismo*, agens pariter de baptismi sacramento. Nonnulla exempla practica infra citamus.

642. Jam vero in hac quaestione sententia communis est pro nullitate ordinationis, et in genere pro nullitate cujuslibet sacramenti taliter recepti. Ita S. Thomas, et Billuart relati *n. 640*. Item De Lugo, *De sacram. in gen.*, *disp. IX*, *sect. VII*, *n.* 131, cum divisset ad valorem sacramenti in genere sufficere etiam voluntatem coactam, subdit : « Hoc

autem intelligi debet, dummodo internus sit verus consensus in sacramentum, non vero si solus sit consensus in actionem externam absque alio consensu interno in ipsum sacramentum ». S. Alph., *VI*, *n.* 810, praeter alia loca : « Idem dicitur (non teneri ad castitatem) de eo qui invalide ordinatur vel ex defectu formae, aut materiae, vel intentionis ; puta si quis per vim aut metum ordines susciperet sine animo se ordinandi, ut Salm., *n.* 45 et 46, et Croix, *n.* 2163, cum communi ». D'Annibale, *III*, § 117, cum docuisset sacramentum esse nullum si subjectum non habet positivam intentionem illud recipiendi, addit in *nota* 1 : « Quamvis specie tenus, serio et devote illud recipias (Ben. XIV, C. *Postremo mense*, § 47, 51). Et de hoc nemo umquam dubitavit ». Item etiam Pirhing, *III*, *XLII*, *n. ult.* Tandem Benedictus XIV, *De sacrosancto Missae sacrificio*, *III*, *X*, *n.* 11, docet in ordinando requiri intentionem internam et externam suscipiendi id quod Ecclesia intendit ab eo suscipi, sicuti in ordinante requiritur intentio interna et externa faciendi id quod facit Ecclesia, reprobata contraria sententia Ambrosii Catharini putantis in libro *De intentione ministri* sufficere intentionem externam. Vide etiam Franzelin, *De sacramentis in genere*, *thesi XVII*, aliosque passim.

643. His non obstantibus. putamus sententiam pro validitate ordinationis in casu veriorem esse. Sane in primis valere baptismum cum hac fictione receptum clare tradit Innocentius III in *cit. cap.* 3, § *Item*, *De baptismo*. Nam hic Pontifex ponit quaestionem *utrum dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur*. In primis refert nonnullorum opinionem « qui dicunt quod sacramenta quae per se sortiuntur effectum, ut baptismus et ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur, cum non solum parvuli qui non consentiunt, sed et *ficti qui quamvis non ore*, *corde tamen dissentiunt*, recipiant sacramentum ». Deinde hanc opinionem reprehendit quoad invitos et contradicentes : « Sed opponitur talibus, quod qui

fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinerent : unde ad servandam regulam fidei christianae forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni christianae contrarium ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur ». Tandem ponit veram doctrinam circa baptismum coacti, ficti, dormientis et amentis : « Propter quod inter invitum et invitum, coactum et coactum, alii non absurde distinguunt : quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis, *sicut et is qui ficte ad baptismum accedit*, characterem suscipit christianitatis impressum, etc. ». Quamquam Innocentius III hanc doctrinam non tradat nomine suo, tamen ipse eidem subscribit ibi, : *Alii non absurde distinguunt*, et ideo omnes cum Benedicto XIV, in cit. epist. *Postremo mense*, et alibi, hanc doctrinam tribuunt Innocentio III. Igitur Innocentius III apertissime tradit valere baptismum illius qui ficte, idest ore consentiens sed corde dissentiens, accedit ad baptismum, sicut valet baptismus illius qui metu gravi cogitur. Hinc Glossa, *l. c.*, *v. Perdurare* : « Illi (ficti) ore exprimunt, licet corde dissentiant, et ideo sacramentum recipiunt, quia Ecclesia dare intendit ; sed tale sacramentum non prodest ad remissionem peccatorum, nisi cum fictio illa recesserit ». Glossa marginalis, *v. recipiunt*, subdit : « Id est recipere praesumuntur in foro exteriori »; quam Glossam nonnulli auctores repetunt. At vero evidens est hanc Glossam marginalem male referre doctrinam Innocentii III et Glossae majoris, quia tum Innocentius III tum Glossa major agunt de validitate vel invaliditate baptismi in se et objective, non vero praesumptive pro foro externo. Id clare patet in primis ex lectione *cit. cap.* 3, *De baptismo*. Deinde Innocentius III, *l. c.*, docet fictum recipere characterem et non rem seu gratiam ; atqui in foro externo utrumque effectum recipit. Tandem Innocentius III, *l. c.*, in eodem contextu loquitur de coacto et de ficto, ibi : *Talis* (coactus) *sicut et is qui ficte ad baptismum accedit*, *characterem suscipit christianitatis impressum*; atqui coactus characterem sus-

cipit non solum quoad forum externum, sed etiam in se et objective. Jure igitur concludimus Innocentium III, *l. c.*, et Glossam majorem cum ipso aperte tradere baptismum in casu fictionis ex parte subjecti valere ; et cum a baptismate ad ordinationem merito argumentari liceat, hinc deducimus et ordinationem in casu fictionis validam esse.

644. Nec deest ratio theologica quae valet pro sacramento baptismi, confirmationis et ordinis. Nam si rem attente perpendis, videbis in casu candidatum, *quia accedit*, velle sacramentum, cum velit materiam et formam positam a legitimo ministro habente debitam intentionem, quibus sacramentum constat (*n. 773*) ; sed *quia accedit ficte*, nolle effectus sacramenti, idest characterem et gratiam. Atqui primum ex his effectibus sacramentum semper producit ex opere operato, dummodo subjectum capax sit, et si est in aetate adulta, habeat intentionem *recipiendi sacramentum*, juxta doctrinam D. Thomae in verbis relatis, cum communi. Ergo in casu character imprimitur, licet subjectum id nolit, et ita baptismus, confirmatio et ordo valent. Quid vero si candidatus accedens expresse nolit et effectum et ipsum sacramentum ? Tunc forent in candidato duae voluntates inter se contrariae ; nam ipse vult sacramentum quia accedit, et non vult ex hypothesi. Atqui prima voluntas manifeste praevalet et informat actum, quia de facto candidatus accedit ; et ideo hujus tantum voluntatis ratio habenda est.

645. Haec argumenta adeo gravia sunt ut sententia pro validitate baptismi, confirmationis et ordinis verior videatur. Nec valde nos movet sententia communis contraria ; nam unus Innocentius III, *l. c.*, satis superque nobis est ; quem frustra ad alium sensum detorquere conaberis. Benedictus XIV, in cit. epist. *Postremo mense*, *n. 47*, quaestionem relative ad baptismum proponit verbis *n. 641* relatis, hanc controversiam appellans non parvi momenti. Deinde addit : « Quidquid sit de opinione Catharini qui sustinet *conferenti* exteriorem sufficere compositionem, etiamsi non id animo proponat facere quod Ecclesia solet,... haec, inquam, opinio *minus habet difficultatis cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum*. Propositio

autem ab Alexandro VIII damnata, objici Catharino solita, conferentem respicit, non accipientem ». Igitur si Cardinalis Lambertinus dum scribebat praeclarum opus *De sacrosancto Missae sacrificio*, nobis contrarius erat et communi sententiae favebat, assimilans in omnibus, quoad intentionem, conferentem et suscipientem ordinationem, Benedictus XIV, auctor cit. epist. *Postremo mense*, nobis potius favet, aut certe contrarius non est, distinguens inter intentionem conferentis et intentionem suscipientis. Et revera, dum in conferente requiritur intentio vel actualis vel saltem virtualis et non sufficit habitualis, de qua re suo loco, in suscipiente etiam habitualis sufficit, uti diximus *n. 627*. Ceterum auctores (absit verbo invidia) se invicem transcribentes, hanc quaestionem ex professo examinare non solent, et ideo nil mirum si omnes in receptam abeunt sententiam de nullitate ordinationis. Cum vero haec sententia sit communiter recepta, et quando agitur de validitate sacramentorum in praxi sententiam tutiorem sequi semper debeamus, casu fictionis ex parte subjecti occurrente, sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis forent repetenda, sed sub conditione, ni fallimur, ob magnam probabilitatem doctrinae cui nos subscribimus. Modo nonnulla exempla ex Thesauro resolutionum S. C. C. afferamus.

646. Benedictus XIV, *De sacrosancto Missae sacrificio*, *III*, *X*, *n.* 13, haec habet : « Eidem S. C. C. nunciavit episcopus Brixiensis, sibi contigisse ut clericus quidam, initiandus subdiaconatu, minorum ordinum testimonialem falsaverit, quos ordines revera susceperat. Cum autem ad generalem ordinationem accessisset et comminationem intellexisset censurarum adversus eos qui ad suscipiendos ordines accederent neque muniti essent iis quae canones postulant, cogitavit illinc abire ; sed veritus ne id scandalum pareret, consilium cepit accedendi ad ordinem suscipiendum, sed sine intentione illum suscipiendi, putans hoc pacto se subduci censuris. Quamobrem episcopus sciscitabatur a S. C. an illum clericum rursus ordinare deberet. Relatum id fuit in S. C. habita *die* 31 *Mart.* 1685, quae respondit : Ordinatus interea suspensus remaneret ; curaret autem epis-

copus ut defectus intentionis sibi fieret exploratior. Rescripsit episcopus, se id percunctatum a clerico, qui candide fassus est se, conscientiae stimulis incitatum, ante ordinationem internum actum expressum et positivum edidisse non suscipiendi ordinis, nec umquam hujusmodi intentionem revocasse. Id iterum relatum in S. C. habita die 24 *Aug.* (1) ejusdem anni; quae considerans non admodum esse fidendum attestationibus ejus qui dicebat perturbato animo se illum exercuisse internum actum, respondit: Esse iterum ordinandum sub conditione privatim et dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum ». Jam vero illa verba: *Considerans... actum*, sunt Cardinalis Lambertini qui tunc temporis, quando praeclarum opus *De sacrosancto Missae sacrificio* scribebat, nobis potius contrarius erat: nam S. C. nullam prorsus indicat rationem suae responsionis, prouti diligenti inspectione facta tum in libro Decretorum tum in relativa positione certissimum est (2). Aliunde est principium generale, quod ea quae in animo nostro consistunt, uti intentio, satis probantur in foro externo ex nostra affirmatione, praesertim juramento firmata, nisi nostra affirmatio in casu suspecta sit, e. g. quia vergit in nostrum commodum (3); quod principum generale etiam in materia ordinationis applicari, patebit ex dicendis de intentione ministri in *cap. V, sect. I, art. II.* Vide etiam *n. 1057 sequ.* responsionem diei 10 *Apr*, 1704 (cujuscumque tandem sit), juxta quam standum est affirmationi ipsius ordinati circa materiam et formam adhibitam in sua ordinatione. Proinde putamus defectum intentionis in specie proposita satis constitisse, et non potuisse melius constare; et S. C. respondisse ordinationem esse repetendam sub conditione, non quia putavit defectum intentionis non satis con-

(1) Potius die 4 *Aug.*

(2) Franzelin quoque, *De sacram. in gen., thesi XVII, n.* 5, docet ex Cardinali Lambertini S. C. hoc temperamentum de ordinatione rursus sub conditione conferenda addidisse tantum ideo quia non omnino constabat factum ipsum *defectus intentionis.*

(3) Sanchez, *De Matr., I, LXII, n.* 2; Pirhing, *IV, I, n.* 63; Schmalz., *n.* 188, Covarruvias, *Resolut., II, X, n.* 1, § *Tertio*; Ballerini ad Gury, *n.* 730.

stare, sed quia doctrina de nullitate ordinationis ex ficta subjecti intentione certam minime habuit.

647. Eadem S. C. in *Milevitana, Subdiaconatus,* 26 *Nov.* 1791, ad examen revocavit sequentem casum. A. Borg, a matre coactus, subdiaconatum recepit, sed cum intentione non recipiendi ordinationem, suamque voluntatem J. Bezina pariter ordinando pandiderat. Hac super re postridie interpellavit confessarium qui censuit ordinationem fuisse validam; et idem A. Borg deinde ultro ad diaconatum et presbyteratum ascendit, et in omnibus ordinibus per decennium tranquilla conscientia ministravit. Re tandem vulgata, Melitensis episcopus eum suspendit a divinis, donec S. C. sententiam haberet. Propositis itaque dubiis: « An constet de nullitate ordinis subdiaconatus ita ut sit reiterandus in casu ; Et quatenus affirmative : 2° An sit consulendum SSmo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate in casu » ; S. C. reposuit : « Dilata et scribatur episcopo juxta instructionem » ; pro formali scilicet examine tum sacerdotis A. Borg, tum sacerdotis J. Bezina, cui A. Borg suam voluntatem communicaverat. Jam vero A. Borg omnia candide confirmavit ; J. Bezina dixit se non recordari de hac communicatione. Eisdem igitur dubiis rursus positis, S. C. die 16 *Jun.* 1796 reposuit : « Ad 1^um^ esse locum ordinationi subdiaconatus *sub conditione* et secreto facienda : Ad 2^um^ affirmative ». Porro observationes quas *n. praec.* fecimus, etiam hic repetendas esse putamus.

648. Aliis exemplis praetermissis, defectus intentionis fuit omnino evidens in *Tolentana, Ordinationis,* 16 *Nov.* 1709. Nam Joseph R., paternis minis compulsus subdiaconatus ordinem suscipere anno 1702, die ante ordinationem emisit protestationem coram notario et testibus se accessurum ad episcopum ordinantem citra intentionem ordinem suscipiendi ; imo, inter alios ordinandos immixtus, ad melius evitandam ordinationis validitatem, de consilio Secretarii episcopi, nequaquam tetigit librum epistolarum, neque calicem cum patena vacua, sed tantum vestibus sacris indutus fuit. Igitur in casu nullitas ordinationis nimis clara erat ex defectu materiae ; qua circumstantia deficiente, quaestio

de qua nos agimus, solvenda directe fuisset. Propositis dubiis : « 1° An constet de invalida ordinatione oratoris ; Et quatenus affirmative : 2° An sit dispensandus, stante exercitio dicti ordinis, ut possit ad illum aliosque superiores ordines ascendere in casu » ; S. C. reposuit : « Dilata et Ordinarius terminet processum contra oratorem et conficiat contra Secretarium et alios complices (1) ». In regestis S. C. nulla alia hujus causae vestigia sunt.

649. Concludimus animadvertentes Billuart, *l. c.*, docere sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis collata in somno, amentia, ebrietate etc., esse irrita, si quis antea habuit intentionem eadem recipiendi, sed non habuit expressam intentionem eadem recipiendi in statu somni, etc. Haec doctrina indiget declaratione, ne falsa sit. Nam haec sacramenta forent certe irrita, si quis positive noluit eadem recipere in statu somni, etc. ; e contrario forent certe valida, si quis positive voluit eadem recipere etiam in statu somni, etc. ; tandem forent etiam certe valida, si quis volens eadem recipere, ne cogitavit quidem de eis recipiendis in statu somni, etc., nam tunc in eo est voluntas habitualis, scilicet semel positive habita et non revocata, quae juxta communem sententiam sufficit. Et hic est casus practicus de quo agit Innocentius III, in *cit. cap.* 3, *De baptismo* ; nam quis vigilans et sanae mentis, volens recipere baptismum, positive vult illum recipere etiam dum dormit, ebrius est, amens forte evasit ? Dices : si ipse cogitavisset de tempore somni, etc., noluisset eo tempore baptizari, confirmari, ordinari. Equidem, sed ex hypothesi non cogitavit, et ideo de facto non verificatur quod noluit, ac proinde prima voluntas habitualiter remanet, cum non sit revocata.

(1) Vide etiam *Valentien.*, *Ordinis subdiaconatus*, 31 *Maii* 1794 ; in qua tamen potius de metu, quam de fictione agitur. In foliis S. C. C. saepe affirmatur nullitatem ordinationis in casu fictionis apertam esse ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii IV ad Armenos (*n. 733*); sed, aliis omissis, manieistum est inibi agi de ministro, non de subjecto.

Articulus II.

De intentione necessaria pro licita ordinatione.

650. Ut candidatus licite recipiat primam tonsuram aut ordinem, debet accedere ex *recto fine*, qui merito appellatur etiam *recta intentio*. Jam vero in genere finis operantis est rectus cum respondet fini operis : proinde in casu nostro finis candidati erit rectus si est conformis fini status clericalis : atqui finis status clericalis est gloria Dei et salus propria ac proximi per ministerium sacrum in proprio gradu, quod patet tum ex ipsa definitione ordinationis, cum sacrae functiones quarum exercendarum traditur potestas, huc praecise spectent, tum ex Apostolo, ad *Hebr.*, *V*, 1 *sequ.* : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* ; *qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et praeterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Igitur ut candidatus licite recipiat primam tonsuram ac ordinem, debet accedere hoc fine supernaturali. Si seposito hoc fine, unice accedit cum alio fine humano, est deordinatio quae in genere a peccato mortali excusari non potest (1). Si autem praeter finem supernaturalem habet alium finem humanum honestum, e. g. obtinendi reditus beneficiales, non peccat, dummodo Deum judicio mentis principaliter spectet et reditibus praeponat, etsi fortasse desiderio commodi temporalis intensius afficiatur, et sine ipso statum clericalem non amplecteretur (2). Pius aeque ac doctus Navarrus, *De orat. et hor. can., cap. VII, n.* 15, putat eis qui propter solum finem humanum ad primam tonsuram et minores ordines accedunt, *satius fore ipso ordinationis die frangere crura* (!?!). Sed jam nonnulla in specie expendamus.

(1) Scavini, *III, n.* 607.
(2) Hallier, *p. I, sect. III, cap. II,* § *V, n.* 32.

651. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IV, de ref.,* vetat illos ad primam tonsuram promoveri, de quibus probabilis conjectura est quod hoc vitae genus elegerint saeccularis judicii fugiendi frau de sive in casu particulari, sive in genere pro omnibus casibus occurrentibus (1). Utrum vero qui hoc unico animo ad primam tonsuram accessit, peccet mortaliter, an venialiter tantum, vel nullum committat peccatum, doctores inter se non conveniunt: S. Alphonsus, *l. c.*, probabilius putat peccatum esse mortale (2).

652. Praeterea idem Conc. Trid., *l. c.*, vult illos potius esse assumendos de quibus probabilis conjectura est quod hoc vitae genus elegerint ut Deo *fidelem* cultum praestent. Hinc accedens debet habere intentionem permanendi in statu clericali, seu intentionem *clericandi,* ut aiunt, cum status clericalis stabilis sit ; ita ut culpae gravis reus esse videatur ille qui, dum tonsuram aut ordines minores recipit, firmum habet propositum ad saeculum redeundi (3). Attamen suscipiens primam tonsuram aut ordinem minorem potest suae intentioni permanendi in statu clericali addere conditionem, nempe : nisi de non-vocatione Dei ad statum clericalem mihi constiterit.

653. At dum aliquis gradus clericalis recipitur, requiriturne intentio ulterius procedendi usque ad sacerdotium ? Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XI, de ref.*, ait : « Cumque hinc (idest ab ordinibus minoribus) ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat ». Proinde ut quis prima tonsura et minoribus ordinibus initiari valeat, requiritur et sufficit ut aliqua spes affulgeat quod ad majores ordines sit pro tempore ascensurus : idemque dicendum esse putamus de subdiaconatu et diaconatu in ordine ad sacerdotium. Ratio ultima est quia in praesenti Ecclesiae disciplina prima tonsura omnesque ordines sunt *gradus* ad sacerdotium. Consequenter si quis, dum aliquem

(1) S. Alph., *VI, n.* 785 in fine.
(2) Scavini, *III, n.* 609, *not.* 4 ; Hallier, *l. c., sect. II, cap. III,* § *VII, n.* 30 *sequ.*
(3) Hallier, *l. c., n.* 31.

recipit gradum, firmum habet propositum non ascendendi ad sacerdotium, non videtur episcopus ordinans et ordinatus ab omni peccato per se excusari posse, nisi apostolica dispensatio intervenerit. S. Alph., *VI*, *n.* 785, cum pluribus aliis, ait certum et commune esse non peccare graviter, et probabiliter omne peccatum abesse. Navarrus, *De orat. et hor. canon.*, *cap. VII*, *n.* 16, valde laudat episcopos qui non admittunt ad tonsuram et minores ordines nisi eum qui per se, si adultus est, vel per parentes, si est puer, juraverit se velle ad majores ordines legitimo tempore ascendere ; quod et Tarentina synodus cavet apud Hallier, *p. I*, *sect. II*, *cap. III*, *n.* 34. Diximus tamen requiri et sufficere, *ut aliqua affulgeat spes* quod candidatus ad sacerdotium suo tempore sit ascensurus : nam non requiritur certitudo, et si clericus post promotionem recusat ad altiorem gradum ascendere, e. g. ob extraordinariam Dei vocationem, vel perterritus sacerdotii dignitate, cogi in genere non debet nisi in casibus supra expositis (*n. 636 sequ.*).

654. Haec videtur esse doctrina Benedicti XIV, *De syn.*, *XII*, *IV*, *n.* 3, ubi haec habet : « Fatemur quidem omnes clericos juxta Ecclesiae mentem eo loco haberi ut sint in via ad majores ordines suscipiendos, quemadmodum exequendo pronuntiat idem Concilium (Tridentinum) in *cit. cap. VI* (*sess. XXIII*, *de ref.*) ; cujus etiam lex est in *ejusd. sess. XXIII*, *cap. XI*, ut *nemo iis* (minoribus nempe ordinibus) *initietur quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat*. Verum nihil aliud inde inferri potest nisi cavendum episcopis esse ne clericalem tonsuram aut minores ordines aliis conferant quam iis de quibus merito conjicere liceat, aliquando tales futuros ut ad majores ordines cum Ecclesiae utilitate promoveantur ; non autem exigendum esse ab ipsis tonsuratis aliisque minoribus clericis ut etiam inviti ad majores ordines ascendant. Nec aliter judicandum videtur de subdiaconis aut diaconis ecclesiastico beneficio carentibus. De his enim praefata Tridentina synodus, *cap. XII et cap. XIII*, *ejusd. sess. XXIII*, plura quidem praescripsit pluraque proposuit quae in ipsis veluti necessariae conditiones requirerentur ut ad diaconatum seu

respective ad sacerdotium digne promoverentur ; at non ulterius progressa fuisse dignoscitur ut subdiaconum cogi voluerit ad diaconatus ordinem ascendere, aut diaconum invitum sacerdotio initiari. Neque vero desunt exempla virorum eximia probitate, ac etiam illustri sanctitate praeditorum qui, cum ad subdiaconatus ordinem pervenerint, in eo per totum vitae cursum perseverarunt, quive ad diaconatum usque progressi, numquam ad sacerdotium ascenderunt, sive sublimem gradus celsitudinem pertimescentes, sive christiana animi demissione existimantes se iis dotibus atque virtutibus carere quos sacri canones in promovendis ad superiores hosce ecclesiasticae hierarchiae ordines requirunt ».

655. Pariter gravi reprehensione dignus est ille qui hoc unico fine clericatum amplectitur ut, servitium militare aliosque graves labores in saeculo evitando, vitam in otio traducere possit. Vetustissima adversus clericos primis saeculis querimonia erat quod plurimi, ne in milites referrentur, aut ut curialium onus fugerent, in clerum se cooptari peterent; unde statutum erat ne aliquis militiae vel curiae obstrictus admitteretur, nisi prius in monasterio ad probandam sinceram ejus Deo serviendi voluntatem aliquo tempore conversatus fuisset. Quid Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XVI, de ref.*, constituerit ad arcendos a statu ecclesiastico otiosos, supra vidimus *n. 577 sequ.* Tantum abest ut clericum liceat inertem ducere vitam, ut contra ipse debeat non de sua tantum sed etiam de aliorum salute esse sollicitus : quod maxime de sacerdotibus et episcopis verum est. Meminerint episcopi et sacerdotes verba Salvatoris, *Joan., XV*, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* : scilicet in vinea Domini ubi *messis multa, operarii autem pauci.* Meminerint se esse *piscatores hominum, salem terrae*, et *lucem mundi*, juxta ejusdem Christi sententiam. Neque dicant se haec omnia praestare per Missae celebrationem et divini officii recitationem ; nam haec quidem maximi momenti sunt, sed praeterea oportet sub legitimi superioris dependentia exercere receptam potestatem praedicandi, remittendi peccata

in sacramento poenitentiae, etc., et una simul studio incumbere. Hoc modo excolentes intellectum per studium, voluntatem per ecclesiasticum ministerium, salutem nostram aliorumque operabimur, servi boni et fideles quibus Christus in die judicii dicet : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, dum servos inutiles, receptum talentum abscondentes, ejiciet in tenebras exteriores (*Matth. XXV*).

656. Illos qui militiae clericali dant nomen ut bonis ecclesiasticis et honoribus fruantur, S. Bernardus ita carpit : « Si ea (ministeria sanctuarii) eo quaerit aut tenet animo eoque intuitu, ut hujus vitae habeat necessaria, evangelizat ut manducet et perverso nimis ordine caelestibus terrena mercatur. Quam certe dignius ampliusque consentaneum rationi ut pro carnali victu carnalia magis opera et negotia exerceret, nec fieret inversor rerum aut inhonoraret ministerium spirituale ! Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quaerunt, quippe minori facile satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari et superbire, et huic saeculo per omnia conformari, etc. (1) ».

657. Ut vero hanc rem melius declaremus et ita finem huic capiti imponamus, quaerimus num licitum sit ordines, dignitates ecclesiasticas et nominatim episcopatum desiderare ? S. Thomas, 2, 2, *quaest.* 185, *art.* 1, ita respondet : « In episcopatu tria possunt considerari. Quorum unum est principale et finale, scilicet episcopalis operatio per quam utilitati proximorum intenditur, secundum illud *Joan. ult.*, 17 : *Pasce oves meas.* Aliud autem est altitudo gradus, quia episcopus super alios constituitur, secundum illud *Matth. XXIV*, 45 : *Fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* Tertium autem est quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia et honor et sufficientia temporalium, secundum illud 1 *Tim.*, *V*, 17 : *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore di-*

(1) Migne, *P. L.*, *tom.* 184, *col.* 290.

gni habeantur. Appetere ergo episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum, manifestum est quod est illicitum, et pertinet ad cupiditatem vel ad ambitionem... Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere episcopatum, est praesumptuosum..... Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile et virtuosum. Verum quia prout est episcopalis actus, habet adnexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente..... Potest tamen absque praesumptione quilibet appetere talia opera facere, si cum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatem..... ». Eamdem doctrinam tradit etiam Benedictus XIV in const. *Inclitum*, 12 *Apr.* 1753 : « Nec unusquisque ignorare debet a peccati culpa immune non esse desiderium ipsum episcopatus, quia quamvis desiderium aliis juvandi laudabile est, tamen cum adjumentum praestari non valeat sine ipsa episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae praesumptionis ortum habet (1) ». Exinde patet quid dicendum de illo Apostoli 1 *Tim.*, *III*, 1 : *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* ; scilicet laudat Apostolus desiderium operis episcopalis praecisi a celsitudine gradus et commodis temporalibus (quae praecisio difficilis est), subdens statim requisita in episcopo : *Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, etc.* (2).

(1) S. Alph., *VI, n.* 804.
(2) Vide Cornelium a Lapide in hunc locum Apostoli.

INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS I

APPROBATIO V

PROOEMIUM VII

CAPUT I. **Notiones praeliminares** 1

ART. I. *Quid sit sacra ordinatio* 1
ART. II. *Quotuplex sit sacra ordinatio* 6

CAPUT II. **De tempore et loco sacrae ordinationis** 28

ART. I. *De tempore sacrae ordinationis* 28
§ 1. Disciplina Ecclesiae Latinae circa tempora ordinationum pro prima tonsura et minoribus ordinibus 29
§ 2. Pro ordinibus majoribus 32
§ 3. Pro consecratione episcopali 49

ART. II. *De loco sacrae ordinationis* . . . . . .
§ 1. Disciplina Ecclesiae Latinae circa locum ordinationis pro prima tonsura et minoribus ordinibus 53
§ 2. Pro ordinibus majoribus 56
§ 3. Pro consecratione episcopali 62

CAPUT III. **De subjecto sacrae ordinationis** 64

SECTIO I. *De subjecto idoneo sacrae ordinationis* 64
ART. I. *De divina vocatione ad statum clericalem* 64
ART. II. *De impedimentis a statu clericali repellentibus* . . . 72
§ 1. De impedimentis ordinationem irritantibus seu de incapacitatibus 73
§ 2. De impedimentis ordinationem prohibentibus 80
I. De censuris cum homonymis poenis ac prohibitionibus, quatenus sunt impedimentum sacrae ordinationis 81
II. De irregularitatibus 90
1° De irregularitatibus in genere 90
A. Quid sit irregularitas 90
B. Quotuplex sit irregularitas 107
C. Quinam contrahere valeant irregularitates 121
D. Quomodo cesset irregularitas 129
2° De irregularitatibus in specie 145
A. De irregularitatibus ex defectu 145
a) De irregularitate ex defectu natalium 145

b) De irregularitate ex vitio corporis. 156
c) De irregularitate ex defectu fidei ratione baptismi in aetate adulta recepti aut dilati usque ad extremum vitae. 173
d) De irregularitate ex daemonis possessione. . . 176
e) De irregularitate ex nonnullis morbis physico-moralibus 179
f) De irregularitate ex infamia. 183
B. De irregularitatibus ex delicto. 205
a) De irregularitate ex iteratione baptismatis. . . 205
b) De irregularitate ex ministerio solemni in ordine non recepto. 213
c) De irregularitate ex celebratione divinorum officiorum vetita per censuram aut homonymam poenam 222
C. De irregularitatibus vel ex delicto vel ex defectu. 236
a) De irregularitate ex bigamia. 236
b) De irregularitate ex homicidio vel mutilatione. 254
c) De irregularitate ex haeresi. 288
III. De impedimentis simplicibus. 303
1° Defectus confirmationis 304
2° Turpe mercimonium circa Missarum eleemosynas. 305
3° Defectus requisitae aetatis. 309
4° Defectus gradus inferioris et interstitiorum non expletorum. 315
5° Vinculum matrimoniale. 331
6° Militia saecularis ac servitus 348
7° Negotia saecularia et ratiocinia reddenda. 359
8° Defectus debitae scientiae 362
9° Defectus debitae sanctitatis. 366
10° Sufficientia clericorum in dioecesi. 376
11° Defectus tituli canonici pro ordinatione in sacris. . 382
SCHOLION. *Quid juris si episcopus aliquem ad sacram ordinationem admittere recuset*. 411
SECTIO II. *De intentione in subjecto sacrae ordinationis necessaria* 417
ART. I. *De intentione necessaria pro valida ordinatione*. . . 417
ART. II. *De intentione necessaria pro licita ordinatione*. . . . 436

Imp. C. Saint-Aubin et Thevenot, St-Dizier (Hte-Marne), 30, Passage Verdeau, Paris

754

348.416
G213

AUTHOR Gasparri, Pietro, Cardinal

TITLE Tractatus Canonicus de Sacra Ordinatione Vol.I.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

754